






PETER
SEABY








THESAURI
ELECTORALIS
BRANDENBUR-
GICI
CONTINUATIO.






THESAURI
ELECTORALIS BRANDENBURGICI
CONTINUATIO:
SIVE
NUMISMATUM ROMANORUM,
QUÆ
IN CIMELIARCHIO
ELECTORALI BRANDENBURGICO
ASSERVANTUR,
TAM
CONSULARIUM
QUAM
IMPERATORIORUM,
SERIES SELECTA,
AERE EXPRESSA, ET COMMENTARIO ILLUSTRATA,
AUTHORE
LAURENTIO BEGERO,
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILIARIO AB ANTIQUITATIBUS ET BIBLIOTHECA.



COLONIÆ MARCHICÆ,
IMPENSIS ELECTORALIBUS IMPRESSIT
ULRICUS LIEBPERTUS, Electoralis Typographus,
PROSTAT
BEROLINI ET LIPSIÆ,
Apud MICHAELEM RUDIGERUM.



SERENISSIMO & POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,


DOMINO

FRIDERICO III.

MARCHIONI BRANDENBURGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI: SUPREMO BORUSSIÆ PRINCIPI: MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA, CROSNÆ, DUCI: BURGGRAVIO NORIMBERGENSI: PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINÆ: COMITI HOHENZOLLERANO, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ: DYNASTÆ IN RAVENSTEIN, DITIONUMQUE LAUENBURG ET BUTAU, &c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

AUTHOR.



OMAM Tibi sisto, Serenissime *&* Potentissime Princeps Elector, *non qualis hodie spirituali brachio dominatur; sed qualis olim à parvis initiis progressa, virtute civium eam in magnitudinem surrexit, ut omnem ferè terrarum Orbem Imperio presse-*

 rit.


rit. Hæc decurſu temporis, ut à rerum faſtigio detracta eſt, ita & atris involuta tenebris jaceret, niſi Regum quorundam, Principumque benignitate ſubinde reviviſceret, & in Dias luminis auras, quaſi poſtliminio reduceretur. Magnum eſt horum hoc paſſu meritum! Sed majus eſt Tuum, SERENISSIME *&* POTENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, *qui non contentus Aſylo, quod Tuis in Palatiis* DIVUS PARENS TUUS, *& Romæ & Græciæ aperuit, ad colligendas utriusque reliquias novo zelo progrederis, easque ut â captivitate paſſim liberes, ingentes pecuniarum ſummas per orbem Terrarum diſpergis. Feliciter id hactenus Te egiſſe, clamant elegantiſſima Tuo in Cimeliarchio utriusque Decora, quorum altera ſuperiore volumine produxi, altera antequam in publicum exeant, heic ideò Tibi oſtendo, ut auguſta hæc Antiquæ Hiſtoriæ Mater ipsô in limine agnoſcat, Tuo munere ſe, non ab interitu tantùm vindicari, ſed & cum tot Illuſtribus ſuis filiis, omnique ſuæ magnificentiæ apparatu, & in vitam quaſi, & in ſolium reſtitui. Comitantur hanc ex ima antiquitate &* Janus & Saturnus, *primi quos novimus, Romanæ originis auſpices: Comitantur &* Hercules & Æneas, *non imbellibus ex Oriente* Coloniis *inſtructi: Comitantur* Romulus, & Regum plerique: Conſules *inde, & familiarum* Illuſtres, *tandemque & omnis longiſſimaque* Imperatoriæ Majeſtatis *ſeries, non vacuis manibus, ſed ſuam quisque ſimul gloriam Tuis pedibus advolvens. Si bellica placeant, en* Expeditiones, Profectiones, Adlocutiones, Legiones, Exercitus, Victoriæ! *Si belli præmia, En* Coronæ, Arcus, Triumphi, Honos, Gloria! *Si decora*

Pacis,

Pacis, en Justitia & Æquitas! Felicitas & Annona! Fecunditas & Securitas! *Et quid dicam* Sacrorum Ritus? *quid* Deos, *licet Ethnicum figmentum? Quid* Templa & Palatia? *Quid alia innumera Reipublicæ Romanæ Monumenta, quæ hoc volumine restituuntur, Tuoque, Serenissime, Munere in publicum prodeunt? Quid ea, quæ proditura sunt imposterum? jam enim Tertio volumini materiem Te comparasse, eamque & proximè secuturam, omninò est dicendum. Quis nunc vel Regum vel Principum, inter ipsos Martiæ tempestatis fragores, inter concatenatam pacifici regiminis, felicitatisque publicæ providentiam, majore ardore & munificentiâ, majore felicitate & copiâ Antiquitatis Gazas redemerit? Tibi non sufficit reliquias ejus in Germania investigasse; Romam ex Roma arcessis, Græciam in Græciâ venaris; & ne quid tuæ felicitati decedat, submisit nuper & Belgium sua, submisit & toto divisus ab Orbe Britannus. Magnum hoc esset, si intra parietes Tuos Tantæ Gazæ advenis ostenderentur, quòd autem typis & ære, Tuisque impensis expressa, in publicum prodeunt, id verò beneficium est omni præconiorum cumulo magnificentius. Quid enim? Annon Roma cum Augusto filiorum exercitu eo reviviscit? Annon æternitatem, quam frustra olim affectaverat, assequitur? Annon unô conspectu metitur, quicquid duobus fermè annorum millibus produxerat? idque non supercilioso Imperii fastu elatum, sed gratioso eruditionis jubare delibutum; Neque enim vitio quis verterit, quod &* Germaniam captam, devictam, subactam *hîc memorem; Miseriæ recordatio dulcis est, ubi authores ejus Tibi supplices videas: Vindictæ genus nobilissimum est, iis benefacere*

posse,

posse, à quibus fueris læsus. Licet igitur Romanorum quidam Germaniam olim subactam jactaverint, cujus vix minimam partem attigerant, tantò tamen Germanis hoc gloriosius est, quantò nunc apertius, Germani Principis, *id est* Tuo *in Palatio, non aliquam Romanæ Reipublicæ particulam, sed Romam ipsam, cum omnibus Imperii sui provinciis, cum omni Procerum & Heroum suorum progenie, tanquam in solio quiescere:* Germani Principis, *id est* Tuo *beneficio, nitidissimè adornatam, per orbem Terrarum liberrimè vagari, & memoriæ hominum posteritatisque seque suosq; simul blandissime commendare. Non igitur Restitutiones amplius jactat, nisi ut Te, Serenissime,* Totius Orbis Romani Restitutorem *suô exemplô veneretur: Non Victorias, nisi ut Te* Victorem UBIQUE *proclamet: Non Pacem, nisi ut* Pacificum Tuum Sceptrum *adoret: Non Providentiam, nisi ut Te,* Providentissimi Principis sapientiâ, *felicitati non Tuorum tantùm, sed & exterorum providere doceat: Non Liberalitates & Congiaria, nisi ut* Liberalitatem & Munificentiam *adumbret, quâ Tu non cœco, ut Illa, impetu, sed oculatissimo consilio, bonos demereris, Virtuti proemia ponis, artes & scientias extollis. Sed quis omnia memoret? Aureas Fama Tubas inflat, non Romæ gloriam, sed Tua merita æternitati consecratura; Non Romæ, sed fronti Tuæ coronas imponit, iisq; Te &* Debellatorem gentium, & Ampliatorem civium, & Locupletatorem Orbis *Tuô meritô veneratur. Accedunt & Vota, Serenissime & Potentissime Princeps Elector. Qui nuper cum bonis pro salute Tua Tuorumq; plus quam* decennalia *festivô plausu solvimus, nunc pro eadem* Vicennalia *sanctè suscipimus.* Sic xx! Sic xxx! Sic xxxx. Sic multa! Sic innumera! Tibi, & Tuis, feliciter!



LECTO-



LECTORI BENEVOLO.



Eriem Numiſmatum, quam hoc voluminè protrudo, tam Conſularium, quàm Imperatoriorum, jam ante triennium & typis & ære expreſſeram, intra parietes autem hactenus cohibui, ut accedentibus, quas Romæ coemtas Cimeliarchium Electorale expectabat, Muſæi Belloriani Antiquitatibus, auguſtius volumen conficerem, eoque Gazas Electorales Brandenburgicas ſimul abſolverem. Sed merces deſideratiſſima ut præter ſpem tardius advenit, ita Glorioſiſſimo Noſtro, & nobilioris Antiquitatis cupidiſſimo ELECTORI ſpatium indulſit, præter Belloriana illa, adhuc alia, & quidem non Imaginum Marmorearum tantùm, ſed etiam rariorum Numiſmatum eum numerum coëmendi, ut propoſitum neceſſariò mutandum, aliaque ratio mihi ineunda fuerit. Cùm enim nec impreſſa abolere, nec noviter coëmta ſuis locis inſerere poſſem, quid reliquum erat, quàm opus denuò dividere, ne neceſſe foret, vel rariora omittere, vel enormius volumen conficere. Hanc igitur Numiſmatum Seriem, jam, ut dixi, ante triennium excuſam, nunc tandem ſeparatim edendum cenſui, idque ideò, opinor, non abs ratione, quòd hâc diſtinctione ſimul appariturum ſit, quo ardore ac ſucceſſu SERENISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS in Antiquitatis noſtræ delicias feratur, utpote cujus magnificentia, intra tam breve tempus, tantas antiquitatis Gazas coëmerit, ut non contemnendum volumen vel hæ ſolæ ſibi vindicent. Unica hæc ratio mihi clypeus vel Herculeus eſſe poſſet, contra quamcunque judicii acrioris vehemen-

tiam, si videar operis limites plus æquo protulisse. Sed velim juxta consideres, mihi in Serie hac adornanda idem evenisse, quod Architectis solet, qui Palatiis extruendis non tantùm Lapides figurarum raritate & elegantia spectabiles accumulant, sed & vulgares admiscent, ut structura æquali undique non pulchritudine tantùm, sed & magnitudine sese extollat, & tam usui quâm delectationi servire possit. Disposueram Cimeliarchii Electoralis divitias, certisque captibus eas proponendas distinxeram, ita ut quodlibet Caput certam earundem speciem contineret, totumque opus dimensione & sua & suarum partium æqualiter procederet, & sibi simul ubique responderet. Hoc me agente nemo mirabitur, si series integras hîc videat: Si ea videat, quæ vel *Ursinus* ejusque Restitutor *Patinus* in opere Familiarum: Si & ea interdum quæ Numismatum Imperatoriorum interpretes in suis passim tradidere; Cùm enim Cimeliarchii Electoralis Ideam sequar, omittendæ certè non fuére partes eæ, quibus non minus gloriamur ac reliquis: ne videlicet obscurum esset, quæ alii ex pluribus Cimeliarchiis depicta evulgarunt, ea in Electorali Brandenburgico vel solo, asservari tantùm non omnia. Sed & aliæ rationes attentendæ fuére: Quid enim? annon in multis diversitatem inducunt, vel integræ facies, vel minuta passim signa, quæ inter vulgata non observantur? Ita sub familia *Aburia* clavam videas etiam in eo nummo, qui apud Ursinum ROMA subscribitur: Sub *Æmilia*, Corona radiata Cameli tergo imposita est: In *Antonia*, caput Romæ pro capite Jovis visitur: In *Apronia*, ordo nominum variat: In *Carisia*, figura Emeritæ quadrata se commendat: In *Claudia*, caput Romæ pro capite Dianæ se sistit, inscriptioque retrogada legitur: In *Cælia*, Venabulum Caldi capiti adjectum est: In *Clovia*, Veneris sidus radiat: In *Rustia*, Corona radiata Fortunæ super aram spectatur: In *Ogulnia*, litera G pro C usurpatur: In *Sempronia*, Inscriptio Græca notanda est: In *Servilia*, Dioscuri equites fulgent: In *Titurià*, caput Romæ loco Tatii visitur: Ut alia prætermittam, quæ longo adhuc ordine producere possem. Sed non hoc tantùm. Etiam interpretationis in multis novitas picturæ locum fecit; Quis enim legationem ad Carthaginenses in *Aburia?* Quis effigiem Clymenes in *Accoleja?* Duumviros Coloniæ in *Æbutia?* Sextum prænomen in *Afrania?* Herculem Caco infestum in *Antia?* Planetas in *Clodia?* Regimen Orbis & Regem Bocchum in *Cornelia?* Thetidem in *Crepereia?* Fabii Maximi cunctationem in *Fabia?* Tulli victoriam & pacem cum Fidenatibus in *Hostilia?* Ancum Galeatum in *Martia?* Æsculapium Romam advectum in *Rubria?* Augustum spiritu Cæsaris animatum in *Sanguinia?* Dioscuros & tropæum navale de

de Macedonibus in *Sulpitia?* Fœdus Tulli Hoſtilii cum Albanis in *Veturia* hactenus, niſi me præeunte, deprehendit? Et quid? annon etiam, quæ ubique concurrunt, Hiſtoriarum utilitas & dulcedo in cenſum venerint? quarum altera ſpectandi tædium etiam in vulgaribus diſpellit, altera publico ſervire non minus ceſſat, ac ea, quæ, licet pluribus Authoribus perſcripta: aut ea, quæ, licet pluribus editionibus recuſa proſtent, Eruditorum tamen oculis adeò non diſplicent, ut vel ex vulgatiſſimis recolere volupe ſit, quibus priſca ſe nobilitas decoribus extulerit.

Hæ præcipuæ mihi cauſæ fuerunt, ut eâ, quam hic cernimus, methodo inceſſerim, eæque in limine omninò fuerunt recenſendæ, ne videar vel me non noviſſe, vel non prævidiſſe judicium eorum, quibus nihil omninò placet, niſi quod omnigenâ, non dicam raritate, ſed novitate conſpicuum eſt. Sed hi ferè ſunt, qui Phœbæâ quâdam ingenii claritate quaſcunque Nobilioris Antiquitatis Gazas & irradiant & comprehendunt. Id autem fatendum eſt, eſſe oppidò quàm paucos, indeque paucorum ſublimitas, me quidem judice, utilitati plurium officere non debuit. Quanquàm ſuo palato congruentes hîc, & ſufficientes cupedias, & hos confidam inventuros. Ut enim jam memorata taceam: Taceam & quædam ex ære gravi Numiſmata, quæ ſi quid auguror, nec ipſa diſplicebunt, quis unquam Legionem XVI. cum Leone? Quis Æneæ pietatem in *Julia* reſtitutam? Quis Dioſcuros in *Pinaria?* Quis Antonium à Soſio Præfecto ſignatum hactenus edidit? Quis rariſſimorum Oceanum, qui in ſerie Imperatorum ſe pandit? Quis nova Lumina, quæ paſſim & his aſperguntur? Has ego delicias Scientioribus propono: Indeque ſi quid Tibi diſpliciat, AMICE LECTOR, cogita non Tibi, ſed iis id vulgatum eſſe, qui æquales tecum in Antiquitatis notitia progreſſus non fecere. Horum numerum multò maximum eſſe, vel inde colligas, quòd nobiliſſimum hoc ſtudium à Principum palatiis hodie etiam in ſcholas deſcenderit, quodque nemo ferè Eruditorum ſit, qui hiſtoriarum & eruditionis ſuæ baſin non in antiquitatum reliquiis intueri, ſummè arbitretur & neceſſarium ſibi & volupe! His ut me gratum feciſſe dubium non eſt, ita & à te, ſi rationes meas perpenderis, æquius judicium mihi promitto.

Sed inquis, Tot Numiſmata tantamque Antiquæ ſupellectilis farraginem, & ære conſignare, & ſimul cum Commentario chartis imprimere, impenſarum res proculdubio immenſarum fuerit, indeque nec opus tantum redimere, cuilibet facile; At Ego remedium & hîc exponam, licet meo forſan cum damno conjunctum, ideò tamen non reticendum, quòd præcipuam *Gloria Electoralis* cardinem volvat: SERENISSI-

NISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS, ut Antiquitatibus coëmendis magnificè incumbit, ita & typis & ære vulgandis, ut Eruditorum usui servire possint, sumtus largissime subministrat. Fovent ardorem, ut omnis *Sanctior Ministrorum Electoralium Consessus*, ita in specie fidissimus TANTI ALEXANDRI Hephæstion JOH. CASIMIRUS Liber Baro COLB à WARTENBERG: Gratiosissimus TANTI AUGUSTI Mecœnas WOLFGANGUS à SCHMETTAU, Viri Eruditorum calamo *cum Reliquis* in tantum laudandi, in quantum virtus intelligi potest; Hi enim pronum in artes nobilissimas Electoris Nostri animum, non suffragiô tantùm, sed & consiliô juvant. Hi ex vasto Magnificentiæ Oceanò Liberalitatis rivos adeò sapienter, adeò gloriosè educunt, ut non tantùm in publicas necessitates defluant, sed & Artium & Scientiarum nemora plenis imbribus irrigent; Non igitur lucrum hîc venari mihi necesse est. Sed ut Exemplaria, Electoralibus impensis impressa, Electoralis Munificentia mihi pro studio & labore concessit, ita & pretium statuam, ut quilibet sentiat, non ad impensarum magnitudinem, sed ad gratiæ Electoralis normam id exactum esse.

Vale!



TAN-





Antas delicias, Tantum decus undique totos
Fuderat astrigeni BRENNONIS dextra per Hortos!
Tanta Voluptatis radiabant Germina! Tantum, Tamque illustre jubar!

Ut ARCHÆOPHILUS, non contentus hæc viridaria semel visitasse, pluribus cum PHILORMO diebus illuc ititaret: nunc florum areolas, nunc statuarum ordines, nunc arborum rarissimarum segetes, nunc aquarum artificiosos vortices, mirabundo collustrans oculo. Favebat tempestas, cœlumque vivis afflatibus ora serenârat, adeò ut dubitares, Dii ARCHÆOPHILI desiderio velificarent, an Zephyri Floræque connubio operarentur. Nondum desiisset voluptas, nisi DULODORUS, ex itinere reversus, propositum mutasset. Hunc sibi vel in foro obvium solitâ gratulatione excepit ARCHÆOPHILUS, & illico: O quàm jucundô, inquit, Te ipsum fraudasti spectaculô! Quàm amœno inter innumeras Floræ divitias ambulandi solatio, peregrinantium aspera prætulisti tædia! An ordinem, an copiam laudem? dubius hæreo. Florum Oceanus erat, & rarissimorum & fragrantissimorum: Oceanus, sed qui fluctibus colorum, Brandenburgici Herois celsissima adumbraret decora. Vidi Nomen Electorale octonis iteratum areolis: Vidi Ordinis Anglicani periscelidem: Vidi Sceptrum Electoralis dignitatis insigne Regium: Tam artificiosis omnia adornata ductibus, ut non aurea tantùm, sed & Gemmis distincta noscerentur. Erant Nemora, non Alcinoi aut Pæsti; sed qualia Hesperidum memorantur, aureis pomorum sideribus onusta. Non vigil hæc Draco custodit, sed exercitus Amorum circumvolitat, sed Venus cum pulcherrimo Nympharum comitatu obambulat. Quid dicam Najadum artificiosos hinc inde lusus? Quid aquarum amœna jubila? Cygnorum passim candidos greges? Marmoreas Deorum Dearumque imagines? Parva hæc sunt; sed quòd ipse Apollo cum fatidico Pieridum choro hîc regiam moliatur, Id verò gloria est, omnibus sæculis memoranda. Hortum, inquit DULODORUS, Te lustrasse video, quem equidem, ut verum fatear, ingenti sumptu, nec minore solertiâ Electoris nostri providentia sustentat; Quid autem de *Armamentario?* nam & hoc

hoc Tibi commendaveram videndum; Quid? Anne & hujus cura ſubiit? Floræ Venerisque deliciæ, pudibundus ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Martis horrorem hactenus arcuëre, eoque tardior, opinor, ad eum tranſitus erit, quô magnificentiùs eâ in re Divini ſe Principis Veſtri ardor extollit. An neſcis *Armamentarium novum* exſtrui cœptum? duplicatisque jam in altitudinem fornicibus excreviſſe? Cœptum id eſſe, reſpondit DULODORUS, nec me fugit, licet hactenùs abſentem: Imò & Orthographiam ejus vidi, quam proinde, utpote Heroica Electoris noſtri facinora oſtentantem, hic oſtendo; Sed erit tempus, quô hæc Marmoreô jubare fulgentia etiam Orbis obſtupeſcat. Nunc autem, non ad muros te hærere, ſed intra Martis fornices vellem ingredi, non tam Armamentaria, quàm armorum apparatus contemplaturum. Mihi interim ab itinere quies erit, ut craſtino die, ſi ita Tibi videatur, dilucidandis rurſus Vetuſtatis Gazis eô promptior adeſſe poſſim. Exiluit ARCHÆOPHILUS, & PHILOPYRGUM, inquit, adibo, ut inſtituti mihi dux ſit. Te autem, dum ad antiqua redeamus, Deus ſervet! His dictis DULODORO valedixit, Bellonæque Regiam viſurus, cum gaudio diſceſſit.







Uid mirum, innumeros BRENNONICA SCEPTRA *Triumphos Jactare, & partis vario tot ab hoste Tropæis Implesse immensi vastissima Climata Mundi?*

Quid, inquam, hoc mirum? exclamavit ARCHÆOPHILUS, ad DULODORUM redux, cùm tamen infinitam, non armorum tantùm, sed & stupendarum machinarum segetem Potentissima Domus possideat. Tormenta & Mortaria millenis faucibus hiant, Spectatoribusque etiam muta terrori sunt. Globorum ferreorum ingentes acervi, Thoracum & Cassidum vastissimi ordines, Gladiorum & Hastarum, reliquæque Supellectilis Militaris integri campi, non generum tantùm diversitate se commendant, sed & splendore undiq; illustrissimô coruscant. Quid Equorum, Equitumque imagines memorem? Quid Auri, Gemmarumque ornatum? Quid Phaleras, variarumque Gentium armaturas? Pugnarum Victoriarumque locupletissimos testes, quibus ex variis terrarum Populis, infidelibus etiam, & Turcis, & Tartaris, BRANDENBURGICUS HEROS sibi Tropæa struxit? Tanta apparatuum Martiorum farrago est, ut *Domubus duabus*, quamvis amplissimis, contineri non potuerint. Elegantiora seligere, *tertiamque* iis implere necesse fuit, & hæc judice me, & jure merito ARMAMENTARIUM CURIOSUM inscriberetur.

Rite sentis, inquit DULODORUS; sed omninò considerandum, non tantùm his AQUILAM BRANDENBURGICAM armari, sed majora adhuc in Munimentis Provincialibus asservari. Plures Exercitus instrueres ex singulis. Et nisi hæc præstò forent, quomodo *Gloria Legionum Brennonicarum*, victoriosis ausibus quatuor Mundi Regiones simul pervadere potuisset? quomodo *Primas* ELECTORI NOSTRO *Cæsaris Insula Lauros* porrigere? Quomodo *Victoriæ bonæ felici* Orbis Teutonicus assurgere? Non vetusta loquor. FRIDERICI III. hæc merita sunt, ab ipso Imperii primordio, tàm Bellonæ viribus, quàm sapientiæ Radiis Terrarum felicitati gloriose operantis. Et procul dubio FRIDERICI WILHELMI MAGNI Gloria innotuit: Quô ardore, & quoties hostium Exercitus disjecerit: Quô conatu munimenta Urbium inimicarum fregerit: Quô ausu congelatos Marium campos Equitum peditumque Exercitu

tranſierit, immanibusque & Tormentorum, & Mortariorum, & Curruum ponderibus preſſerit. Hæccine Tu ſine Regio apparatu? ſine Martiæ ſupellectilis immenſo Oceano arbitraris peracta? Neutiquam, inquit ARCHÆOPHILUS. Potius ex ungue hoc Leonem æſtimo, rerumque bellicarum ex copia, etiam copiam Annonæ colligo, cùm hâc ſine, nec bella geri, nec publica ſalus ſubſiſtere poſſint. Recte ſentis, inquit DULODORUS. Fremente undiquaque famelicæ neceſſitatis ejulatu, in Ditionibus Brandenburgicis rerum omnium abundantia, & fuit, & adhuc eſt. Non Urbes tantùm, ſed & Caſtra: Non Granaria publica tantùm, ſed & privata, Glorioſiſſimi PRINCIPIS NOSTRI providentiam extollunt. Sed memoria Poſterorum æternitati HEROEM ſacrabit. Nos à Martio ſpectaculo ad Martium Populum tranſimus. Prodeunt

ANTIQVISSIMA ROMANORUM NUMISMATA.



Aſſem vides, Aſſisque partes. In illo caput Jani & Navim: In his Deorum & Capita & Inſignia. Caput Jani, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & Navis ex Ovidio lucem mutuantur; Ita enim in Faſtis,

— — Cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Interrogat Poëta; Cui Janus ipſe:

Noscere me DUPLICI *posses sub* IMAGINE, *dixit,*
Ni vetus ipse dies extenuasset opus.
Causa ratis superest: Thuscum RATE *venit in amnem*
Ante pererrato FALCIFER *orbe* DEUS.

Apposite locum citas, subjecit DULODORUS; Licet enim, me quidem judice, Nummo non satisfaciat, testatur tamen de antiquitate ejus jam Ovidii tempore. Antiquitas, reposuit ARCHÆOPHILUS, sexcentorum præter propter annorum fuit; Plinius enim æs primùm à Servio signatum author est. Quid de Plinio hâc in parte sentiendum sit, respondit DULODORUS, vel ex Argenteis Romanorum intelligas, quos & ipsos ad Pyrrhi tempora rejicit, cùm tamen ex ipsis Nummis constet, etiam Græcô malleô, jam ante, Romanos argentum signâsse; id quod etiam testimoniô Varronis constat, qui Nummum, non Æreum, sed Argenteum à Servio Tullo conflatum, apud Isidorum & Charisium testatur. Æreum certè Servio antiquiorem faciunt, imò ad ipsum Janum referunt Athenæus & Macrobius: Ad Saturnum, Eutropius & Victor. Nimis vetusta origo foret, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid ita? reposuit DULODORUS. Annon recordaris asserti Pollucis, quod sub Phidone produxi? Erichthonio, IV. Atheniensium Regi, is Nummorum institutum tribuit; at Erichthonius, si historiæ seriem attendas, Jano & Saturno, Regibus Italiæ, fermè ducentis annis antiquior fuit. Et quid si Janus inventum Nummi ex Græcia in Italiam attulerit?

An ex Græcia venit Janus? perrexit ARCHÆOPHILUS. Ita fertur, respondit DULODORUS, & quidem *navibus*, & *ab Athenis.* Audi Victorem: *Ferunt*, inquit, *Creusam Erecthei Regis Atheniensium filiam speciosissimam, stupratam ab Apolline enixam puerum, eumque Delphos olim educandum esse missum: ipsam verò à Patre, istarum rerum nescio, Xipheo cuidam comiti collocatam. Ex quâ cùm ille pater non posset existere, Delphos eum petiisse, ad consulendum Oraculum, quomodo pater fieri posset: Tum illi Deum respondisse, ut quem postero die obviam habuisset, eum sibi adoptaret. Itaque supradictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obviam illi fuisse, eumque adoptatum cum adolevisset, non contentum patrio Regno*, CUM MAGNA CLASSE *in Italiam devenisse, occupatoque monte, Urbem ibidem constituisse, eamque ex suo nomine* JANICULUM *dixisse.* Si res ita se habet, infit ARCHÆOPHILUS, navim ego, in Numismate expressam, non tam ad Saturnum, quàm ad ipsum Janum retulerim, cujus in adversa caput est. Et ad Janum, respondit DULODORUS, & ad Saturnum eam retulerim, non minus ac ipsum etiam caput bifrons; Uterque enim navibus fertur advenisse, prior quidem Janus, quem bifrontem fuisse quis credat? Quis non potius sub capite duplici Imperii societatem intelligat, in quam à Jano Saturnus admissus est? ita ut tunc biformis visus sit, qui antea uniformis erat, eôdem modô, quô Geryon triformis, Justino teste ferebatur, non quòd triplicis naturæ fuisset, sed quòd tres fratres tantæ concordiæ exstiterint, ut unô animô omnes regi viderentur. Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, rationi consentanea sunt, in tertio autem Numismate Navim Capiti Minervæ, in quarto Capiti Herculis, in sequentium



Primò capiti Mercurii appoſitam video. De Minerva, reſpondit DULODORUS, quæ & in ſuperiorum ſecundo cum Venere viſitur, Minerva Ilias in mentem revocetur, & patebit, Numiſmate tertiô adventum Trojanorum adumbrari, non minus ac ſecundô; Trojanos enim navibus adveniſſe, ex Virgilio conſtat: Et Venerem, Æneæ matrem quis neſcit? Hercules ex Dionyſio Halicarnaſſæo lucem mutuatur; Eô enim authore, etiam Hercules navibus inſtructus fuit. Et quis dubitet de Arcadibus, qui cum Evandro influxére, quorumque, poſt Pana, præcipuum Numen Mercurius fuit,

Aurea cui torto Virga Dracone nitet?

Cyllenius vocabatur, vocabatur *Acaceſius*, utrumque ab Arcadiæ montibus, uti *Nonacrites* ab Urbe: in tantùm, ut & Statio L. IV. Theb. *Arcas* appelletur:

— *Virgaque potenti*
Nobilis ARCAS *agat.*

In mentem mihi venit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quod in Spicilegio de Mercurio Epithalamite docuiſti. Is in Eubœa colebatur, reſpondit DULODORUS, indeque dubitem, an ad Romanos pertineat, quorum Origines Numiſmatibus his adumbratas, etiam ex quinto ſuperiorum patet, in quo Concha, Veneris inſigne, cum Caduceo inſigni Mercurii conjungitur. Concham, quæ etiam ſecundi propoſitorum utroque latere viſitur, apud Papinium ſibi vendicat Venus ipſa:

Hæc & cœruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtrâ potuit conſidere CONCHA.

Inquit de formoſa fœmina; Conchâ enim Margaritarum feraci, Venerem conceptam, eâdemque in Cyprum navigâſſe, Mythographorum ſententia eſt. In Numiſmate ultimo, excepit ARCHÆOPHILUS, caput Solis, & in averſa Luna falcata cum duabus Stellis viſuntur. Solem & Lunam, inquit DULODORUS, antiquiſſimos Deorum jam Ægyptiis creditos, Diodori fide conſtat: Et eoſdem Romanis etiam cultos, non diffitebitur, qui Carmen Sæculare Horatii legerit. Stellæ Dioſcurorum videntur, quos & ipſos Rei Romanæ faventes hiſtoria docet: adeò, ut ſecurè affirmare poſſim, ut in præcedentibus origines, ita in hoc ſidera, aut potius Deos Romanorum Tutelares expreſſos eſſe.

Numiſma Tertium, perrexit ARCHÆOPHILUS, quid rei contineat, fateor me neſcire. Gratum proinde erit, ſi & de hoc dicere placeat. Utrin-

que

que Talus eſt, reſpondit DULODORUS, qualem & infra inter Supellectilem Antiquariam producam æreum; Hîc antiquitatem notabis, quòd eo in Numiſmate occurrat, quod inter Romanorum vetuſtisſima ſibi locum vindicat Succedunt

NUMISMATA FAMILIARUM.

Locupletisſimam ſegetem vides, ſed cujus meſſem induſtria non Urſini tantùm, ſed & Illuſtris Patini nobis præripuit. Glorioſa, inquit ARCHÆOPHILUS, horum opera fuit: Licebit tamen, imò publico gratum erit, etiam ex Cimeliarchio ELECTORALI BRANDENBURGICO Familiarum Numiſmata excipere, præſertim ſi non tam Familiarum in iis nomina, quàm res expreſſas intueamur. Quid enim? An ideo hiſtoria non ſcribenda, quia jam ab alio ſcripta? Quid ſi inventis aliquid addi? quid ſi aliquid mutari poſſit? Nonne volupe erit, tot Deorum & Illuſtrium capita? tot facta Illuſtria? tot inventa melioris ingenii, tot ritus denuò contemplatione recolere? quæ ritè publicata, approbare? quæ ſecus, corrigere? Pauca erunt, reſpondit DULODORUS, quæ noſtrô calamô indigebunt. Parebo tamen, ſed ea cum moderatione, ut quæ hiſtorici nihil continent, omittam: quæ ſatis jam illuſtrata ſunt, obiter tantùm recenſeam. In

ABURIA,


C. Aburii ad Carthaginenſes Legatio



Adumbratur, id quod in Conjecturis meis probabiliter deduxi. Si non aſſentiaris, poteris Herculem & navim ad Herculis in Italiam adventum, de quo ſupra: Martem autem ad Martios Romæ Triumphos referre. Hîc notandum, Clavam, quæ Herculis capiti afficta viſitur, apud Urſinum deeſſe. In

ACCOLEIA,

Phaëthontis mater Clymene, & ſorores in Larices mutatæ



Exhibentur. Sorores Phaëthontis in Alnos mutatæ creduntur; At Lariſcolus, ut ad nomen alluderet, veterem quendam Scholiaſten ſecutus, in Larices verſas

 ſtatuit.

ſtatuit. De matre Clymene, ex averſa conjectura ſurgit, nam & hæc Phaëthontis caſum defleviſſe, Ovidio canitur:

Sic flevit Clymene, ſic & Clymeneides altæ,
Quum juvenis patriis excidit ictus Equis.

A C I L I A

Caput Salutis, & ſimulacrum Valetudinis



Expreſſit, utrumque ut ratio Nominis conſtaret, ab Ἀκέιομαι, *Medeor, ſano*, deducti; Neque enim placet, quod Ill. Patinus de IIIviris Valetudinariis excogitavit. In

Æ B U T I A,

L. AEbutius II. vir Coloniæ Corinthi, ſub Antonio,



Prodit. Rarum hoc Numiſma eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Niſi fallor apud Urſinum non exſtat. Exſtat in addendis Patini, reſpondit DULODORUS, ſed Nobilisſimus Author Duumvirum Navalem intelligit, procul dubio ob navim in averſa expreſſam, cùm tamen Corinthi nomen rem ad Coloniam indubiè deducat, non minus ac in aliis apud Urſinum & Vaillantium. In

Æ L I A,


Dioſcuri, & Bigæ Cervorum, aurigante Diana



Viſuntur. Quæ rei ratio? excepit ARCHÆOPHILUS. Numina hæc, reſpondit DULODORUS, Romanæ gloriæ propitia & ſalutaria fuére. Indè conje-

conjectura subit, ad factum Ælii Pæti Prætoris respiciendum esse, qui Picum in capite sibi considentem, morsu suô, in conspectu Senatûs necavit, quòd audisset, eô consecratô, domûs ipsius statum felicissimum, Reipublicæ miserrimum fore: occisô autem, in contrarium utrumque cessurum, id quod & factum est. Sub

ÆMILIA,
Victoria Scauri de Rege Areta,
Et
Privernum à Consule Hypsæo captum



Adumbratur, id quod duplici ex Numismate ut contempleris, differentia inscriptionis facit, cùm in altero Rex Aretas adscriptus, in altero omissus sit. Cæterùm & Corona in tergo Cameli radiata observari meretur; apud Ursinum enim non visitur. De Rege Areta videndus Josephus, & Appianus: De Priverno capto, Livius. In sequenti Numismate

PONS LEPIDI




Exhibetur, quòd sublicium ante, Plutarcho in Numa authore, Lepidus Quæstor lapideum fecerit. An Statua Equestris hâc de causâ, an ob aliud quoddam facinus imposita sit, incertum est. Alia sanè est

LEPIDI PRÆTEXTATI STATUA.



Quòd Annorum XV. Hostem Occiderit, Civem Servaverit, id quod totidem cum Numismate verbis, & Valerius Maximus testatur. Magnifica hæc est, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò, respondit DULODORUS, magnificum est &

TROPAEUM PAULI DE PERSEO.



Concordia pertinet ad Paulum IIIviri fratrem, qui Numiſma ſignavit, ſed averſa Paulum Perſei victorem concernit. Ipſe ad tropæum togatus, adſtantem ab altero latere Perſeum cum filiis deſpicit. Inſcriptum eſt tropæum TER, quòd Tertius is Pauli triumphus fuerit. Hiſtoriam Vellejus, & alii, tradidere. Sequenti in Numiſmate,

LEPIDUS AUGUR
cum Deſultore, Circenſium indice,



Cernitur. An Lepidus hic Triumvir eſt? excepit ARCHÆOPHILUS. Non eſt, reſpondit DULODORUS, ſed antiquior quidam, cujus Vellejus meminit. Deſultor Ludos Circenſes deſignat, impreſſusque eſt in honorem Lepidi IIIviri, quòd is Ædilis Ludos in Circo edidiſſet.

LEPIDUS ET CAESAR
IIIviri,



Rariſſimo hoc in Numiſmate, procul dubio ad utriusque concordiam pertinent; Licet enim ea ficta fuerit, id quod eventus docuit, duravit tamen ad Pompejum usque devictum, quô tempore IIIviratu Lepidum à Cæſare ſpoliatum legimus. Poſſem hîc & Julii Cæſaris Numiſmata ab Æmilio Buca percuſſa producere, ſed commodiùs id ſub Imperatoribus fiet. In

AFRA-

AFRANIA,

an
S. pro SP. positum



Sit? anceps quæstio est. Id Ursinum, inquit ARCHÆOPHILUS, memini statuere. Ita est, respondit DULODORUS, sed annon literam S. commodiùs *Sextum* interpretarer? In

ANNIA

C. Annii æquitas, & Triumphus



Visuntur. C. Annius in Hispaniam contra Sertorium missus, quibus artibus se commendare potuit efficacius, quam expressâ inter pacis & æquitatis symbola Provinciâ? Victoriâ potitus, quid sibi gloriosius signare, quàm quadrigas, aurigante Victoriâ? Duplex dubium oritur, subjecit ARCHÆOPHILUS, alterum de L. Fabio Hispaniensi, alterum de Triumpho. Victoria contra Sertorium Civilis fuit, quæ Triumpho carebat: Et Fabius utique non ab Annii, sed à Sertorii partibus stetit. De victoria, respondit DULODORUS, Flori testimonium est, *Victores Duces externum id magis, quàm Civile bellum videri voluisse, ut triumpharent.* De Fabio, si tempora distinguas, facilè acquieveris; Quid enim, si oppressô domestica fraude Sertoriô, Victori Annio se tradidit? Succedit

ANTIA,

Ubi Antii Restionis effigies, Dii Penates, & Hercules
Cacum percussurus.



Antii Restionis meminit Macrobius. Legis sumtuariæ, excepit ARCHÆOPHILUS, quam tulisse memoratur, etiam faciei macies testis esse potest. Quid autem

autem Dii Penates? quid Hercules Cacum percussurus? Ad Romanorum origines spectant, inquit DULODORUS; Penates enim Trojâ advectos, & Herculem Geryonis spoliis onustum, Cacum clavâ percussisse, quis nescit? Sequitur

ANTONIA,
ubi
IIIviri Frater, PIETAS cognominatus.



IN primo Numismate, utriusque est effigies: In secundo, effigies Triumviri cum simulacro Pietatis. An Pietas temone insignitur? infit ARCHÆOPHILUS. Id in hoc singulare est, respondit DULODORUS, quòd Consul ipse sub hac Pietate intelligatur, cui Rei Romanæ regimen nemo negabit; Et quid, si sub hoc Pietatis simulacro etiam Fulvia lateat, quæ cum Lucio Consule Rempublicam tractavit? Quicquid sit, Lucium, quòd fratris partes foveret, *Pietatis* cognomen assumsisse, ex Dione constat. Ciconia Pietati affictа est, subjecit ARCHÆOPHILUS, at quomodo hæc rei propositæ servire potest, cùm tamen non fraterni, sed filialis amoris exemplum præbeat? Rem non excusaverim, respondit DULODORUS, nisi Lucium fratrem, & Fulviam Uxorem filiali pietate IIIviri partes arbitreris sustentâsse. Sequitur

ANTONIUS, BACCHI AEMULUS,
& Cleopatræ amator,



In Numismate maximi moduli, adeòque rarissimo. Antonium Bacchi æmulum, subjecit ARCHÆOPHILUS, ex hedera agnosco, & nota sunt eam in rem verba Paterculi. De Cleopatra autem dubitem; Occo enim non hanc, sed Octaviam hîc agnoscit. Fallitur, inquit DULODORUS, non minus ac de Cista capiti substrata, quam *cippum* & *aram* vocat. Percussum Numisma esse, postquam ex Græcia in Asiam Antonius transiit, non tantùm ex inscriptione COS. DES. ITER. sed etiam ex Serpentibus, Asiæ symbolo colligitur. Antonius autem, in Græcia Bacchi honores rapuit, in Asia amoribus Cleopatræ se tradidit, id quod ex Dione clarius est, quàm ut doceri debeat.

ANTO-

ANTONII LEGATI
Ahenobarbus, Silanus, Scarpus, & D. Turdus.



Ahenobarbus navim cum Sidere ſignavit, quòd ipſe, Svetoniô teſte, Claſſem Antonio tradidiſſet. Silanus & *Augur* & *Proconſul* dicitur. Ad Antonium à Lepido tranſiiſſe, indeque ei amiciſſimus fuiſſe, Dioni & Plutarcho memoratur. Scarpus, quod ſub Antonio Africam adminiſtraret, uti ex Dione docemur, Jovem Ammonem ſignavit. Averſæ Victoriam, non minus ac eam, quam quarto in Numiſmate Decimus Turdus ſignavit, ad fiduciam Victoriæ contra Cæſarem obtinendæ pertinere, ex adjecto Conſulatu III. & Imp. III. colligitur. Conſulatum tertium Alexandriæ ſuſcepit, anno 723, quô licet, ut Dio ait, ***victoriam ſibi certam promiſit***, tamen ab Auguſto victus eſt. Succedit

ANTONII VICTORIA
Parthica.



Parthica? excepit ARCHÆOPHILUS. Annon Cidaris, ſive Tiara, inſigne Regum Armeniæ eſt? Eſt, inquit DULODORUS, ſed Numiſma Armeniam ſubactam excludit, id quod ex notato in eo Cos. Des. Iter. intelligis; Dione enim teſte, Antonius Armeniam ſubegit, cùm Cos. II. jam iniiſſet. Cidarim autem etiam Parthorum inſigne fuiſſe, ex Numiſmate Auguſti patet, apud Jacobum de Bie p. 13, ubi eadem planè Tiara cum arcu & pharetra, DE PARTHIS inſcribitur. Succedit

PAX

PAX ANTONII & CAESARIS,



Quam Fulviæ mors conciliavit, ſive quòd reverâ ad bellum ipſos incitâſſet, ſive quòd hâc præſcriptione uterentur. Facta ea eſt anno V. C. 713, ex eaque ambo ovantes Urbem ingreſſi ſunt. Videri de ea meretur Dio L. XLVIII. Noſtrum eſt

ANTONII LEGIONES



Inſpicere. Continuâ ſerie XXIII. numeramus, ſed inſtar omnium erunt COHORTES PRÆTORIÆ & SPECULATORUM, LEGIO VI. ab ANTONINO ET VERO RESTITUTA, LEGIO XII. ANTIQVA, LEGIO XVII. CLASSICA, & XVIII. LYBICA. De Legionibus, inquit ARCHÆOPHILUS, ſi quid habes, quæsò ne graveris depromere; parcius enim, quàm res exigit, Urſinus de iis commentatus eſt. De Legionibus Romanorum, inquit DULODORUS, varia apud Scriptores traduntur, varia de numero, varia de nominibus. Pro voluntate Imperatorum, quin pleraque mutata ſint, dubium non eſt, indeque varietas ortum duxit. Res ex Dione conſtat, qui & ſub Cæſare, ex ordine delectuum numeratas, eumque morem ad poſteros manſiſſe, author eſt. *Decimam Legionem*, inquit, (*ſic enim ſecundum ordinem delectuum, Romanæ Legiones nominabantur, hodieque eâdem ratione cognomenta ſua ſortiuntur*) *Cæſar* COHORTEM PRÆTORIAM *ſibi delegit, quod*

quòd eorum benevolentiam, peculiarem quandam, semper senserat. Et alibi de Augusti Legionibus: *Alebantur eô tempore Legiones Urbanæ XXIII. aut, quem alii numerum ponunt, XXV. Nostro tempore solæ XIX. restant: Nempe Secunda Legio* AUGUSTA, *cujus in superiore Britannia sunt hyberna: Tres Tertiæ, una in Phœnicia,* GALLICA *nomine: Altera in Arabia,* CYRENAICA *dicta Legio: Tertia* AUGUSTA *in Numidia: Quarta* SCYTHICA *in Syria: Quinta* MACEDONICA *in Dacia: Sextæ duæ, una in inferiore Britannia* VICTRIX, *altera in Judæa,* FERREÆ *vocabulo insignis: Septima in Mysia superiore,* CLAUDIA *præcipue nuncupata: Octava* AUGUSTA *in Germania superiori: Decima* GEMELLA *in Pannonia superiore, ac in Mysia inferiori,* CLAUDIÆ *cognomento: (Hæ duæ Legiones* à Claudio *sunt nominatæ, quod adversus eum in seditione non rebellâssent.) Duodecima* FULMINATRIX: *Decima tertia* GEMELLA *in Dacia: Decima quarta* GEMELLA *in Pannonia superiori: Decima quinta ab* APOLLINE *cognominata in Cappadocia: Vigesima* VALERIANA, *&* VICTRIX, *in Britannia superiore versantes, quos ipsos ut mihi videtur, cum ea Legione, cui nomen est vigesimæ, ac hyberna in superiori sunt Germania, ac non ab omnibus* VALERIANA *dicitur, neque hodie id nomen retinet, ipse acceptos servavit. Hæ Legiones Augusti supersunt, reliquis autem omnibus dissipatis, aut ab Augusto & aliis Imperatoribus inter cæteras Legiones admixtis, unde* GEMINARUM *appellatio tracta putatur.* Et paulò post: *Nero Legionem primam,* ITALICAM *appellatam, instituit, in inferiori Mysia hyemantem: Galba primam* AUXILIARIAM *in inferiore Pannonia; Septimam in Hispania. Vespasiauus secundam* AUXILIARIAM *in Pannonia inferiori, quartam in Syria* FLAVIAM: *Domitianus primam* MINERVIAM *in Germania inferiori: Trajanus secundam* ÆGYPTIAM, *& Trigesimam* GERMANICAM, *quibus à suo nomine nomen imposuit. M. Antonius secundam in Norico, tertiam in Rhætia, quæ etiam* ITALICÆ *vocantur. Severus* PARTHICAS *primam & tertiam in Mesopotamia, secundamque* MEDIAM *in Italia. Nostro itaque tempore tot sunt Legiones præter* URBANAM *&* PRÆTORIAM.

Quorsum hæc? inquit ARCHÆOPHILUS, si nihil de Legionibus Antonii? Ut agnoscas, respondit DULODORUS, quod ab initio diximus, pleraque ab Imperatorum arbitrio pependisse; Et proindè Antonii Legiones, cum Authores earum notitiam non suggerant, ex Numismatibus certissimô Antiquitatis testimoniô cognoscendas. Numerum Patinus ad viginti quatuor exhibet. Nobis una deficit. Occo ab Illustrissimo Comite Mediobarbo Birago restitutus XXX habet; sed XXXV fuisse, ex Epistola Galbæ ad Ciceronem colligit Ursinus. Eas expressas vides & Navi Antonii Prætoriâ, & in aversis Aquilâ Legionari inter signa Cohortium. Navis Prætoriæ mentionem facit Appianus: Τῇ στρατηγίδι δὲ, inquit, Ἀντωνίου τὴν Καίσαρος στρατηγίδα ἀντέταξεν. Juncta autem hic est Aquilæ Legionari & signis Cohortium, ut Legiones has non terrestres, sed navibus impositas, & navale Antonii robur constituentes agnoscas. Quæ in primo Numismate nominatur, non Legionis nomine venit, sed COHORTIUM, & quidem PRÆTORIARUM. Quid fuerit Cohors Prætoria declarat Sextus Pompejus his verbis: *Prætoria Cohors est dicta, quod à Prætore non discedebat; Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederet, & cætero munere militiæ vacaret, & sesquiduplex stipendium acciperet.* Constituisse autem Cohortes Antonii Prætorias integram Legionem vel ex Aquila agnoscas, quæ non minus ac in reliquis etiam inter signa militaria apparet. Secus est in Numismate secundo, ubi signa COHORTIS SPECULATORUM Laureata quidem, & navium rostris, nullâ autem Aquilâ cernuntur ornata. In quarto LEGIONIS XII ANTIQVÆ mentio est, quæ & ipsa, nisi hôc monumentô ce-

lebraretur, nobis obſcura manſiſſet. Idem de quinti Numiſmatis Legione XVII Classica, & de ſexti Legione XVIII Lybica judicium fert Urſinus.

Ut robur Antonii eò clarius intelligam, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, de numero militum, conſtituente Legionem, pauca ſubjungas velim; Quanquam enim quingentis navibus, quos ducentis Cleopatra explebat, Antonius contra Auguſtum proceſſerit, indeque vires ejus abundè conſtent, Legionum tamen notitiam ad pleniorem rei declarationem nonnihil confido collaturam. Legio, reſpondit DULODORUS, à legendo dicitur, & contra diſtinguitur Copiis auxiliaribus. Romulus Legionem 3000. peditum & 300. Equitum fecit, eamque devictis Sabinis duplicavit. Inde variabat numerus, ut modo 4000. modo 5000. modo 6000. Peditum; itemque modo 200. modo 300. Equitum ſcriberetur. Legio 4000. *quadrata* dicta eſt, quæ in uſu fuit ad C. Marium usque, qui ſex millia peditum, & ducentos Equites, unam in Legionem conſcripſit, non Senatûs auctoritate, ſed ſuô conſilôi. Hunc numerum etiam in Antonii Legionibus retentum eſſe, tacentibus hiſtoriis affinitas temporum evincere videtur. Succedit

LUGDUNUM COLONIA.



Hiſtoria, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Dione conſtat. Numiſmata autem an ſatis dilucidata ſint, neſcio; Quid enim Victoria? Quid Leo? Quid Numeri XL, & XLI? Numeros, reſpondit DULODORUS, annos ab Urbe condita ad Coloniam deductam indicare, Urſinus arbitratur, cùm autem diverſi ſint, neſcio an ratio valeat. Forſitan, inquit ARCHÆOPHILUS, annos ætatis Antonii ſignificant. Ne vel hoc credam, excepit DULODORUS, Numiſma primum facit. In eo cùm nulla nec Antonii, nec IIIviratûs ſit mentio, percuſſum ſtatuere neceſſe eſt à Colonia Lugdunenſi ipſa, vel ab iis qui Coloniam deduxere, antequam Antonio accederent, uti ſecundum ab iisdem, poſtquam firmatô IIIviratu Antonio ſe ſubmiſiſſent. Illuſtriſſimus Mediobarbus literas & numeros interpungit. Si recte, Alam X. Legionis Numiſma arbitrarer percusſiſſe: Legionis ſcil. ejus, quæ Coloniam deduxit, & quam *primam* fuiſſe, ex Numiſmate ſecundo colligere eſt. Imò & illud ex his colligas, Leonem non tam ad Antonium, quàm ad leoninum Legionis robur pertinere, quô victorias vel jactavit, vel ſibi pollicita eſt; Leones enim Legionum inſignia fuiſſe, ex ſequenti,



Licet incerto, rariſſimo tamen Gazæ hujus Electoralis Numiſmate patet: patet & ex Nummis Gallieni apud Illuſtriſſimum Mediobarbum p. 373, adeò ut Leonem

nem à fortitudine Legionis, Coloniæ Lugdunensi insigne datum, haud absurdè forsan arbitremur. Ad Leonem certè alludit & hodiernum Urbis nomen, quod Gallis *Lyon*, Hispanis *Leon di Francia*, Italis *Lione* dicitur. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam hoc Numisma Lugduni percussum est, à Legione XVI. ibidem subsistente. Res incerta foret, respondit DULODORUS, non minus ac de adversæ capite. An Cæsaris id sit, Divi F.? an verò Caji, aliusve ex Cæsarea progenie? indubiè haud dixerim. Antonio certè ne tribuatur, faciei tenuitas & juventus in causa sunt. Sed prodit

ANTONII BALBI PRAETORIS
ex Sardinia triumphus.




Q. Antonio Balbo Prætori Triumphum SCto decretum, Numisma Ursinianum, etiam silente historiâ docet. Caput adversæ apud Ursinum, quod & ipsum possidemus, Jovis est,

Tarpeja tumidos qui sparsit ab arce triumphos;

At in proposito, quod in Ursino non visitur, caput Romæ est, cujus gloriæ Triumphorum gloria operabatur. Sequitur

APRONIA,

Ubi GALUM Apronii cognomen esse,



Patinus arbitratur. Nominum ordo, excepit ARCHÆOPHILUS, videtur contrariari; multò enim aliter in nostris Numismatibus collocata sunt, quam in Patinianis. Si *Galus* Apronii cognomen fuit, quomodo in primo Numismate præponitur, & in secundo, interveniente Messala, ab Apronio removetur? At inquit DULODORUS, hâc ratione non Triumviri, sed Quatuorviri erunt. Id negare non possum, respondit ARCHÆOPHILUS, licet juxta in Numismatibus non Quatuorviros, quales sub Cæsare fuére, sed Triumviros, quales Augustus reduxit, in Nummo vocatos videam, & miror Patinum rem non vidisse, cùm tamen Numisma, propositorum primum, etiam sub Gente Valeria proposuerit. Re ipsâ certè Quatuorviri in Numismatibus his nominantur; *Apronius* enim Gentis nomen est, *Sisenna* cognomen Corneliorum, *Messala* Valeriorum, *Galus* autem vel Asiniorum, vel Memmiorum, vel denique Caniniorum. Quid

dicendum? an Crux hæc Antiquariis fixa? Sed ecce! ſub Cæſare IVviros A. A. A. F. F. fuiſſe, in confeſſo eſt. In confeſſo eſt, Auguſtum eos ad numerum Triumvirorum redegiſſe. Quid igitur, ſi durantibus, qui in Nummo ſcripti ſunt, IIIIviris, Auguſtus eos reformaverit, iique non quidem poteſtatem deſeruerint, Auguſti tamen in gratiam ſe IIIviros nominaverint? Ut conjecturam hanc moveam, facit temporis convenientia, cùm non in his tantùm Nummis *Gallus*, *Meſſala*, & *Siſenna*, ſed & ille in Aſinia, iſte in Valeria, hic in Cornelia ipſum Auguſtum ſignaverint. Conjectura minus placet, inquit DULODORUS. Ordinem contra Patinum minus rectè arbitrarer adduci; Cognomina enim etiam Nominibus præponi ſolere, jam dudum obſervavit Per-Illuſt. SPANHEMIUS Diſſ. VI. p. 305. adeò ut non videam, quidni *Galum* Apronii cognomen ſtatuere poſſimus? Succedit

AQUILIA,

Ibique

Sicilia reſtituta, Armenia capta, & Signa recepta.



Siciliam bellô ſervili proſtratam, virtute militari reſtituit M' Aquillius, ebuccinante hiſtoriam & Numiſmate propoſitorum primô, & Cicerone diſſertiſſimô Eloquentiæ Romanæ Promocondô. Factum id eſt Ao. V C. D C LIII. iteratumque in Numiſmate ſub Auguſto, quòd & ipſe Siciliam reſtituiſſet. Ad eundem Auguſtum etiam *Armenia capta*, & *ſigna à Parthis recepta* pertinent. Signa recepta? excepit ARCHÆOPHILUS. At ſub Aquillia hæc apud Urſinum non viſuntur. Eò rarius eſt Numiſma, reſpondit DULODORUS, licet res expreſſa nec rara ſit, nec obſcura. Idem judicium eſt & de Numiſmatibus Familiarum *Aſiniæ*, *Atiliæ*, *Aureliæ*, *Axſiæ* & *Bæbiæ*; Quid enim in his contemplatione tantoperè dignum? In

ATIA

ATIA,
Atius Balbus, & Sardus Pater



Se ſiſtunt. Numiſma hoc etiam in Patini Imperatoribus videas, ſed nec effigie ſatis concinnâ, neque inſcriptione certâ. Effigies Atii Balbi Prætoris eſt. Inſcriptio averſæ apud Patinum SARD. habet, quam vocem in noſtro vetuſtas abſumſit, reliquis ab altero latere literis TER. adeò, ut his poſitis non amplius dubitari debeat, an caput averſæ ad *Atym* referendum ſit, an ad Sardum? Ex duobus enim his Nummis SARDUS PATER haud obſcurè patet. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen, ut Virgilius loquitur,

Atys, genus unde Atii duxére Latini,

Atiorum & etymon & originem exprimeret, quid autem *Sardus pater*, quem Herculis filium fuiſſe conſtat? Sardiniæ hunc nomen dediſſe, inquit DULODORUS, Martianus Capella Lib. VI. docet, indeque quidni credas, Nummum hunc in Sardinia percuſſum, cùm Atius Balbus ejus Prætor eſſet? Sardiniam Prætoribus rectam, ex Breviario Sexti Rufi conſtat: Et Atium Prætorem fuiſſe, ex Nummo patet, patet ex Svetonii Auguſto, c. 4. *Atia*, inquit, de matre Auguſti, *M. Atio Balbo, & Julia ſorore C. Cæſaris genita eſt. Balbus paterna ſtirpe Aricinus, multis in familia Senatoriis imaginibus, à matre Magnum Pompejum arctisſimo contingebat gradu; functusque honore Præturæ inter XXviros agrum Campanum Plebi Juliâ lege diviſit.* Quibus ex verbis non tantùm honorem Præturæ, ſed & cognationem diſcimus, quâ Pompejum, Cæſarem, & Auguſtum hic Balbus contingebat, adeò ut mirum non ſit, ejus effigiem in Nummo cernere, cùm & reliquorum cernamus. Niſi fallor, infit ARCHÆOPHILUS, apud Goltzium inter Nummos Auguſti habetur caput, à cujus vertice quinque ſpicæ exſurgunt, inſcriptum CÆSAR DIVI F. Quid ſi id, Numiſma noſtrum non ad Sardum patrem, ſed ad Cæſarem Divi F. reducendum ſvadeat? Si enim Literæ CAE in Nummo Patiniano deletæ fuerint, ſequentes ritè SARD. legeris: Et in propoſito, fortè literæ reliquæ TER, vel PER, IIIvirum ITERum, vel etiam IMPERatorem deſignabunt. Si ſpicæ in vertice capitis prominerent, reſpondit DULODORUS, conjecturæ aliquid tribuerem, cùm autem apertè non Spicæ, ſed Criſtæ ſint, & Numiſma præterea barbariem ſapiat, priorem opinionem prætulerim. In

CÆCILIA,

Triumphus Metelli de Poenis



Radiat, annô V. C. DIII. Livio teste, centum & viginti Elephantis superbus. Elegans est inscriptio, quam Illust. Patinus protulit:

S. P. Q. R.
L. METEL. PONT. II. COS. DICT.
MAG. EQ. XV-VIR. AG. DAND.
QUI PRIMUS ELEPHANTOS PRIMO PUNICO
BELLO DUXIT IN TRIUMPHO
PRIMARIUS BELLATOR
OPTUMUS ORATOR
FORTISSIMUS IMPERATOR.

Lucius hic Metellus vocatur, inquit ARCHÆOPHILUS, at in Numismatibus vel Marcus Q. Filius, vel Cajus legitur. Eorum hæc nomina sunt, respondit DULODORUS, qui Numismata signarunt, id autem nihil impedit, ut res expressæ aliûs esse possint. In sequentibus, perrexit ARCHÆOPHILUS, eadem fortasse ratio est. Imò diversa, respondit DULODORUS.

Q. SCIPIO ELEPHANTOS AD PRAELIA condocefecit,



Id quod Hirtius in bello Africano memorat. Eò pertinet Elephas, eò caput Africæ, & Hercules Regionis tutelaris. In sequenti

Q. CÆCI-

Q. CAECILIUS NIGER, & C. HEIUS
IIviri Coloniæ Corinthi



Noſcuntur, non ad frumentum emundum, ut Patino viſum eſt; At Hejus, inquit ARCHÆOPHILUS, ſecundum Ciceronem in Sicilia apud Mamertinos clarus fuit, Siciliam autem *populi Romani horreum* quis neſcit? Hoc nihil ad rem, reſpondit DULODORUS; Corinthi enim non nomen tantùm, ſed & inſigne Pegaſus, imò & Venus ad Coloniam reſpiciunt. Venus, Cæſarei generis Divinitatem arguit, & Cæſarem Coloniam Corinthum deduxiſſe, ex aliis apud Cel. Vaillantium patet. In

C Æ S I A,
Vejovis, Lares, & Vulcanus



Se ſiſtunt, non aliam ob rationem, quàm quòd Auguſtus Larium & Vulcani ſigna dedicavit, id quod ex baſium inſcriptionibus Urſinus probat:

VOLCANO
LARIBUS PUBLICIS SACRUM
IMP. CÆSAR AUGUSTUS. &c.

In


C A L P U R N I A,
Ludi Apolliniares



Celebrantur, quos C. Calpurnium Piſonem, Prætorem Urbanum, anno V.C. DXLII. feciſſe, Livius author eſt. Celebrantur

CALPUR-

CALPURNII
à Calpo Numæ Filio oriundi,



Id quod Plutarchus in Numa teſtatur, adſtipulante & Ovidio:

— Quid memorare neceſſe eſt,
Ut domus à CALPO nomen CALPURNIA ducat?

Numam video, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Terminus? Quid Inſtrumenta Sacrorum? Etiam in his Numæ gloria radiat, inquit DULODORUS; Numam enim Sacrorum ordines inſtituiſſe, imò & Terminum ſacrâſſe, notius eſt, quàm ut doceri debeat. Navis ad Pompejum pertinet, cujus Cn. Piſo, Numiſmatis author, in bello Piratico Legatus fuit. Succedunt

DUUMVIRI AD FRUGES EMUNDAS,



Quos Auguſtum inſtituiſſe, ex Dione conſtat. In adverſa eſt caput Saturni, quòd agriculturam hic in Italia primus memoretur docuiſſe. In


CARISIA
Victoria de Cantabris & Aſturibus



Viſitur, quam ſub Auguſto à T. Cariſio obtentam, Dio memorat; Viſitur


JUNO

JUNO MONETA,



Cum ſignis monetalibus, quòd, Suidâ teſte, Junonis reſponsô, pecuniæ defe-ctum juſtitiæ armis Romani ſuppleverint; Sed

COLONIA EMERITA



Omittenda non eſt, Auguſti juſſu in Luſitania deducta. Rem ex Dione teneo, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed notandum, perrexit DULODORUS, Urbis imaginem hactenus ſemicirculi inſtar, cujus ſubtenſa frontiſpicium eſſet, delineatam fuiſſe, cùm tamen in Numiſmate quadrata ſit, latere aversô ad leges opticas arctiore, duabus autem turribus, non minus ac frontiſpicium, exornatô. In ſequenti

LUDI SCENICI, SUB AUGUSTO
celebrati,




Adumbrantur; At ego, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ad victoriam Cantabricam reſpexerim. Ea quorundam opinio eſt, reſpondit DULODORUS, quod in mediò bucculam arbitrentur exſtare, quam tamen perſonam eſſe, ex adſpectu clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit. In

CASSIA,
Purgatum Vestæ templum, & Lex Tabellaria



Se sistunt. De purgato à Cassio quodam, damnatis virginibus incestis, Vestæ templo, videndus Asconius in Miloniana. Legem Tabellariam tulit L. Cassius Longinus Tr. Pl. anno V.C.DC LIII. In Numismatibus, primo & secundo, Tabellam vides literis A. C. notatam; Vides & Urnam, in quam, ut ex tertio patet, Tabellæ mittebantur. Literas *Absolvo* & *Condemno* interpretaberis, cui tertia formula accessit N. L. ampliationis, quasi *Non Liqueret*.

C. CASSIUS, CUM M. SERVILIO CASCA, Rhodum occupavit.



Ad occisum Cæsarem, inquit ARCHÆOPHILUS, hunc Nummum pertinere, caput Libertatis arguit; sed quid arguat, pertinere ad Rhodum captam? Nomina, inquit DULODORUS, & Acrostirium; Hoc navalem expeditionem celebrat, Illa rem ad Cassium & Servilium deducunt. Rem accipe ex Vellejo: *Dum ea,* inquit, *in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello CASSIUS RHODUM, rem immanis operis, cepit.*

LENTU-

LENTULUS, INTERFECTI CAESARIS Gloriam affectavit.



Præter Cassium, his in Nummis capiti Libertatis appositum, in aversa Lentulus Spinter memoratur, non quòd Libertatis, cæde Cæsaris, ut opinabantur, recuperatæ particeps fuerit; sed quòd conjuratis, post patratam cædem cruentas manus ostentantibus, & ad Capitolium currentibus, latenter se admiscuerit, quasi facti & consilii particeps, uti videre est apud Plutarchum in Cæsare. In

CLAUDIA,

M. Marcelli Spolia opima, & Triumphus de Syracusanis ex Sicilia



Visuntur. M. Marcellus quinquies Cos. anno DXXXI. de Gallis Insubribus & Germanis triumphavit, & spolia opima Jovi Feretrio intulit, Duce hostium Virdumaro ad Clastidium interfectô. Marcellinus Numisma signavit, qui Claudiâ gente natus, & in Corneliam adoptatus, *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus* dictus est. Caput M. Marcelli est, ut ex adjecto Trinacriæ signo patet. In aversa templum Jovis cum ipso Marcello, opima spolia inferente exprimitur, adjectô nomine & Consulatuum numerô; Historiam præter alios Livius Lib. V. & Propertius Lib. IV. Satis clarè hæc ad Numisma primum, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem Spicæ secundi? Triumphum, respondit DULODORUS, de Syracusanis & Sicilia exprimunt; Sicilia enim, ut supra dictum est, P.R. horreum fuit. An eôdem, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam signum Trinacriæ? Poterit, inquit DULODORUS, quanquam potius ex Cicerone dilucidari debeat, qui *Marcellos, antiquissimos Siciliæ Patronos* vocat, Lib. V. in Verrem.

TI. CLAUDIUS,
Pompeji M. in bello Piratico Legatus.



Res incognita non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS; Meminit ejus Appianus in Mithridatico, & Plutarchus in Pompejo. Non hoc, reſpondit DULODORUS, ſed diverſitas Numiſmatis ab Urſiniano meretur inſpici; Caput Palladis vides & literas retrogradas, cùm in Urſino caput Dianæ ſit, & literæ rectæ. In ſequenti exhibentur

PLANETÆ.



Illuſt. Patinus, inquit ARCHÆOPHILUS, hunc Nummum ad Ludos Sæculares refert; Quid autem ad ſæculares Stellæ? Hæc ratio, reſpondit DULODORUS, mihi cauſa eſt, ut in Planetis ſubſiſtere tutius arbitrer, horum certè numerum Sol & Luna & quinque Stellæ implere videntur, quâ autem ratione eas expreſſerit P. Clodius, non facilè dixerim. Succedit

CLAUDIA VESTALIS.



Duplex Claudia Veſtalis in hiſtoria memoratur; Altera, quæ anno V. C. DXLVIII. navem, in medio Tiberis profluente hærentem, quâ Mater Deûm è Peſſinunte arceſſita vehebatur, injectâ zonâ movit, eôque factô ad Librorum Sibyllinorum monitum inceſti ſuſpicionem abolevit: Altera, quæ anno V. C. DCX, cùm patrem ſuum Triumphantem, è curru violentâ Tr. Plebis manu detrahi animadvertiſſet, mirâ celeritate utriſque ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit. Hæc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in Cicerone, Svetonio & Valerio Maximo me legiſſe memini; At quæsô DULO-

DULODORE, an caput, Claudiæ Veſtalis eſt? Eſt Floræ, inquit ILLE; Floram enim non ex flore tantùm à tergo addito, ſed etiam ex corona agnoſcas ex floribus contexta. In

CLOVIA,
Victoriarum Cæſaris Prudentia comes



Occurrit. Hoc Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS ab Urſiniano Stellâ differt, quam à Victoriæ tergo affictam cerno. Veneris id ſidus eſt, reſpondit DULODORUS, ſive Cæſaris, quem inſcriptio arguit, maternum. Hoc quidni Victoriæ jungatur, cùm tamen Venus, & Victrix & Genetrix, præliorum ei teſſera fuerit? Victorias hîc Cæſaris adumbrari non dubitabis, & cùm Victoriam comitetur Serpens, Prudentiæ genius, credibile eſt, C. Clovium, cùm, ut inſcriptio teſtatur, à Cæſare, tertiùm Dictatore, Præfecturam Urbis nactus eſſet, inſignem Cæſaris Victoris hôc monumentô adumbrâſſe & prudentiam & moderationem. Annon potius victoriam Africæ Serpens denotabit? inquit ARCHÆOPHILUS. Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, quanquam etiam ad Minervam pertinere poſſit, utpote ei ſacer. An Minerva in Numiſmate? excepit ARCHÆOPHILUS. Eſt, inquit DULODORUS, idque ex Ægide colligas, ornamentô Minervæ propriô. Si huc reſpicias, etiam ſic Cæſaris prudentia connotabitur. In

COELIA,
Cœlius Caldus Septemvir Epulonum, Jovis lectulum ſternens,




Viſitur. In epulo Jovis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quod in Capitolio celebrabant VIIviri Epulonum, Jovem in lectulo, Junonem & Minervam in ſellis ad cœnam invitatos, ex Valerio Max. Lib. II. c. 1. conſtat. Inde, inquit DULODORUS, facile collegeris, VIIvirum Jovis lectulum ſternentem in Nummo exhiberi; Cæterum in Numiſmate ſecundo, quod apud Urſinum non habetur, illud rarum eſt, quod Caldi, cum L. Domitio Ahenobarbo anno 659. Conſulis, Caput cum Venabulo eſt, cùm in priore, locô venabuli Labarum, HIS inſcriptum, & à fronte Aper habeatur, adeò ut Aper Venabuli, Venabulum Apri ratio-

rationem videantur pandere; Quid enim hæc nisi Venationem quandam adumbrent? Vocabulum HIS. excepit ARCHÆOPHILUS, quod procul dubio factum ad Hispaniam reducit, in mentem mihi revocat Numisma modernum, superiore sæculô percussum, in quo David Goliathum fundâ sternens, & in aversa Leo cum Apro congressus, sequenti lemmate inscribuntur:

Ut Goliath sævum stravit Jesseia funda,
Hispanum Batavus sic Leo pressit Aprum.

Intempestivè, respondit DULODORUS, & ad Numisma nihil, cùm non venationem Hispanicam, sed expeditionem aliquam bellicam labarum arguat. Literæ IMP. A. X. *Imperator Augur Xvir* leguntur. L. Caldus VIIvir, C. Caldi IMP. A. X. frater, & Caldi IIIviri, qui Ciceronis Quæstor legitur, Pater: filius autem C. Caldi Consulis fuisse, creditur. In

CONSIDIA,
Templum Veneris Erycinæ



Prodit. Id in Sicilia fuit, inquit ARCHÆOPHILUS; Imò, respondit DULODORUS, fuit & Romæ. Dubium igitur erit, regessit ARCHÆOPHILUS, utrum in Nummo expressum sit? Dubium non est, subjecit DULODORUS, cùm Templum Siciliæ desolatum, id autem, quod Romæ fuit, insigni porticu ornatum, Strabo memoret. Porticus utique in Nummo ad oculum patet, & templi meminit etiam Ovidius Lib. IV. Fastor:

Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet, à Siculo nomina colle tenent.

CORNELIA,
Regimen Orbis terrarum, Populo Rom. Gloriosum



Jactat. Res ad oculum patet. Caput Diadematum cum affixo Sceptro, *Genii Populi Romani* esse, ex inscriptione discimus. Sceptrum & Diadema, Majestatem: Sceptrum Coronâ ornatum, Majestatem gloriosam ostendunt: Et ut gloriæ causam agnoscas, additus Temo est, symbolum Regiminis: Additus & Globus, orbem designans, Romano Imperio subjacentem. Si res ita se habeat, inquit

quit ARCHÆOPHILUS, M. Lentulus, qui in Nummo deſcribitur, non poteſt is eſſe, qui anno V.C. 607. Conſul fuit; tunc enim nec Græcia adhuc nec Aſia ſubactæ erant. Si hunc intelligere nolis, reſpondit DULODORUS, poteris juniorem aliquem; Quanquam nec Orbis adeò latè ſumi debeat, quæ enim Romana nondum fuére, Romanus comprehendere non potuit. At mihi, excepit ARCHÆOPHILUS, ipſa globi hujus delineatio, & Græciam, & Aſiam, & Ægyptum, omneſque Mare mediterraneum ambientes Regiones adumbrare videtur. Videſne internam globi planitiem exiguis ductibus à circulo globi diſtinctam? Hæc quid ſi mare mediterraneum undique terris præcinctum adumbret? Si hoc arbitreris, inquit DULODORUS, Numiſma ad Pompeji M. tempora reducetur, ſub hoc enim Romanus omnia maris mediterranei litora poſſidebat. Quidni ad Auguſti tempora reſpiciamus, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cùm etiam ſub hoc Cn. Lentulus Conſul memoretur? Inſcriptio obſtat, reſpondit DULODORUS, in ſecundo Nummo Lentulus *Curator Denariorum Flandorum* dicitur, quô nomine dicti ſunt monetæ Præfecti, antequam IIIvirorum nomen invaleſceret. Sed hæc utcunque placeant. In ſequentibus memoratur

JUL. CAESAR HOSTIS JUDICATUS.



Denarios hos ſignarunt C. Marcellus & Lentulus, Conſules anno DCCIIII. Hos ideò creatos, ut omni honore & dignitate Cæſarem exſpoliarent, Hirtius L. VIII. de bello Gallico memorat: Et reverâ SCtum factum eſt, ut ante certam diem Cæſar Exercitus dimitteret, ſi non feciſſet, hoſtem habendum, ac contra patriam egiſſe judicandum, uti apud Dionem L. XLI. videre eſt. Quid hoc ad Numiſmata? inquit ARCHÆOPHILUS. Annon vides Signa militaria, reſpondit DULODORUS, inſtantis belli indubitata indicia? Annon Jovem Ultorem, Aquilâ protensâ aram, aut Sacra patria, tuentem? fulmenque contra Rebelles ſtringentem? Annon Plutonem ſcelerum, etiam poſt mortem, vindicem? Sequitur

JUGURTHA à BOCCHO SULLAE TRADITUS.



Nota eſt hiſtoria, excepit ARCHÆOPHILUS. Illud autem monendum, reſpondit DULODORUS, caput ſecundi Numiſmatis Regis Bocchi eſſe, uti demonſtratum me dediſſe arbitror in Conjecturis meis: Notandum, Jugurtham in Numiſmate primo non imberbem, ſed longiſſimâ barbâ conſpicuum eſſe. Ita & tra-

& traditionem hanc non Numiſmate tantùm, ſed & annulô Sullæ ſignatoriô impreſſam, ex Plutarcho, Plinio, Valerio Maximo conſtat; Imò & Bocchus ipſe eam aureis in Capitolio ſignis ſtatuiſſe legitur, quam cùm Marius irâ incenſus diſturbaturus, à Sulla prohiberetur, orta ſeditio eſt. Succedunt

SULLAE TROPAEA & CORONAE.



De Tropæis Sullæ Plutarchum citant, in ejus Vita, & de Fortuna Romanorum. Tanta earum jactantia fuit, ut & ipſa annulo inſculpta geſtaverit. Ἐνεγέγλυπτο ἐν αὐτῷ Τρόπαια τρία, ὥσπερ καὶ ἐν τῷ τοῦ Σύλλου. *Tria in eo Tropæa, quemadmodum etiam in Sullæ ſigno, ſculpta erant*, inquit Dio Lib. XLII, de annulo Pompeji locutus. Ad Coronas quatuor, quatuor Sullæ Triumphos citant, ex Græcia, Aſia, Ponto, & Rege Mithridate. Rem pluribus deducere ſuperſedeo. Nota eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Sed de capite primi Numiſmatis audire velim, neque enim admittere poſſum, quod Urſinus ait, Sibyllam videlicet hanc eſſe, figuramque cum Palma adſtantem, reſponſum ab Apolline petiturum. Quid enim? Annon alæ figuræ juvenili affictæ, Cupidinem arguunt? & annon Cupido Venerem? quæ & ſecundo in Numiſmate corona myrtea coronata viſitur? Optimè hoc obſervas, inquit DULODORUS, quanquam enim Sceptrum, quod Veneris capiti in Numiſmate ſecundo additum eſt, Junonem potiùs arguat, convenit tamen & Veneri, utpote *Reginæ* non *Gnidi* tantùm *Paphique*, ut Horatio vocatur, ſed omnium viventium. Adde quòd Venus eadem cum Luna Veteribus viſa fuerit, Luna autem, Plutarcho teſte, dormienti Sullæ fulmen viſa ſit tradere. In

CORNUFICIA,

Cornuficius Augur, cum Junone Siſpita,



Viſitur. Q. Cornuficius Augur Imp., Ciceronis in Conſulatu Competitor, & in Augu-

Auguratu Collega, ex Epist. 17. 18. 20. & 22. ad eum scriptis intelligitur. Junonem Sispitam, expressit cum pelle Caprina, Hasta, Scutulo, & Calceolis repandis, qualiter eidem Ciceroni describitur; an autem ideo ab ea cornetur, quòd à Lanuvio fuerit oriundus, fateor me nec dum certò scire. Sub

COSSUTIA,
Caput Medusæ, & Bellerophon,



Exhibentur. Medusa & Bellerophon in antiquaria penu novi nihil sunt. In Numismate autem hoc Corinthum indigitant, Cæsaris Coloniam. De Bellerophonte, inquit ARCHÆOPHILUS, res clara est, quid autem Medusæ caput ad Corinthum? Annon recordaris, respondit DULODORUS, Pegasum ex Medusæo sangvine esse prognatum? De Colonia Cæsaris Corintho, jam supra vidimus. L. Cossutius C. F. Sabula, filius creditur ejus, qui Cæsare jam rerum potiente, duos alios denarios percussit, de quibus sub Imperatoribus dicetur. In

CREPEREIA,
Caput Thetidis & Neptuni Bigæ



Sunt. Bigas Pegasorum à Neptuni curru religatos inter Gemmas vidimus, hîc Equos marinos contemplamur, solitum Neptuni pecus. Non hoc in dubium venit, inquit ARCHÆOPHILUS, sed caput adversæ. Thetidis id esse, respondit DULODORUS, aut Nereidis alicujus, ex fluxis capillorum cincinnis, humerisque natantium more nitentibus collegerim, adeò ut non absurdè rem aliquam mari prosperè gestam Q. Crepereius hîc adumbrâsse, Ursino credatur. Sub

DIDIA,

Diſciplina Militaris, & Villa publica,



Prodeunt. In primo Numiſmate Centurio militem vite cædit, idque ad morem, cujus Livius meminit, in Epit. *Quem militem,* inquit *extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, VITIBUS, ſi extraneus, virgis cæcidit.* Sed plura in hanc rem ex Plinio Lib. XIV. c. 1. Tacito L. I. Juven. Sat. V. Lucano L. VI. Silio L. VI. & XII. congeſſit Urſinus, qui & de Villa publica ex Cicerone ad Att. L. IV. Livio & M. Varrone de re ruſtica L. I. c. 2. quibus ex locis, extra Urbem in Campo Martio fuiſſe, colligitur. Sub

DOMITIA,


Cn. Domitii Ahenobarbi venatio Circenſis



Intelligitur, quâ Leones Numidicos centum, totidemque Numidicos Venatores dediſſe memoratur. Plinii in hanc rem verba citantur L. VIII. c. 36. Plinius, inquit ARCHÆOPHILUS, non Leones ſed Urſos memorat. Scio, reſpondit DULODORUS, ſed error per ſe patet; Urſos enim Numidia non gignit, & in Numiſmate non Urſum, ſed Leonem ſub Bigis cernimus. In ſequenti,

Cn. DOMITII AHENOBARBI

Tropæum navale



Prodit. Svetonii verba rem explicabunt. *Cn. Domitius,* inquit, in Nerone c. 3. *inter conſcios Cæſarianæ necis, quanquam inſons, damnatus lege Pædiâ, cùm ad Caſſium*

Caſſium Brutumque, propinquâ ſibi cognatione conjunctos, ſe contuliſſet, poſt utriusque interitum claſſem retinuit, auxit etiam, nec niſi partibus ubique profligatis M. Antonio ſponte & ingentis meriti loco tradidit &c. Hæc Svetonius. De Claſſe Antonio traditâ ſuprà vidimus. Ad propoſitum plura docebunt Appianus & Dio, qui poſterior *multa rebus hoſtium damna eum intuliſſe*, memorat, quod ad tropæum in Numiſmate expreſſum egregiè facit. Prodit &

L. DOMITIUS
Victoriam Regillenſem à Dioſcuris nunciare juſſus.



Dioſcuros video, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed L. Domitium non video. Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS; Cn. enim Domitius Nummum ſignavit, ſed Dioſcuri omninò ad Lucium referendi ſunt, de quo Svetonius: *Ahenobarbi*, inquit, *authorem originis, itemque cognominis, habent L. Domitium, cui rure quondam revertenti, juvenes gemini auguſtiore formâ ex occurſu imperaſſe traduntur, nunciaret Senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem Majeſtatis permulſiſſe malas, ut è nigro rutilam ærique aſſimilem redderent, quod inſigne manſit & in poſteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt.* Succedit

F A B I A,
ubi
Fabii Maximi prudens cunctatio.



His Nummis temeritatem Ducis bellici damnari, in Obſervationibus meis abundè docui. Fulmen potentiæ bellicæ ſymbolum creditur. Potentia bellica cum utilitate publica conjuncta eſt, non minus ac in Numiſmate cum Cornucopiæ fulmen; Si temerè emittatur fulmen cornucopiæ alligatum, nonne omnem ſimul opulentiam proſternit? & ſi temerè emittantur vires bellicæ, nonne utilitatem publicam peſſum rapient? Temeritatis exemplum Q. Fabius in Magiſtro Equitum habuit. Exemplum prudentis cunctationis dedit ipſe, nequicquam Annibalis jactantiâ fractus. Livius rem pluribus enarrat.

NUMERIUS FABIUS
Flamen Quirinalis



Succedit. Flaminis Quirinalis habitus, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ut video militaris eſt? Non Flaminis, inquit DULODORUS, ſed omninò Romæ hoc ſimulacrum eſt, Flaminem autem ex Apice Flaminii inſigni colligimus, & Quirinalem ex inſcriptione. De Flaminibus videri poteſt Roſinus L. III. c.15. ſeq. Ubi & pilei deſcriptionem ex Joſephi Scaligeri Conjectaneis in Varronem profert. De Fabio Flamine Quirinali teſtis eſt Livius, qui Urſino allegatur. Sub

FONTEJA,
Manii Fonteji, Tribuni Militum,
Triumphalis fortitudo



Prodit. Manium Fontejum, inquit ARCHÆOPHILUS, Q. Servilii Cæpionis, bellô Italicô Legatum Appiano memorari, Urſinus ait; at de fortitudine nihil apud Authores legimus. Quid tum? reſpondit DULODORUS. Nonne & Numiſmata hiſtoriarum teſtes ſunt? Sunt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nec de Fontejo negare auſim, cùm Equitem contra hoſtes proſtratos præliantem ejus in Nummo videam; An autem fortitudo ejus *Triumphalis* appellanda ſit, de eo forſan non abs ratione dubites. Id ipſum, inquit DULODORUS, evincit caput Triumphi in adverſa. Caput Triumphi hîc galeatum eſt, cum in gente Papia ſit Laureatum, utrinque autem tropæum à tergo affictum radiat, id quod Triumphi inſigne eſſe, palam eſt. In

HOSTI-

HOSTILIA,

Pallor & Pavor, cum Pace Fidenatibus datâ,



In Tulli Hostilii gloriam depinguntur. Primum Tulli Hostilii bellum, quod cum Albanis gessit, Tergeminorum fratrum fatô, an virtute, compositum est: Secundum ei cum Fidenatibus fuit. Ad id cùm Albanorum, lege victoriæ sibi subjectorum, copias simul eduxisset, jamque in acie staret, Metii Fufetii perfidiâ territus, *Pavori* & *Pallori* fana vovit, eóque factô, nequicquam se subducentibus Albanis, victor evasit. Historiam, inquit ARCHÆOPHILUS, memini me in Livio legisse, appositè ad Numismata, in quorum primo Caput *Pavoris*, in secundo autem *Palloris*, adeò nativis ductibus expressit Sculptor, ut etiam in argento affectus videas, licet vita destituto. Non hoc tantùm, perrexit DULODORUS, imò & Tullum recordaberis inter fugæ metum pugnantem, in aversa primi, ubi Martis retrò pugnantis bigæ cernuntur. In secundo Numismate, subjecit ARCHÆOPHILUS, Dianam Ephesiam video. Ea propriè huc non pertinet, respondit DULODORUS. Ad Præturam Asiaticam refertur Ursino. Saserna autem is creditur, quem à Cæsare Lepti cum præsidio relictum Hirtius asserit. De pace Fidenatibus victis data, quæ tertio Numismate per Clementiam & Victoriam non Tropæô tantùm, sed & Caduceô insignem adumbratur, pluribus egi in Observationibus p. 24. Succedit in

JULIA,

Æneas, Patrem & Palladium Trojanô incendiô eripiens.



Notum est hoc Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS. Præter Æneam etiam Venerem exhibet, Æneæ matrem: Estque in gratiam Cæsaris percussum, genus

ab Julo, Æneæ filio, repetentis. Restitutio rara est, respondit DULODORUS, hactenus enim in hoc Numismate non apparuit. Succedunt

CAESARIS TROPAEA
de Gallis & Germanis,



Mirum, tropæa hæc in Nummis occurrere, cùm tamen unici, quod Cæsar de Pharnace statuit, Dio mentionem fecerit: imò cùm, superatis in Hispania Pompeji Legatis, per Pyrenæos transiens, nullum tropæum excitasse, eidem Authori memoretur. Fortassis, inquit ARCHÆOPHILUS, ad tropæum de Pharnace respiciendum; nihil enim in Nummis est, quod opinionem impediat. Est Barba captivi, respondit DULODORUS, ad tropæum religati, quæ Pharnaci non quadrat: Est absentia titulorum, Dictaturæ, Consulatus, Imperatorii honoris. COS. II. DIC. ITER. & IMP. II. audiebat, cùm Pharnacem vinceret; cùm autem Gallos & Germanos, nihil horum, sed solius Pontificatûs Maximi potuit insignia signare, id quod in lituo secundi, & in secespita tertii Numismatis credi potest fecisse. In

JUNIA,
Brutus & Ahala, Libertatis Vindices,



Surgunt. An is hic Brutus est? inquit ARCHÆOPHILUS, qui Cæsarem occidit? Non est, respondit DULODORUS, sed is qui Reges ejecit: Quanquam verisimile sit, Brutum Cæsaris parricidam Numisma signasse; Denariorum enim ætas, ut ex Plinio constat, libertatis post Reges primordia non attingit. Hæc si ita sint, subjecit ARCHÆOPHILUS, annon ritè dubitetur, an effigies

effigies hæc vera ſit? unde enim id potuit deſumi? A Statua, reſpondit DULODORUS, quam æneam in Capitolio ſtrictô enſe inter Reges poſitam, Plutarchus author eſt, & cui, Cæſare rerum potiente, ſubſcriptum: UTINAM VIVERES! Svetonius memorat. Sed non Bruti tantùm, imò & Ahalæ, qui ut infra dicetur, Sp. Melium, Tyrannidem affectantem, occidit. Ita enim Cicero, appoſitè ad Nummum: *Si Authores ad liberandam patriam deſiderarentur, illis authoribus Brutos ego impellerem, quorum uterque L. BRUTI IMAGINEM videret,* alter etiam *AHALÆ.* Sed

BRUTUS, PRIMUS CONSUL,



Procedit. Etiam hoc Numiſma Brutus, Cæſaris parricida, percuſſiſſe potuit, ut gloriam facinori ſuo, ex progenitoris ſui gloria circumponeret. Libertatis caput, libertatem ejectis Regibus indicat. Quatuor figuræ, Conſules, *Jun. Brutus & L. Tarquinius Collatinus,* aut ſi mavis *Publicola,* cum *duobus Lictoribus,* ſunt. Lictores, inter cætera Regiæ dominationis inſignia, Etruſcorum exemplô aſſumſit Romulus, retinuére Reges, ad Conſules traduxit Brutus. Faſcibus jungitur terror, quem pro libertate Brutus ipſe, vel contra filios ſtrinxit, poſteris documentô, Reipublicæ ſtatum incolumem eſſe non poſſe, niſi juſtitia majeſtatem, & comitetur, & defendat. In

L I C I N I A,

Craſſus, à Cæſare Equitatui præfectus,



Occurrit. Ipſe Cæſar ejus meminit L. I. Belli Gallici. *P. Craſſus,* inquit, *qui Equitatu præerat* &c. Nec meminit tantùm, imò & geſta ejus paſſim recenſet: quòd contra Arioviſtum pugnantis aciem, Equitatu ſubmiſsô reſtituerit: quòd ad Venetos, Unellos, Oſiſmios, Curioſolitas, Seſuvios, Aulercos, Rhedones miſſus, omnes eas Civitates in ditionem, poteſtatemque P. R. redegerit: quòd in Aquitania Sotiates debellaverit, ut reliqua taceam, quæ pluribus ex Authore hauriri poſſunt. Ad Equum, inquit ARCHÆOPHILUS, & Craſſum militari habitu ſtantem hæc appoſitè, quid autem caput in averſa muliebre? Veneris eſt, reſpondit DULODORUS, pertinetque ad Cæſaris genus, de quo jam ſæpè diximus. Succedit


AUGU-

AUGUSTI STATUA EQVESTRIS, Apex & Ancilia.



Cel. Vaillantius, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, hanc Statuam menſe Martio, cùm Salii ſolennia celebrarent, arbitratur fuiſſe erectam. Scio, reſpondit DULODORUS, cùm autem Salii Patricii eſſent, P. Licinius Stolo autem, qui in Nummo memoratur, plebejus fuerit, neſcio an ad Salios reſpici debeat, præſertim cùm apicem & ancilia, in alio Nummo, idem Author cum Urſino Auguſti Sæcularibus relinquat. Quicquid ſit, Ancilia hîc contemplari volupe erit, volupe erit contemplari & Apicem, cujus jam ſuprà mentio fuit. Ancile breve ſcutum, ex utroque latere reciſum eſſe, Sextus Pompejus ait, Numa Pompilio regnante tale è cœlo memorans cecidiſſe, editâ voce, potentisſimam fore Civitatem, quamdiu id in ea manſiſſet. Hiſtoriam habet etiam Plutarchus in Numa, & notandum, eandem planè eorum formam etiam in Antonini Pii Nummo proſtare, adeò, ut non abs ratione de iis dubites, quæ Anton. Auguſtinus in Gemmis protulit, figurâ à propoſitis multum differente. Hæc in medio ſint, inquit ARCHÆOPHILUS. In ſequenti annon memoratur

CRASSUS ANTONII LEGATUS?




Memoratur, reſpondit DULODORUS, id quod ex Navi & Crocodilo colligimus, quorum hic Ægyptum, illa navalem Antonii potentiam arguit: Et ſuffragatur Plutarchus, cui Craſſus hic ἀνὴρ παρὰ Ἀντωνίῳ δυναμένῳ μέγιστος, *Vir apud Antonium rerum potito maximus* vocatur, & quem Antonius, re, inter ſe & Cæſarem, ad bellum vergente, cum ſexdecim Legionibus ad mare juſſit deſcendere. Hæc Patinus, excepit ARCHÆOPHILUS, Nos ſi placet ad alia tranſibimus. Sub

LOL-

LOLLIA,


Roſtra Romanorum



Se ſiſtunt, perrexit DULODORUS, quæ ſimul cum Libertatis capite expreſſit Palikanus. An is hic eſt, quæſivit ARCHÆOPHILUS, qui Tribunus Plebis, & homo ſeditioſiſſimus, Valerio Maximo Lib. III. c.8. vocatur? Is ipſe, reſpondit DULODORUS; Roſtra enim expreſſit, quod Tribuni Pl. in Roſtris conciones haberent, ut ſcribit Cicero in Piſonem; Poteſtas autem Tribunicia, quam Sylla Tribunis ademerat, Palicano authore, populo à Pompejo fuit reſtituta. Roſtra navium video, excepit ARCHÆOPHILUS, quid hæc ad Tribunorum ſuggeſtum? Ea ſunt, reſpondit DULODORUS, quæ ab Antiatibus capta, ſuggeſtum exornarunt. Ita enim Livius Lib. VIII. *Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductæ, partim incenſæ, ROSTRISQVE earum SUGGESTUM in foro exſtructum, adornari placuit: ROSTRAQVE id templum appellatum*, Videri poſſunt & Varro L. IV. de L. L. & Cicero pro Lege Manilia. Sequenti Numiſmate prodit

LUCRETIA,

à Trionibus cognominata;



Quid enim aliud ſeptem ſtellæ, in Numiſmate expreſſæ, quàm ſeptem Triones? Elegans de his locus Varronis eſt, L. VI. de L. L. *Triones olim Boves*, ait, *dictos, quaſi TERIONES, indeque poſtea ſtellis indita nomina, quòd antiquis Ruſticis eſſent obſervata.* Sed quid caput Solis? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid Luna? Niſi ad Sæculares referas, reſpondit DULODORUS, quo pertineant non video. Sæcularibus Solem & Lunam cultos, jam ſupra monui, & quidni ſignaret Lucretius, à ſideribus cognominatus, præter ſeptem Triones, etiam Solem & Lunam ſiderum Principes? Succedit

LUTATIA,

ubi


Lutatiorum Triumphi, alter de Falifcis, alter de Pœnis & Sicilia.



Scio, inquit ARCHÆOPHILUS, Urfinum utriusque Lutatii Triumphum hoc Numifmate expreffum agnofcere, fed mihi ratio obfcura eft. Navi quidem Triumphum de Pœnis exprimi, facile credam, at quô fymbolô alter de Falifcis? Coronâ Querceâ, refpondit DULODORUS, & duplici in caffide Stellâ. Stellas, excepit ARCHÆOPHILUS, Diofcurorum crediderim, Numinum Nauticorum; At Diofcuri, refpondit DULODORUS, etiam terreftribus prælîis Romanos juvârunt. De victoria navali videri poteft Polybius, de terreftri Livius in Epitome. In

MAMILIA,

Ulyffes, in Patriam redux,



Occurrit. Ulyffem cernis pileatum, qualem Nicomacho factum, Plinius fcribit: Vides cum Cane, à quo, cùm reverteretur, agnitum, Homerus cecinit, Odyff. P. ỳ. 300.

Ἔνθα Κύων κεῖτ' Ἄργος ἐνίπλειος κυνοραϊστέων.
Δὴ τότε γ' ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα, ἐγγὺς ἐόντα,
Οὐρῇ μὲν ῥ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.
Illic Canis jacebat Argus plenus ricinorum.
Jam tunc ftatim ut agnovit Ulyffem prope euntem,
Cauda quidem hic adulatus eft, & aures dejecit ambas.

Ad Ulyffem hæc appofitè, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Mercurius? & quæ ratio utriusque in Mamiliorum Nummis? Mercurius, refpondit DULODORUS, itinerum præfes ideo affictus eft, quòd Ulyffem poft diuturnos errores in patriam reduxiffet: Ulyffes autem, quod Mamiliorum gens ab Ulyffe, Deaque Circe, defcenderet: Verba Livii rem teftantur: *Octavio Mamilio Tufculano*, inquit, *is longè princeps Latini nominis erat, fi famæ credimus, ab ULYS-*

ULYSSE Deaque CIRCE oriundus. Res bene ſe habet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At ſequenti in Numiſmate, nonne exhibet

MANLIA,
Manliorum à Torque cognomentum?



Exhibet, inquit DULODORUS, idque ſub Torque ipſo, quem Gallo detraxiſſe Manlium, Livius, Plutarchus, & Cicero memorant. Factum ex Eutropio audire placet: *L. Genutio & Q. Servilio Coſſ. T. Quinctius Dictator adverſus Gallos, qui in Italiam venerant, miſſus eſt. Hi ab Urbe quarto miliario trans Anienem fluvium conſederant. Nobiliſſimus è Senatoribus T. MANLIUS provocantem Gallum ad ſingulare certamen congreſſus occidit, & ſublatô TORQVE aureô, colloque ſuo impoſitô in perpetuum TORQVATI ſibi & poſteris cognomen accepit.* Hæc ad torquem, inquit ARCHÆOPHILUS, capiti Romæ circumdatum. Quid autem Eques averſæ? Forſitan ipſum Manlium adumbrat, reſpondit DULODORUS, hoſti infeſtum: Forſitan ſtatuam hoc habitu ei, aliive Manliorum, ob rem benè geſtam poſitam. Sed alia ſuccedunt. In

MARTIA,
Ancus Martius Sacra reſtituit, & aquam Martiam in Urbem deduxit.



De Sacris teſtatur Livius: *Religiones neglectas,* inquit, *aut pravè cultas, ut erant à Numa inſtitutæ, Pontificem Maximum proponere in publico juſſit.* De aqua Martia ſunt verba Plinii: *Aquam Martiam,* inquit, *primus in Urbem ducere auſpicatus eſt Ancus Martius, unus ex Regibus: poſtea Marcius Rex in Prætura: rurſusque reſtituit M. Agrippa.* De Statua Equeſtri audire velim, ſubjunxit ARCHÆOPHILUS. Nihil de hac me legiſſe memini, reſpondit DULODORUS; Neque enim eam putaverim, quam Martio Tremulo ante ædem Caſtorum poſitam, Livius ſcribit; Quid enim hæc ad aquam Martiam? Potius vel ipſi Regi Anco, hanc ſtatuam addiceres, vel etiam etymon Philippi ſub ea Tibi imaginaberis. In ſequenti ſanè

ANCUS MARTIUS GALEATUS



Eandem in averſa Statuam exhibet. Ancum Martium Galeatum hîc exhiberi, excepit ARCHÆOPHILUS, memini Te in Spicilegio docuiſſe, & ut verum fatear, Diadema cornutum ad oculum patet; Cùm autem Diadema cornutum Regum Macedoniæ inſigne fuerit, uti exemplo Alexandri, Lyſimachi & Antigoni patet, potiùs ego cum Cel. Vaillantio Philippum Macedoniæ hîc agnoſcerem. At, inquit DULODORUS, quid hic ad gentem Martiam? nonne credibilius, Regium generis progenitorem eorum Numiſmatibus eſſe expreſſum? Mos cornuta Diademata geſtandi ab antiquisſimo deſcendit, quo exuvias belluarum, loco Caſſidum geſtabant. Non Regum Macedoniæ ætate, ſed jam tempore Bacchi is invaluerat; Quid igitur mirum in Rege Romanorum, qui variis præliis Latinos attrivit, Sabinis devictis pacem dedit, Vejentum latrocinia coërcuit, Volſcis culpam deprecantibus ignovit? Medium certè Anci ingenium, Romulique, & Numæ memor, etiam in Diademate & Galea agnoveris.

ANCUS MARTIUS
Coloniam Oſtiam deduxit.



Duorum capitum, quæ vides, alterum Numæ Pompilii, alterum Anci Martii eſſe ex inſcriptione patet, ideo in Numiſmate juncta, quòd Ancus, Numæ Regis ex Pompilia nepos, adeoque uterque Martiæ gentis author eſſet. Averſa Oſtiam Anci Martii Coloniam adumbrat. Duos Arcus video, inquit ARCHÆOPHILUS, ex altero prodit Navis, in altero Victoria columnæ inſiſtit. Navis reſpondit DULODORUS, portum innuit, & Victoria, victorias Anci contra Latinos, Sabinos & Vejentes, de quibus Authores paſſim: niſi potiùs victoriarum maritimarum augurium hanc arbitreris, eò quòd intra portum expreſſa, ritè Triumphos adumbrare videatur, quibus Claſſes Romanæ, devictis hoſtibus, in portum reverſuræ eſſent. Succedit

MEMMIA,

MEMMIA,
ubi
Romuli effigies,& Cerialia prima.



Romuli effigies non *vivi* eſt, ſed *Divi:* Auguſtiore ſcilicet formâ, quâ Julio Proculo apparuit. Adjectum eſt nomen QVIRINI, quod & ipſum in Cœlis ei datum, procul dubio recordaris. Id ex Hiſtoria liquet, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem figura averſæ? Ceres eſt, reſpondit DULODORUS, cum Dracone, decempeda, & ſpicis. Ratio adjecta eſt, quod CERIALIA PRIMUS FECISSET Memmius Ædilis. Cerialia, Ludi Cereris erant, quibus Equorum curſus in Circo exhibebantur. In

MESCINIA,
Marti, ob reditum Cæſaris, Statua poſita



Viſitur, Votum ſolvente S. P. Q. R. De votis pro reditu Cæſaris & ſuſcepits & ſolutis, ſunt loca Dionis Lib. LIV. & LV. In

MINUCIA,
Minucio Augurino, ob frumentum Melianum
Plebi diviſum, Statua poſita.



Statuam video, excepit ARCHÆOPHILUS: Video & bilancem, quâ procul dubio Æquitas deſignatur; Video & ſpicas, frumenti indices; Quid autem figuræ?

figuræ? annon altera Augur lituum elevat? altera globum præfert? Non globum, sed panes, respondit DULODORUS, crediturque ea figura, ipse Melius, largitione panis Tyrannidem affectans. Opinionem firmat globus, quem pede premit. Auguralis Minucii habitus ad cognomen Augurini pertinet. Historia videri potest apud Livium, & Valer. Maximum, aliosque. Sub

MUCIA,

Honoris & Virtutis festum translatum,

Italiæque felicitas, Romæ potentiâ stabilita,



Elegantissimo hoc ex Numismate intelliguntur. Honoris, inquit ARCHÆOPHILUS, & Virtutis ædem C. Mucium perfecisse, Vitruvius author est. Memini, regessit DULODORUS, sed Roma, globum terræ premens, Augusti gloriæ rem vindicat, tunc enim Roma Orbis Domina, tunc Italia pacifica & felix fuit. Non deest historiæ fulcrum, Augustum *Virtutis & Honoris festum transtulisse*, Dio author est, quod meritum procul dubio respexit Cordus, quanquam, ut credibile est, gloriæ Gentis suæ non immemor. Sub

MUSSIDIA,

Concordia Tatii & Romuli, Cloacina,

& Comitium.



Se sistunt. Comitium video, subjecit ARCHÆOPHILUS, video Cloacinæ nomen, & Concordiæ caput; Concordiam autem hanc ad fœdus Romuli & Tatii pertinere, non video. Cloacina, respondit DULODORUS, & Comitium rem in aprico ponunt. Comitium à coitione partium, Romuli scil. & Tatii dictum, ex Plutarcho constat: Cloacinam autem, quam Venerem arbitrantur, ita dictam, quòd in cloaca reperta esset, à Tatio dedicatam esse, Lactantius prodidit, idque eo in loco factum, in quo depositis armis Tatius & Romulus coiére, Plinius author est L. XV. c. 25. Hæc cum ita sint, quis dubitet, L. Mussidium Longum, ut originem suam ex Sabinis oriundam doceret, ad hanc Romuli & Tatii concordiam, dedicatamque à Tatio Venerem Cloacinam respexisse? In

NASI-

N A S I D I A,

Cn. Pompeji potentia navalis



Occurrit. At nulla hîc Pompeji mentio eſt, excepit ARCHÆOPHILUS. Eſt in effigie, inquit DULODORUS; Hanc enim licet Neptuni & inſignibus & nomine illuſtrem, tamen Pompeji Magni eſſe, contrà quàm Urſinus putat, infra ad Pompejam demonſtrabimus. Et hinc patet, Q. Naſidium, licet, Dione teſte, etiam Sexti Pompeji Claſſi aliquando præfuerit, tamen hoc in Nummo non tam ſuam, quàm patris ſui ſub Cn. Pompejo militiam celebraſſe, quòd *is*, ut apud Cæſarem eſt, *cum claſſe navium ſedecim, L. Domitio, Maſſilienſibusque, ſubſidio fuerit miſſus.* In

N O N I A,

Suffenas Prætor Ludos Votivos Publicos ob victoriam fecit.



Res totidem literis in Numiſmate ſignatur, & ob victoriam eos ludos factos, ex coronante Romam Victoria patet. Ita Urſinus, inſit ARCHÆOPHILUS, ſed dubium eſt, annon literæ Ludos Victoriæ Populi deſignent, cùm apud Suetonium *Ludi Victoriæ Cæſaris* memorentur. Ne ſic quidem malè, reſpondit DULODORUS, quanquam ſi id cenſeas, nec Cæſaris, nec Auguſti Victoria intelligi poſſit, ſed alia quædam ſub libera adhuc Republica: Quicquid ſit, Suffenas memoratur Catullo, Ciceroni, & Valerio Maximo, quanquam incertum ſit, an ad eum Denarius pertineat. In

O G U L N I A,

Litera G. loco C. poſita



Cernitur. Mihi alia planè, inquit ARCHÆOPHILUS, Numiſmatis hujus ratio videtur. Quid enim impedit, ut *M. Gargilium Verum* legam, cùm Gar-

Gargilii Antiqui apud Per-Ill. SPANHEMIUM Differt. VI. p. 573. meminerit Nummus Mediceus, sub Antonino Pio Philippopoli percussus. Si conjectura minus placet, potes Gargennium, aut Gargonium, aut denique Garcilium eligere, quorum in Inscriptionibus Gruterianis mentio est. Nihil horum statuerim, respondit DULODORUS, licet enim litera M. opinioni favere videatur, licet etiam præter M. GAR. VER. nihil in Nummo legatur, tamen quia vetustas reliqua absumsit, Carisium, Vergilium & Ogulnium in Nummo agnoverim, qualiter sub Ogulnia familia legitur, qualiter & in Vergilia, præsertim cùm & Caput Jani, & Navis judicium fulciant, quæ eôdem planè modô sub familia Ogulnia visuntur. At, inquit ARCHÆOPHILUS, litera G. in voce GAR, clarior est, quam ut dubitari possit, in Patinianis autem ubique est litera C. Id raritatem Numismatis nostri elevat, respondit DULODORUS; hactenus enim quod sciam, litera G. pro C. posita observata non est. Si observata non est, excepit ARCHÆOPHILUS, quomodo rem probabis? Et ratione & exemplô, subjecit DULODORUS, Eâdem sanè ratione, quâ C. pro G. ponitur in vocibus AUCUSTALIS, CALLÆCIA, CARTACINIENSES, CEMINA, aliisque apud Gruterum in Inscriptionibus, eâdem etiam in nostro Numismate G. pro C. ponitur. Si exemplum desideres, est in Garciliorum appellatione, qualiter apud Gruterum vocantur, cùm tamen Nummus Per-Illust. SPANHEMIO teste, ΓΑΡΓΙΛΙ habeat. Et quis nescit cognatarum literarum permutationem etiam in aliis prostare? In

O P P I A,

Victoriarum deliciæ



Eleganti quidem typo, sed infelici exitu, à Q. Oppio Asiæ Prætore pinguntur. Victoria, inquit ARCHÆOPHILUS, palmam & lancem frugibus plenam gestat, & in aversa caput Veneris est, venustatis Deæ: Quis non ob Victorias à Q. Oppio obtentas, ortamque indè felicitatem, hæc arbitraretur signata? Nihil tale apud Authores, regessit DULODORUS. Fuga potius, & fœda sub Mithradate captivitas, apud Appianum leguntur. In

P A P I A,

Juno Sospita, Prodigium Æneæ oblatum, & Draco Lanuvinus,



Visuntur. De Junone Sospita, inquit ARCHÆOPHILUS, sub Cornuficia vidimus

vidimus; hîc de prodigio audire placet. Dionysius Halicarnass. rem edocet, subjecit DULODORUS: *Fertur*, inquit, *dum Lavinium conditur, oblata Trojanis quædam prodigia: In nemore, ortô sua sponte incendiô, Lupum ore aggessisse fomitem aridum, Aquilam verò alarum ventilatione flammam excitasse: Vulpem contra caudâ in flumen intinctâ, ignem conatam extinguere, & nunc accendentibus, nunc exstinguentibus prævalentibus, tandem vicisse duos, illam vero abiisse conatu irrito: Quo viso Æneam dixisse, illustrem quidem & mirandam futuram eam Coloniam, sed suis incrementis invidiosam & molestam exteris, fore tamen, ut tandem vincat adversarios, humanæ invidiæ prævalescente favore Numinum. Tam insigne futuræ Urbis fortunæ præsagium tunc accidisse dicitur, exstantque rei monumenta in foro Laviniensium, effigies æreæ horum animalium, adservatæ longissimo tempore.* De Lavinio loquitur Author, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen Lanivii fuerint illa monumenta, id quod ex Junone Sospita & Lanuvino Dracone facilè intellexeris, cùm Illa apud Ovidium:

Et populus Laurens, Laniviumque meum:

Et de hoc Propertius:

Lanuvi annosi vetus est tutela Draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ.
Quâ sacer abripitur cœco descensus hiatu,
Quà penetrat Virgo, tale iter omne cave!
Jejuni Serpentis honos, cùm pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cùm temerè anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas à Virgine corripit escas.
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.

Appositè hæc ad Numisma secundum, excepit DULODORUS, & fateor, magnum esse contra Dionysium argumentum, cùm Papius, ut Gentem suam à Lanuvio oriundam significaret, procul dubio Patriæ decora expresserit; Quanquam quid prohibet, ut in Junone Sospita & Dracone ad Lanuvium, in Lupa & Aquila ad Lavinium respexisse credatur? Illic ad familiæ suæ originem, hîc ad originem Romanorum respiciens? Dionysius certè de Urbe ab Ænea condita loquitur, Lanivium autem non Æneas, sed Diomedes condidit. Sed de his in Observationibus meis. In

PETILLIA,
Jupiter Capitolinus, cum templo,
& Aquila Κεραυνοφόρῳ,



Ideo expressus est, quòd Petillius à cura Capitolii *Capitolini* nomen traxisset. Horatius ejus furta perstringit L. I. Sat. 4. quod explicans Pomponius Prophyrio. *Petillius Capitolinus*, inquit, *cum Capitolii curam gereret, coronæ subreptæ de*

Capitolio causam dixit, absolutusque est à Cæsare. Idem & Acro, nisi quòd pro Cæsare, Augustum ponit, ex quo constat, Cæsarem non Divum, sed Divi filium intelligendum esse. Hæc apud Ursinum, subjecit ARCHÆOPHILUS, ubi & de Jovis templo. Sunt, inquit DULODORUS, ut & in

PETRONIA,
Corinthus restaurata, signa recepta,
Tarpeja, & Feronia.



Corinthus sub Pegaso intelligitur, excepit ARCHÆOPHILUS, & videri de ea meretur Cel. Vaillantius in Coloniis. Signa recepta intueor sub Partho supplice signum restituente, quod schema jam sub Aquillia vidimus. Eôdem modô, excepit DULODORUS, etiam de Tarpeja in Tituria, dicetur; Sed ad Feroniam est locus Dionysiii Halicarn: *Eô bellô confectô*, inquit, de Tullo Rege locutus, *aliud à Sabinis exortum est, cujus causa fertur hæc. Fanum est, quod Sabinis æquè ac Latinis summâ religione colitur, sacrum Deæ FERONIÆ, quam Græci in suam linguam modò* Ανθηφόρον *vertunt, modò* Φιλοστέφανον, *modò Proserpinam* &c. Strabo Feroniæ fanum sub Soracte monte testatur fuisse. Sed plura in Authore. In

PINARIA,
Castores Romanis salutares



Visuntur. Apud Ursinum, inquit ARCHÆOPHILUS, Castores in Pinaria
non sunt. Eò rarius est Numisma, respondit DULODORUS, ad Pinariam enim

enim id pertinere ex ſubjecto Caſtoribus monogrammate patet; NATTA legitur, notisſimum Pinariorum cognomen. In

PLÆTORIA,

Sors cum templo, & Mercurii ædes dedicata,



Adumbrantur. In primo Numiſmate Sortem eſſe, Sortisque templum, ex alio patet, in quo SORS capiti directo adſcribitur. Expreſſit id M. PLÆTORIUS, procul dubio quòd aliquis ex familia id vel dedicaſſet vel refeciſſet; Eandem enim ob rationem etiam in ſecundo Numiſmate, caput Mercurii & caduceum ſignavit, quòd M. Plætorio, vel ut Livius ait, Lætorio, dedicatio Ædis Mercurii, populi ſuffragiis data eſſet. Videri ea de re Valerius Maximus poteſt. Memini, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Pergo igitur, inquit DULODORUS.

PLANCIA,

Caput Libertatis pileatum, & Venationes,



Jactat. De capite Libertatis in Obſervationibus meis docui. Venationes, cujus in averſa inſignia ſunt, ad Ædilitatem ſpectant; Ad Ædiles enim ludorum ſolennium curam pertinere, Cicero teſtatur, in ludis autem etiam venationes edi ſolitas, quis neſcit? In

PLAUTIA,

Privernum captum, & Bacchius Judæus supplex,



Occurrunt. De Priverno capto, excepit ARCHÆOPHILUS, sub Æmilia vidimus, sed hîc mirari subit, quid Caput muliebre cum Delphino? quid Scorpius sub Quadrigis Jovis fulminantis? Martium animal est Scorpius, respondit DULODORUS, quidni igitur sub Quadrigis Jovis Martii aut fulminantis ponatur, cùm sub hoc procul dubio triumphus martio labore quæsitus adumbretur? Caput muliebre ex adjecto Delphino Nymphæ Marinæ, & forsan Thetidi vindicabitur, idque eò magis, quòd Neptunus in altero visitur. Caput tertii Numismatis Coronâ non radiatâ, sed turritâ insigne, Urbis alicujus Genius est. An Hierosolymæ? inquit ARCHÆOPHILUS; Id enim aversæ Judæus innuere videtur, quamvis Camelus rem ad Arabiam videatur reducere. Camelum, excepit DULODORUS, quòd similem planè Rex Aretas in Nummis Æmiliæ præferat, ego ad Arabum societatem referrem, quòd scil. ut jam in Observationibus meis docui, Bacchius hic Judæus ex iis fuerit, qui Regem Aretam contra Hierosolymam evocârunt, quique victô, à Scauro, Areta, & ipse à Plautio, Cn. Pompeji in Asia Legato, fuerit superatus. In

POBLICIA,

Malleoli, à malleo appellati,



Malleô supra caput Galeatum expressô significantur: ut Ursinus conjicit, quòd aliquis Publiciorum malleum invenisset; Malleolus autem, qui hos Denarios percussit, Cn. Dolabellæ in Asia Quæstor fuit, uti ex Cicerone Lib. III. in Verrem liquet, ubi & avaritiam ejus notat, quam fortassis Cicada frugalitatis umbrâ inducit.

inducit. De his, inquit ARCHÆOPHILUS, memini Te luculenter in Conjecturis Tuis disseruisse, ubi caput Galeatum ipsi Malleolo vindicare, victoriam autem & tropæa ad expeditionem Asiaticam videris referre. Quid autem in sequenti,

HERCULES LEONEM SUFFOCANS?



An aliud, respondit DULODORUS, quàm Herculeum Poblicii cujusdam robur? nescio. De Hercule, Leonem Nemæum suffocante, res clara est, de Poblicio autem, tacente historiâ, quid dicam? Prætorem fuisse, ex Cicerone constat. In

POMPEJA,
Pompeji M. Legati, potentia maritima, & adventus in Hispaniam,



Noscuntur. Primum Numisma, subjecit ARCHÆOPHILUS, jam in Calpurnia vidimus. Dictum ibi est, Calpurnios à Calpo Numæ filio descendere, indeque Numæ effigiem in Numismate expressam esse. Hîc de aversa docendum. Ex inscriptione ea patet, respondit DULODORUS. Magni Proconsulis potentia maritima sub navi latet, eamque celebravit Numismate Cn. Piso Proquæstor in bello Piratico, uti ex Appiano discitur. In secundo Numismate, idem imperium maris, per sceptrum inter Aquilam & Delphinum, expressit Varro, ejusdem Pompeji & eodem in bello Proquæstor, uti ex Floro, Appiano & Dione colligitur. Quid autem caput barbatum? quæsivit ARCHÆOPHILUS. Jupiter Terminalis est, respondit DULODORUS, de eoque inter Gemmas abundè dixi, additâ & ratione, cur Varro eum expressisse videatur. In Nummo tertio adventus Pompeji in Hispaniam, à Poblicio in Hispania Proquæstore celebratur. Id inde patet, quòd Hispania, qualiter in Galbæ Nummis

 visitur,

visitur, Pompejum excipit, & quidem cum palma, victoriarum insigni. Hispaniam Provinciam in quinquennium Pompejo deretam, Dio aliique scribunt, nec alium in Nummo intelligendum, ex inscriptione palam est. Cn. Pompejum memoras, excepit ARCHÆOPHILUS; at in sequenti Numismate aureo, tria capita video. Est

SEXTUS POMPEJUS,
Cum Cnejis, patre & fratre,



Respondit DULODORUS. Et Sextus quidem in adversa, barbatulus ille & moribus agrestis, uti Vellejo vocatur, cùm patrem ἀναστολὴ τῆς κόμης, *capillorum erectio*, quæ in altero aversæ non tantùm, sed & sequenti visitur indubie evincat. Quid autem Corona? excepit ARCHÆOPHILUS; Neque enim ea videtur, quam Dio tradit à Senatu concessam, ut in solennibus festis gestaret: ea enim Laurea fuit. Imò, inquit DULODORUS, & Pompejo patri decreta fuit, hanc autem ob Cives profugos Servatos gestâsse Sextum, erudita conjectura Patini est. At magni nomen, inquit ARCHÆOPHILUS, pro patre videtur pugnare. Etiam Sextum, excepit DULODORUS, id nomen sibi vindicasse, ex hoc ipso Numismate patet; Sextus enim non tantùm Præfectus classis & oræ maritimæ Siciliam obtinuit, sed & *Pius* & *Imperator iterum* vocatus est, id quod de patre non asserueris.

SEXTI POMPEJI
Pietas, & Præfectura Classis, & oræ maritimæ,



Etiam in his Numismatibus radiant. At in primo, subjunxit ARCHÆOPHILUS, caput Pompeji patris est. In hoc, inquit DULODORUS, ratio pietatis consistit, quòd scil. non suâ gloriâ, sed patrem ulturus, bellum gesserit. In familiarum Numismatibus, inscriptio cum capitibus rarò convenit, solenne autem

tem est, filios parentum famæ consulere. Idem in hoc Numismate quidni fecerit Sextus, pietatis gloriam affectans? Pietas in parentem certè etiam in aversa radiat, in qua Amphinomus & Anapias fratres Catanenses expressit, parentes ex incendio Ætnæo eripientes. De his, regessit ARCHÆOPHILUS, ad Græcorum Numismata vidimus. Quid autem in Numismatibus secundo & tertio? In secundo, respondit DULODORUS, præter Neptunum columnâ sublimem, Aquilam, & Navim Prætoriam, ex qua Tridens prominet, in aversa Scylla est, qualiter Homero & Virgilio describitur,

Pube premit rabidos inguinibusque Canes.

Adversa potentiam navalem, aversa potentiæ sedem Siciliam indicat. In tertiò est caput Neptuni, & in aversa tropæum navale infra in anchoram, supra in tridentem desinens. Tropæum hoc maritimas Sexti victorias concernit, de quibus Appianus & Dio videri possunt. Neptunus Sexti vesaniam indicat, Dione enim teste, *Neptuni* se *filium* jactavit, ex quo simul constat, caput Pompeji patris, in Nasidia, non sine causa, NEPTUNI inscriptum esse. Succedunt

ROMULUS & REMUS
à Lupa pendentes sub Ficu Ruminali,



Qualiter à Faustulo inventi sunt. Faustulum video, inquit ARCHÆOPHILUS, video Lupam Infantes lactantem, & Ficum Ruminalem, cum insistente, nisi fallor, avicula. Avicula, excepit DULODORUS, Picus Martius est, de quo Ovidii versus sunt:

Martia PICUS avis gemino pro stipite pugnat,
Et LUPA &c.
Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et PICUM expositis sæpè tulisse cibum.

Hæc nota sunt, subjecit ARCHÆOPHILUS, quæ autem ratio, quòd egregium hoc originis Romanæ monumentum sub Gente Pompeja occurrat? Cognomen à Faustulo pastore deductum, respondit DULODORUS; Id enim in ipso Nummo apertè legitur. In

POMPONIA,
Numa sacrificans



Prodit, ideò à L. Pomponio Molone expressus, quòd Pomponia Gens, ut Plutarchus habet, à Pompone Numæ filio descenderit. Numam, inquit ARCHÆO-

CHÆOPHILUS, Sacra instituisse memini; at ipsum sacrificasse, non memini. Livii verba, respondit DULODORUS, aperta sunt: *Ipse*, ait de Numa, *plurima sacra obibat*. In Numismate, excepit ARCHÆOPHILUS, Augurem video, cum lituo ad aram stantem: video ministrum ab altero latere Caprum adducentem. An ministri, an Auguris vices hîc sustinet Numa? Dignitas Auguris prævalet, inquit DULODORUS, rectè autem Caprum cum Oiselio agnoscis, contra Ursinum, qui sacrificium hoc Junoni αἰγοφάγῳ oblatum arbitratur; Caper enim ad oculum patet, Baccho mactari solitus, secundum illud Ovidii:

Rode Caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Sequuntur

HERCULES MUSARUM, ET MUSÆ,



Non alia ratione, quàm ut Q. Pomponii cognomen adumbraretur; Neque enim si Deam


ſi Deam ſolam indigitare voluiſſet Q. Pomponius, nomen commune, ſed cujusque proprium, credibile eſt fuiſſe adjecturum: Et quomodo in Numiſmate primo MUSA Deam ſignificaret, cùm caput non fœmineum, ſed virile, fortasſis Apollinis ſit? Herculem Muſarum, inquit ARCHÆOPHILUS, & Muſas, ſuis diſtinctas inſignibus, non ſine voluptate contemplor. Age DULODORE! Latices Heliconis nobilisſimo agmini noli invidere. Operam hanc, regeſſit DULODORUS, ut & pleraque alia, jam Urſinus præcepit. Ad Herculem, egregium citat Eumenii Rhetoris locum, quô teſte, Fulvius Nobilior Herculis Muſarum ædem, in Circo Flaminio, ex pecunia Cenſoria fecit, idque ideò, quòd ipſe, cùm in Græcia Imperator eſſet, Herculem *Muſageten*, hoc eſt *Comitem ducemque Muſarum* accepiſſet, Muſasque ex Ambracienſi oppido tranſtuliſſet, quas poſtea ſub tutela fortisſimi nominis conſecraverit, ut Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum floreſceret. At non defenſio tantùm, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, hîc locum habet, imò & ipſe Citharam pulſat, Muſarumque artes imitatur. Citharam pulſare, reſpondit DULODORUS, Herculem à Lino didiciſſe, Theocritus tradit. Sed de Muſis videndum. In ſecundo Numiſmate CALLIOPE eſt, Heroici carminis inventrix, id quod volumen, retrò caput & in manu, oſtendit: In tertio eſt CLIO, quæ Cithariſticam invenit, eamque ob cauſam Citharam columnâ ſublimem pulſat: In quarto URANIE ex globo agnoſcitur, quem radio tangit, agnoſcitur ex Stella, quæ capiti affiфcta eſt: In quinto ERATO, quòd hymnos Deorum invenerit, canentis inſtar fingitur: In ſexto EUTERPE eſt, Tragœdiæ inventrix, quam Perſona deſignat: In ſeptimo eſt THALIA, inventrix Comœdiæ, quæ Perſonam & Clavam præfert, quod Herculi, ſecundum Ariſtophanem Comœdia ſacra fuit: In octavo eſt MELPOMENE, aut ſi mavis Polymnia; illi enim Epigramma, huic autem Horatius Barbiton tribuit: In nono eſt TERPSICHORE, quæ Calamos inflare docuit. Baſin aſſerti ſuppeditat Epigramma Græcum, quod his verbis in Florilegio L. I. c. 67. legitur:

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.
Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελιηδέα μολπήν.
Εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν.
Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε.
Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλούς.
Ὕμνους ἀθανάτων Ερατὼ πολυτερπέας εὗρε.
Αρμονίην πάσαισι Πολύμνια δῶκεν ἀοιδαῖς.
Ουρανίη πόλον εὗρε, καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων.
Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε, καὶ ἤθεα κεδνά.

CALLIOPE *ſapientiam Heroicæ invenit cantilenæ.*
CLIO *amabilis Citharæ dulcem cantum.*
EUTERPE *Tragici chori multiſonam vocem.*
MELPOMENE *mortalibus melli ſuavem barbiton ſuſtulit.*
TERPSICHORE *gratioſa præbuit artificioſos Tubicines.*
Hymnos immortalium ERATO, *valdè ſuaves invenit.*
Harmoniam omnibus POLYMNIA *dedit cantilenis.*
URANIE *cœlum invenit, & cœleſtium chorum Aſtrorum.*
Comicam invenit THALIA *vitam, & mores probatos.*

Sed hæc latius deducere quid attinet? In

PORCIA,
Lex, & ritus, Provocationis



Exprimitur. Media figura Magiſtratus eſt, ad quem provocabatur: Figura togata, Civis Romanus, qui provocabat: Figura cum virgis, Lictor, contra quem provocabatur. Non conſuetudine hic ritus nitebatur, ſed lege Porciâ, quæ Cicerone teſte, *Libertatem Civium Lictori eripuit:* & Livio memorante, *ſola pro tergo Civium videtur lata, quòd graviore pœnâ, ſi quis verberâſſet, necaſſetve Civem Romanum, ſanxit.* Nunc intelligo, inquit ARCHÆOPHILUS, quâ ratione Paulus Gentium Apoſtolus, cùm à Centurione flagellaretur, interrogaverit, an juſtum eſſet, Civem Romanum flagellari? Hâc ipsâ niſi fallor lege nitebatur. Res clara eſt, reſpondit DULODORUS. Clara & in

POSTUMIA,
Pugna, & Victoria Regillenſis, Dioſcurorum auxilio obtenta.



In primo eſt Poſtumii Conſulis effigies, quô Dictatore pugna conſerta eſt. A. Poſtumius, Bruti filius, Albinus Numiſma percuſſit: Et quid celebraret, ſi non illuſtriſſimum familiæ Poſtumiæ, in quam per adoptionem tranſierat, Progenitorem? De pugna Regillenſi docemur ex Dionyſio & Livio, Stratagema Poſtumii, quo Equis frena detrahi juſſit, ut acrius in hoſtem inveherentur, in ſecundo Numiſmate adumbratur, ubi non figura tres Equites præcedens, ut apud Urſinum delineatur, ſed hoſtis proſtratus viſitur. Stratagema hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non Poſtumio Dictatori, ſed T. Æbutio, Magiſtro Equitum, adſcribit Livius. Ita memini, reſpondit DULODORUS, ſed Numiſmata Poſtumio vindicant, iisque aſſiſtit & Dionyſius Halicarn. *Ipſe Poſtumius Dictator*, inquit, *cum fortiſſimo quoque Equite in conſtipatum hoſtium globum facit impetum, jamque propinquus, primus Equum in adverſos laxatis frenis concitat. Laxatis* frenis, inquit, qualiter in Numiſmate viſuntur, non *detractis*, qualiter in Livio legitur. De Dioſcuris audire placet, excepit ARCHÆOPHILUS. De his, inquit DULODORUS, jam ſub Domitia vidimus. Hîc autem eô modô præfi-

præfigurantur, quô in Foro Romano, ad Juturnæ lacum, Equos potasse dicuntur. Eundem Dionysium audiamus: *In eo prælio*, inquit, *feruntur Postumio, & stipantibus eum militibus, apparuisse duo Equites, staturâ & formâ longè, quàm nostra natura fert, præstantiores, primæ lanuginis juvenes, præcedentes Romanum Equitatum, hostemque cominus congredientem hastis ferientes, tundentesque ac fugantes. Post fugam Latinorum, cùm & castra essent capta, & prælium finitum, Romæ in foro sub vesperam visi itidem duo adolescentes, militari cultu procerissimi & pulcherrimi, pari ætate, vultu adhuc retinentes, quam in pugna habuerant, speciem, & Equis sudore madentibus. Cùmque de Equis descendissent ambo, lavissentque fontanâ, quæ ad ædem Vestæ profluens, parvam, sed profundam, facit lacunam, multis eos circumstantibus rogantibusque, ecquid ab Exercitu novi afferrent? pugnam exposuisse dicuntur & victoriam, digressique è foro, nusquam apparuisse postea, quamvis diligenter à Præfecto Urbis quæsiti. Quum autem postero die Reipublicæ Principes à Dictatore literas accepissent, & præter alia, quæ in prælio acciderunt, cognovissent, etiam hanc Deorum visionem rati, utrobique eorundem Deorum spectra oculis obversata, ut verisimile erat, crediderunt,* CASTORIS *&* POLLUCIS *ea fuisse. Hujus incredibilis, & admirandæ Deorum visionis, Romæ multa extant monumenta, cùm ipsa* ÆDES CASTORIS *&* POLLUCIS, *quam in foro Populus Romanus ædificavit, in eo ipso loco, ubi visæ fuerunt ipsorum imagines, tum* FONS *ædi vicinus, qui istis Diis sacer dicitur, & qui ad hunc usque diem talis creditur* &c. Egregius locus est, excepit ARCHÆOPHILUS, & ad Numisma convenientissimus. Quid autem capita Dianæ & Apollinis? An & hi pugnam Regillensem juvarunt? Roma subscripta, respondit DULODORUS, Romanorum tutelares arguit, id quod & Horatius indicat, cui

Di, quibus septem placuere colles,

audiunt, quique Romam, *eorum opus* appellat.

IN SÆCULARIBUS DIANÆ BOS MACTABATUR.



Id ex eodem Horatio intelligimus, qui apposité ad Nummum:

Quique vos BOBUS veneratur albis &c.
Quæque Aventinum tenet algidumque
Quindecim, DIANA, preces Virorum
Curet, &c.

Signatus autem est Denarius, quòd A. Postumius Albinus XV. vir Sacris faciundis, teste Livio anno V. C. 581. quartis sæcularibus præfuerit. Dianæ & templum & aras in Aventino fuisse, ex Inscriptionibus probat Ursinus. Succedit


L. POSTUMII TRIUMPUS, & FLAMINIUM,



Triumphum egit de Vacceis & Lusitanis, in Hispania ulteriore, anno V. C. 575. Flamen Martialis, qui honos sub apice latet, anno sequenti factus est. De utroque testatur Livius. Res obscura non est, reposuit ARCHÆOPHILUS. Mars in quadrigis insistens procul dubio & Apicem restringit, & Triumphum denotat, & ne dubites, de qua Gente triumphaverit, caput Hispaniæ secundo in Numismate radiat, adjectis in aversâ fascibus & Aquila Legionum, ut auspiciis Romanis, & viribus Legionum rem gestam patesceret. In

PROCILIA,

Juno Sospita, cum Lanuvino Dracone,



An Gentem è Lanuvio oriundam prodit? interrogavit ARCHÆOPHILUS; Prodit, respondit DULODORUS, licet aliô testimoniô res non patescat. De Junone Sospita, & Lanuvino Dracone, sub Gente Papia & Cornuficia vidimus. Illud in his peculiare est, quòd bigis insistat, Dracone sub Equis volumina torquente. In sequenti

RENIA,

An à Renis appellata?



Non Renos, inquit ARCHÆOPHILUS, sed Hircos video. Renos, excepit DULODORUS, Hircis simillimos esse, ex veteris Scriptoris authoritate affirmari, Ursinus ait. Id credere juvabit, donec certius quid appareat. Sub

ROSCIA

ROSCIA,



Nihil novi eſt; Eadem Juno Soſpita, & virgo Draconem paſcens, qualis in Papia fuit, eandem à Lanuvio originem demonſtrat. In

RUBRIA,


Æſculapius Romam advectus, & Thenſa Cæſari decreta



Subeunt. Nec Æſculapium, nec Cæſarem video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At vides Serpentem aræ impoſitum, inquit DULODORUS, Serpentis enim forma Æſculapium Epidauro advectum hiſtoria docet, eamque hoc Numiſmate adumbrari, ex ultimo Rubriorum Numiſmate palam eſt; In eo enim ara hæc cum Serpente in templo viſitur, prominente ex eo navi. Quod Cæſarem attinet, Thenſam ei decretam eſſe, ex Suetonio certum eſt; Quid igitur mirum, ſi Rubrius, Corfiniô captô à Cæſare dimiſſus, hôc monumentô ejus gratiam quæſierit? In

RUSTIA,

Fortuna Antiatina & Redux,



Auguſti honori celebrantur. Fortuna redux in Auguſti Nummis vulgò proſtat. Dio Lib. LIV. rationem reddit. *Ob reditum ejus*, inquit, *ac propter ea, quæ*

quæ abſens egiſſet, multa & varia in honorem ejus decreta ſunt, quorum ille nihil accepit, niſi quod FORTUNÆ REDUCI ARAM conſecrari, diemque ſui reditûs inter ferias referri, ac AUGUSTALIA *dici, paſſus eſt.* Hæc de Fortuna Reduce, excepit ARCHÆOPHILUS, quis autem de Antiatina? Horatius, reſpondit DULODORUS, L. I. Od. 35.

O Diva, Gratum quæ regis Antium &c.
Serves iterum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos.

Ex quo loco utique conſtat, Fortunam Antii Deam pro Cæſarum reditu invocari ſolitam fuiſſe. Sed non hoc Numiſmata tantùm commendat, quantum diverſitas ab Urſiniano. Aram is nudam exhibet, at in noſtro Corona radiata ei incumbere videtur. In

SALVIA,
Cæſaris IIIviri Providentia



Celebratur. Fulmen providentiæ ſymbolum eſſe, regeſſit ARCHÆOPHILUS, novi nihil eſt, nec de Cæſare IIIviro dubitaverim, cùm providè eum bella adminiſtraſſe, prudentique fortitudine rerum apicem ſibi vindicâſſe legatur. Sed de Salvio dubium eſt, quî IMPerator, quî COS DESIGNatus dicatur? Imperator, reſpondit DULODORUS, credi poteſt appellatus, vel captô à ſe Sentinatium Oppidô, cui obſidioni à Cæſare præpoſitus fuerat: vel ex Sicilia, cum ibi Cæſaris Legatus fuiſſet, uti Cicero ſcribit. De COS. DESIG. ſunt verba Dionis: qui *Salvidienum* vocat: *Salvidienum*, inquit, *Cæſar, quòd ab eo inſidiis peteretur, necavit. Ei Salvidieno, obſcuriſſimô genere nato, paſcenti gregem flamma è capite emicuit. Eumque Cæſar ad id dignitatis evexerat, ut CONSUL, cùm Senator nunquam fuiſſet, DESIGNARETUR.* In

SANGVINIA,
Auguſtus, Divi Cæſaris ſpiritu animatus



Fertur. Divi ſpiritu? Inquit ARCHÆOPHILUS; At Cel. Vaillantius ad ludos Circenſes Numiſma pertinere, ex capite Caſtoris conjicit? Caſtoris hoc caput non

non eſt, excepit DULODORUS, ſed omninò Auguſti, non minus ac alterum. Inſpice Numiſma! Capita lineamentis ſimillima ſunt, adeò ut ne capillorum quidem decor diverſus ſit. Adde Stellam crinitam eſſe, qualis non Caſtoris, ſed Cæſaris anima, ut ex alio patet: ut ita non abs re, Divi Cæſaris ſpiritu Auguſtum animatum hîc agnoverim. Cæſaris ſanè virtutibus victoriarum gloriam, quæ ſub Laurea radiat, ſibi Auguſtum peperiſſe, in confeſſo eſt. Ad Genium Eliſæi Prophetæ hæc concepta videntur, inquit ARCHÆOPHILUS, nam & hujus in capite ſpiritum Eliæ quieviſſe, ex Sacris diſcimus. Quicquid ſit, reſpondit DULODORUS, illud tamen patet, non ob Circenſes, ſed in gloriam originis, & victoriarum, Numiſma percuſſum eſſe. In

SCRIBONIA,
Bonus Eventus, & Puteal,



Se ſiſtunt. Boni eventûs ſimulacrum ab Euphranore fictum, dextrâ pateram ſiniſtrâ ſpicam & papaver tenens, ex Plinio Lib. XXXIV. c. 8. obſervat Illuſt. Patinus. Puteal putei operimentum fuit, *Libonis* dictum, quòd in vicinia habitaret Libo, vel quòd ejus impenſis factum, aut reſtitutum fuit. Ita

Forum, Putealque Libonis,

canit Horatius Ep. 3. Lib. I. Ego, excepit ARCHÆOPHILUS, Puteal Prætoris tribunal arbitrabar, eò quod Horatius alibi:

— — *Ante ſecundam*
Roſcius orabat, ſibi adeſſes ad Puteal cras.

Id cum Pomponio Porphyrione facis, regeſſit DULODORUS, ſed falsò; Non enim Tribunal, ſed in Tribunalis vicinitate fuit. In

SEMPRONIA,
Atratinus, cum Tripode Pythico,



Prodit. Numiſma hoc in Urſino, ſolo ATRATINI nomine, & quidem characteribus Romanis delineatum cernimus. Cernimus delineatum capite nudo, & ex modulo

modulo mediocri. An hîc aliter? interrogavit ARCHÆOPHILUS. Omnino, reſpondit DULODORUS; Numiſma enim & craſſitudine, & latitudine, ad primum modulum accedit: Et caput non nudum eſt, ſed cornutum, idque viminibus, an hederaceis? utrinque incluſum: Ut taceam inſcriptionem, licet vetuſtate mutilam, Græcam tamen, id quod ex reliquis IΛ & ITAIC apertè docemur: Ita & in averſa, non ATRATIN, ſed ATPATIN ΠΥΘΙ legitur, apparente ad oculum litera P. & non R. Benè hæc obſervantur, infit ARCHÆOPHILUS, & utinam Nummus integrior foret, ut & ſenſus erui poſſet; Licet enim caput cornutum & viminibus hederaceis circumdatum, forſitan Bacchi eſſe, conjicere poſſis, adeòque cum Illuſt. Patino ad eum Atratinum reſpicere, qui ſub Antonio vixit, artificium tamen, terſiſſimo Antonii ſæculo rudius, neſcio quæ opinioni meæ frena injicit. Patini conjectura, regeſſit DULODORUS, ratione non caret, etiamſi etiam ad noſtrum Numiſma examinetur; conſtat enim Antonium Bacchi æmulum fuiſſe, conſtat per Græciam laſciviſſe, & Apollinis Pythii Oraculum de expeditione Parthica conſuluiſſe. Quid igitur mirum, ſi hoc Numiſmate, in quo Tripos Pythico Serpente involvitur, cultus videatur? Sed ritè artificii ruditatem in contrarium adducis. Ea juvatur & literâ C. pro Σ; Tali enim formâ raròante Domitiani tempora in Antiquitatum deliciis occurrere, ſequentium autem temporum tantùm non propriam eſſe, Magnus noſter SPANHEMIUS jam dudum monuit. In

SERGIA,
M. Sergii fortitudo



Radiat, quam Plinius plenis faucibus ebuccinat. Locus prolixior eſt, quàm ut hîc referri debeat. Illud notandum, non abs re *ſiniſtrâ manu* gladium præferri; dextram enim eôdem Authore, ſecundô ſtipendio perdidit, *ſiniſtrâque* deinde manu quater pugnavit, duobus Equis inſidente eô ſuffoſſis, donec dextram ferream ſibi faceret, eâque religatâ præliaretur. Niſi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, præter gladium etiam Caput jactat; Id cujus ſit, excepit DULODORUS, licet incognitum fateamur, Ducis tamen cujusdam Carthaginenſis eſſe, inde conjici poteſt, quod bello Hannibalico Sergius interfuit. In

SER-

SERVILIA,
Ahala Melium interficiens



Occurrit. Hiſtoria nota eſt, repoſuit ARCHÆOPHILUS. Ahalæ effigiem ſub Junia, effigiei Bruti junctam vidimus, quòd, ut ille Reges fugavit, ita hic Melium, A. V. C. 314. Regnum affectantem, interfeciſſet. Vidimus & Statuam Augurini, qui Melium coarguit, & farris pretium ad aſſem redegit. Cùm autem tunc temporis Denarios P. R. nondum ſignaverit, meritò quæſiverim, qui propoſitis originem dederint?

SERVILII,
Occiſi Cæſaris gloriam ſibi vindicantes,



Reſpondit DULODORUS, quos & in his intuemur, vel ſub Dioſcurorum ſimulacris, quaſi & ipſi Reipublicæ ſalutares exſtitiſſent: vel apertiore ſchemate pugiones extollentes, quibus Cæſarem occiderant. Prius Numiſma, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Ahalam & Melium exhibere, Urſinus arbitratur. Stellæ opinionem rejiciunt, excepit DULODORUS, in capitibus evidentiſſimæ; Cæterùm præter hæc in capite Floræ, aliud radiat Serviliorum monumentum, ejus ſcil. qui Floralia primus fecit. Floræ Floralia ſacra eſſe, ex Ovidio patet, Lib. IV. Faſtor.

Mille venit variis florum Dea nexa coronis:
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas feſtum Florale Kalendas.

Succedit

SICINIA,

Ubi L. Sicinii fortitudo



Contemplationi patet. De ea AGellius Lib. II. c. 11, ubi inter cætera & Coronas Aureas octo, Murales tres, Civicas quatuordecim tulisse, Triumphisque novem, cum Imperatoribus suis triumphasse memoratur. Quid hoc ad Numismata? excepit ARCHÆOPHILUS. Annon probabilis inde conjectura? inquit DULODORUS, Palmam & Lauream victorias Sicinii hujus adumbrare? Caduceum pacem post victoriam triumphalem? Accedit adversa, ubi sive Fortunam P. R. venereris, sive Fortitudinem, utrinque devotæ animæ ratio constabit. Civium fortuna, Civium fortitudo, fortitudo & fortuna Populi est. Populus, ut virtutem suam celebret, quidni in uno Cive ostenderet, quid universus possit? Id fecit in Sicinio, qui hoc in Numismate est, quod unguis in Leone. Agnoscite robur Leoninum in ungue! Agnoscite Romani Populi sive fortitudinem sive fortunam in Sicinio! Sicinius hostes prostravit: Populus Romanus Orbem terrarum subegit, sive fortitudine, sive fortunâ. Succedit

SOSIA,

Ubi Sosius, Antonii Præfectus.



Ejus meminit Vellejus Paterculus, de pugna Actiaca sermone instituto: *Classis Antonii*, inquit, *regimen Publicolæ Sosioque commissum.* Apud Seguinum, subjecit ARCHÆOPHILUS, Sosii Numisma vidi, tropæo insigne, ob Antigonum Judææ Regem & devictum & captum. Eò forsitan Numisma retulerim, cùm Aquila Κεραυνοφόρος, Caduceum præferens, Antonii genium sapiat, qui contra Parthos proficiscens, Fulmen & Caduceum & ipse signavit, ut pacem simul & bellum ostentaret. Conjectura futilis non est, inquit DULODORUS, nisi adjectæ literæ ZA rem ad pugnam Actiacam rejiciant, iis enim quid arbitreris significatum, si non Zacynthum Insulam, signati Numismatis locum? Sed aliis hoc dijudicandum relinquo. In

SULPI-

SULPITIA,

Servius Sulpitius JCtus, & Dioscuri,



Visuntur. De Servio Sulpitio JCto multa prostant apud Ciceronem, cujus sententiâ, post mortem Statuâ honoratus est, pro Rostris positâ. Id latius, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Ursinum legisse memini, sed de aversa is tacet, imò nec apud eum Dioscuros agnoverim; Stellæ enim verticibus desunt. At non desunt in proposito, subjunxit DULODORUS. Cur autem Dioscuros expresserit, qui Numisma percussit, non facile dixerim, nisi forsitan fratres sub iis lateant, ut modo in Servilia. Fratrem enim JCti Sulpicii fuisse, ex Cornelio Nepote patet: *Anicia*, inquit, *Pomponii Consobrina, nupserat M. Servio fratri Sulpicii*, &c. Succedit

P. SULPICII

Tropæum navale de Macedonibus.



Historiam habet Livius: Et Florus appositè ad Numisma: *Lævino Consule*, inquit, *Populus Romanus Jonium mare ingressus, tota Græciæ litora velut TRIUMPHANTE CLASSE peragravit.* Lævino Consule, inquit; Tunc enim Liviô teste, Sulpicius ad classem missus est, prorogatôque Imperiô, Ætolos juvit, nobilissimumque inter Sicyonem & Corinthios agrum vastavit, & ad Elim, Regem Philippum, in Romanos incurrentem, lapsuque saucium, in fugam conjecit, tandemque Oreum cepit, navibus ipsô, terra autem Attalo oppugnationem urgente. Pax intervenit, quam Atheniensium preces dirimerunt, ipsô Sulpiciô COS.II. Tunc, cùm ei Macedonia commendata esset, secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum Lictoribus profectus, in Macedoniam trajecit, Philippumque terrâ persecutus est ipse, mari persequendum Claudio Centoni permisit. Hæc in Conjecturis Te deducere memini, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem in sequenti

DII PENATES CUM PORCA?



An excidit, reſpondit DULODORUS, Porcam, quæ cum triginta capitum fœtu, Æneæ finiti erroris augurium fuit, ideò Lavinii in Salſura demonſtratam, quòd triginta annis Lavinienſes Albam condituros connotaverit, id quod Varronis teſtimoniô diſcimus? An excidit, ab eodem Ænea etiam Deos Penates, Trojâ avectos, Lavinii collocatos fuiſſe? Valerius Maximus, & alii, rem apertè. Et ſi de Deorum Penatium ſimulacris quæras, Dionyſius Halicarnaſſæus teſtatur, DUOS *tantùm fuiſſe*, PILAQUE *in manibus habere*, planè qualiter in Numiſmate viſuntur; Galeatos autem eſſe, qualiter apud Urſinum in averſa hujus Numiſmatis pinguntur, non dixerim; Galeæ enim in noſtro non apparent, unde potius laureatos crediderim, qualiter in adverſa viſuntur. Quicquid ſit, à Sulpitio expreſſas, quòd à Lavinio Sulpitiorum Gens deſcenderet, ex Tacito conficitur. In

TARQVITIA,

Caji Annii Triumphus de Sertorio



Viſitur, quem C. Tarquitius celebrat, eâdem adulatione, quâ ſuprà & Fabius Hiſpanienſis. Sertorii partes Tarquitium ſecutum eſſe, ex Salluſtii Fragmento probat Urſinus. Annii, poſt victoriam, partibus eum acceſſiſſe, ex Numiſmate patet. In

THORIA,

Thorii Lanuvini, à Tauris denominati,




Adumbrantur. Junonem Soſpitam Lanuvii cultam, excepit ARCHÆOPHI-LUS,

LUS, jam aliquoties audivi. Ita & de Thoriis à *Tauro*, vel à Θορεῖν, *ſalire*, denominatis, ad Gemmas dictum eſt. De Thorio autem, an Lanuvinus fuerit? & de literis capiti Junonis affictis, velim doceas. Literas, regeſſit DULODORUS, JUNO SOSPITA MAGNA vel MAXIMA REGINA interpretatur Urſinus, & de origine docet Cicero Lib. II. de Fin. *L. Thorius Balbus* (is ipſe, cujus hoc Numiſma eſt) inquit, *fuit Lanuvinus*, &c. In

TITIA,

Titius Poëta, cum Heliconis præſidio, & Victoria carmine obtenta.



Heliconis præſidium in Pegaſo, & capite Bacchi agnoſcis. Bacchum certè Lyſippi in Helicone fuiſſe, Pauſanias author eſt. Et victorias etiam carminibus obtentas, quis neſcit? De Titio Horatius:

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus?

Hæc ab Urſino obſervari memini, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed ipſe magis inclinat, ut Pegaſum Corinthi ſymbolum arbitretur, Coloniæ Cæſaris, de qua ſupra dictum eſt. Poterit & hæc connotari, inquit DULODORUS, ut tamen pro Poëta ſentias, effigies alata ſuadet, de qua vidimus inter Gemmas, ad Caput Muſæ alatum. In

TITURIA,

Tatius cum Tarpeja, & Sabinarum raptu,



Prodit. Res notior eſt, regeſſit ARCHÆOPHILUS, quàm ut doceri debeat. Tarpeja Sabinorum ſcutis in primo Numiſmate obruitur: Sabinæ in ſecundo, tertio, & quarto, rapiuntur. Tatius in duobus prioribus eſt cum palma Victoriæ ſymbolo: In tertio eſt ſine palma, ſed cum nomine. In quarto, perrexit DULODORUS, quod apud Urſinum non habetur, loco Tatii Roma eſt. Ita & argento publico primum & ſecundum percuſſum eſſe, ex literis A. PV. conſtat: Percuſſa eſſe in memoriam originis Gentis Tituriæ ex Sabinis, res ipſa loquitur. In

TULLIA,

Ciceronis ex Cilicia Triumphus



Radiat. At, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, annon etiam ad alios Tullios Numiſma pertinere poſſit, nullô cognomine quadrigas determinante? Poteſt, reſpondit DULODORUS, ſed nec Eloquentiæ Romanæ Parentem excluſeris, cùm ipſe de ſuo Triumpho Lib. XV. Epiſtola ad Catonem, & Lib. V. ad Atticum teſtetur. In

VALE-

VALERIA;
Aciſcoli ex Sicilia oriundi,



Ex nomine, capite Solis, & Diana, noſcuntur. Nomen clarum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Acis, Siciliæ fluvii Cultores innuit. Nec de capite Solis dubitaveris, regeſſit DULODORUS, Siciliam enim Solis Inſulam dictam, ad Numiſmata Corcyræorum docui. Ita & Dianam in Sicilia cultam, quis neſcit? Non de his quæſtio eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed de Europa Numiſmatis ſecundi; Neque enim patet, quid hæc ad Siciliam? Mihi, inquit DULODORUS, non tam Europa hæc videtur, quàm Diana, quæ quòd armentis præfuit, quid mirum ſi Tauro inequitet? Taurorum ſanè bigis inſiſtentem, etiam ſub Imperatoribus videbimus. Ex ſequentibus

L. VALERIBUS FLACCUS
Flamen Martialis, & Conſul,



Innoteſcit. Flamen Martialis ſub Apice, adjectoque Marte Victore, Conſul ſub inſcriptione Numiſmatis ſecundi; Pater enim fuit Meſſalæ, qui Numiſma percuſſit, patriſque in Conſulatu Ædilis Liberalia fecit, id quod ſub Sella Curuli & Thyrſo nobis imaginamur. Hæc ex Urſino memini, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ut & Valeriorum originem ex Sabinis, ſub armato Martis pede dextro; Id enim Pelasgis, à quibus Sabini deſcendére, in uſu fuiſſe, ex Virgilio demonſtratur. De Pelasgis non negavero, reſpondit DULODORUS; In Numiſmate autem noſtro nullum rei veſtigium eſt. Martis enim utrumque pedem nudum cernis, qualiter & in aliis ſolet. In

VETTIA,

Vettii Judicis Sabini Triumphus, & Ædilitas,



Etiam silente Historiâ, innotescunt. Vettios, Sabinos origine fuisse, ex Tatii capite patet, de quo jam sæpè. Triumphus ex bigis, Ædilitas ex spica noscitur: Et notandum, apud Ciceronem & Suetonium non *Vettium Iudicem*, sed ex hoc Nummo *Judicem* legendum esse. In

VETURIA,

Fœdus Tulli Hostilii cum Albanis



Se sistit. Id in Conjecturis Te statuere memini, inquit ARCHÆOPHILUS, idque contra Ursinum, qui ad Romulum & Tatium respicit. Ratione niteris satis probabili, quòd fœderis Hostilii nulla vetustior memoria, vel Livio teste, fuerit: quòd Veturius demùm sub Numa memoretur: quòd fœderis illius ritus per Fecialem & Patrem Patratum, Porcam percutientes, uti à Livio memoratur, in Numismate occurrat. Dubium de M. Valerio ritè videris diluisse, pro *Valerio*, exiguâ mutatione *Veturium* legendum existimans. Quicquid sit, respondit DULODORUS, minimùm fœderis morem contemplari volupe est, non enim tantùm in nomine, imò & in prænomine erratum erit. Qui Livio M. dicitur, is in Nummo T. appellatur. In

VIBIA

VIBIA,

Antonii & Cæſaris victrix Concordia



Prodit. Antonii? excepit ARCHÆOPHILUS. Atqui Urſinus Lepido Caput addicit. Lepidi non eſſe, inquit DULODORUS, ſed omninò Antonii, jam ante me obſervavit Cel. Vaillantius, qui ex averſæ Concordia Νικηφόρῳ, Nummum poſt pugnam Philippenſem percuſſum fuiſſe, rectè ſtatuit; Tunc enim M. Antonius & Cæſar concordes & victores exſtitére. In ſequenti

SACRA LIBERI



Adumbrantur. Caput Liberi, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Corona hederacea evincit, & in averſa ſunt Tigris, Thyrſus, & Perſona aræ impoſita, quæ omnia Baccho antiquitùs tributa fuerunt. Id neminem Eruditorum latet, inquit DULODORUS, an autem Cæſaris Gloriæ Numiſma cedat, qui Servio teſte, primus Liberi Sacra Romam tranſtulit, meritò dubites, cùm non Bacchi tantùm, ſed & reliquorum Deorum monumenta Vibii expreſſerint. In ſequentibus eſt

APOLLO, LIBERA, ET CERES.



Rationem Urſinus vel in origine Gentis ex Sicilia, vel in Cerealibus ponit, quos Vibiorum aliquis Ædilis Curulis fecerit. Si ad originem ſpectes, cauſa Apollinis patet. Ceres utrinque illuſtratur, cùm accenſis in Ætna facibus Proſerpinam, quæ eadem cum Libera creditur, quæſierit, factique ejus Cereales ad imitationem fuerint acti; Sed Porca pro Cerealibus ſtare videtur: Tunc eam Cereri mactari ſolitam, ſatis conſtat. In ſequenti

PAN, ET JOVIS AXUR,



Prodeunt. De Jove Axure, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſuprà ad Numiſmata Calenorum audivi, hîc autem integrum ejus ſimulacrum contemplor, capite radiatô, dextrâ neſcio quid præferente. Sceptrum quidem ſiniſtrâ præfert, ſed facie juvenili planè inſignis eſt. Rectè vides, regeſſit DULODORUS, Servius enim *Jovem puerum* vocat, & *Axurum* dictum arbitratur, quaſi ἄνευ ξυροῦ, *ſine novacula*, quòd barbam nunquam raſiſſet, quanquam alii à loco Anxure, de quo Virgilius:

— — *Subimus*
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

De Pane nondum perſpicio, inquit ARCHÆOPHILUS; Urſinus enim Perſonam agnoſcit, & me quidem judice rectè, collo enim deficiente, quid niſi Perſona reſtat? Perſonam non excludo, reſpondit DULODORUS, ſed Perſonam Panos effigiem imitari eò facilius crediderις, quò concinnius non tantùm hirſutus lineamentorum horror, cum Pane convenit, ſed & Panos nomen ad cognomen Panſæ alludit. In

VINICIA,
Auguſti honores




Radiant. Agnoſco, excepit ARCHÆOPHILUS; Sub Victoria enim coronas ſpargente quatuor Auguſti victorias reſpiciunt, quarum Unam ex Sicilia de Sexto Pompejo: Alteram de Pannoniis, Dalmateis, Japudibus & Galleis: Tertiam ex Macedonia & Actio: Quartam de Regina Cleopatra & Ægypto retulit.

Con-

Conjectura, inquit DULODORUS, satis concinna esset, nisi caput Concordiæ, quod Græco more CONCORDIAI inscribitur, rem potius ad Triumviros reducendam clamaret, quòd scil. ex eorum concordia Victoria laureas sparsura esset, eôdem geniô, quô in Vibii Numismate Concordia victoriam prætulit. In Numismatibus, secundo, & tertio, res clarior est. In illo Statua Equestris, in hoc arcus Triumphalis visitur. Utrumque à S. P. Q. R. IMP. CÆSARI positum, ex inscriptione patet: Positum, *Quod Viæ Munitæ Sunt EX EA Pecunia Quam IS AD Ærarium DEtulisset*, non tantùm Cippo adscriptum legimus, sed & ex Dione & Livio adstruitur. Res obscura non est, inquit ARCHÆOPHILUS. In

VIPSANIA,

M. Agrippa ab Augusto Cos. designatus, Cos. III, & ob Neptuniam laudem, Rostratâ decorus,



Visitur. Rectè ais, excepit DULODORUS; Primum enim Numisma percussum est, antequam Consulatum primum iniret: Secundum autem cùm tertiùm jam Consul fuisset. Consulatum primum gessit anno V. C. 717. cum L. Caninio Gallo. Tertium anno V.C. 727, cum Augusto VII. De Corona Rostrata videri possunt Vellejus & Dio. Nobis Virgilii verba subjecisse sufficit:

Parte aliâ ventis & Diis AGRIPPA *secundis,*
Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum,
Tempora NAVALI *fulgent rostrata* CORONA.

His ex verbis, inquit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor & aversæ notitia surgit, quos enim sub Dis secundis potius intelligas, quàm Neptunum, Imperium maris Agrippæ porrigentem? Numisma à Tito restitutum ex inscriptione discimus. In

VOLTEJA,

Jupiter cum templo, Hercules & Aper Erymanthius, Bacchus & Ceres, Mars & Cybele,



Visuntur. Templum, regessit ARCHÆOPHILUS, procul dubio est Jovis Capitolini, de quo sub Petilia vidimus. Assentior excepit DULODORUS, quanquam eadem utriusque forma non sit, quòd enim in Petilia hexastylon, in Volteja tetrastylon est, id in primo Incertorum apud Ursinum tantùm duabus columnis innititur, ut ita, quia sæpè conflagravit, uti ex Tacito constat, diversâ formâ restauratum, non abs ratione credas, quamvis si quis aliud fortè Jovis templum in proposito exhiberi arbitretur, me difficilem habiturus non sit; Constat enim plura Jovis, sub diversis Epithetis, Romæ templa fuisse. De Hercule & Apro Erymanthio res ex Mythographis constat, non minus ac de Libera & Cerere, quam Draconibus vectam, filiam investigasse, quis nescit? In Numismate, retrò Cererem, malum Punicum visitur, cujus grana quòd comedisset Proserpina, inferis addicta mansit. Res nota est, excepit ARCHÆOPHILUS, uti & de Marte & Cybele Leonibus vecta, quæ autem ratio sit, quòd Voltejus hos Deos expresserit, fateor me ignorare. Id cum Ursino cogor & Ego, inquit DULODORUS, nisi fortasse Pietatem, vel Pontificatum Maximum causeris; quanquam si hic fuisset, procul dubio etiam adscriptus esset. Quid ad sinciput Martis affictum sit, nihil magis me scire profiteor, certè non est pharetra, licet eam apud Ursinum videamus. Sequuntur

INCER-

INCERTA.



Numiſmata *incerta* vocantur, quibus nomen, quô determinentur, adſcriptum non eſt, licet interim res in iis expreſſæ, aliorum ſubſidiô ſatis effulgeant. Tria priora nullibi, quòd ſciam, vulgata proſtant. In primo caput Boni Eventûs viſitur, eôdem ferè modô, quô & in Gente Scribonia; Quid ſi inde colligam, eundem utriusque Numiſmatis authorem fuiſſe? Idem dextrarum, cum caduceo junctarum ſchema etiam in Numiſmatibus gentis Antoniæ M. ANTON. & C. CÆCAR. inſcribitur; Quis igitur dubitat, ad pacem pertinere, quam M. Antonius cum C. Cæſare anno V. C. DCCXIII. fecit, & ex qua ambo ovantes Urbem ingreſſi ſunt?


Hæc ſi ita ſint, inquit ARCHÆOPHILUS, utique de L. Scribonio Libone, qui tertium gentis Scriboniæ Numiſma ſignavit, non amplius dubitandum, num is fuerit, qui Conſulatum cum M. Antonio anno DCCXIX. geſſit, Sexti Pompeji ſocer, cujusque ſororem C. Cæſar in matrimonium duxit: an vero ejus pater, L. Scribonius Tr. pl.? Numiſma propoſitum rem ad primum indubiè deducit. Imò, perrexit DULODORUS, etiam patet, Numiſma 5. Tab. I. incertorum apud Patinum, non ſub Galba percuſſum, & Numiſma 1. Tab. II. non ad pacem Conjuratorum cum Antonio & Lepido, ſed omninò ad pacem Antonii & C. Cæſaris pertinere, de qua diximus: Uti & ex Tertio propoſitorum eviceris, etiam quartum, quod cum 2. & 3. T. II. Patinianorum incidit, omninò ad victoriam Cæſaris referendum eſſe, quâ Orbem terrarum ſubegit, Saluteque generi humano reſtitutâ, Civicam meruit.

In Quarto propoſitorum, excipit ARCHÆOPHILUS, & apud Patinum, alius planè Victoriæ typus cernitur, adeoque dubium adhuc eſt, an ad Cæſarem, an autem ad Conjuratos pertineat? Diverſam ſanè hiſce in Nummis coronam, arbitratur Urſinus, ab ea, quæ in Auguſti æreis OB CIVES SERVA-


 TOS

TOS decreta proſtat. Id Urſinus ſine authoritate facit, reſpondit DULODORUS. Pro Cæſare Divi Filio, militat, non tantùm Globus, Victoriæ ſuppoſitus, qui conjuratis non quadrat; ſed etiam Numiſma Auguſti in ſequentibus proponendum, in quo idem planè Victoriæ globo, inſiſtentis, & clypeo inſcribentis, ſchema viſitur, quod in propoſito: Et aliud inter Auguſti argentea, cum Patinianis quoad Victoriam idem. Sed ſecundum Numiſma negligendum non eſt, VESTA P.R. QVIRITIUM, ET FIDE EXERCITUUM inſigne. Similis Veſta, inquit ARCHÆOPHILUS, in primo & ſecundo Patinianorum ad Vitellii tempora rejicitur, eò quòd non Veſta tantùm, ſed & Jupiter in templo ſedens I.O.M. CAPITOLINUS inſcriptus, eôdem utrinque modô occurrat. Si argumentum valeat, reſpondit DULODORUS, idem & de noſtro dixeris, nam & Fides Exercituum, qualem hîc damus, in Vitellii Nummis viſitur. Ego ſanè quid contra ſentiam, non video. Notandum autem, Veſtæ huic non acum crinalem, ut quidam arbitrantur, ſed omninò Facem affictam eſſe, qualis ob æterni ignis cuſtodiam Veſtalibus inſueta non eſt. Numiſma quintum ad auguria Romuli & Remi pertinet, id quod adſtans Romæ, augurium captanti, Lupa Gemellorum nutrix evincit. At Roma tunc non fuit? excepit ARCHÆOPHILUS, imò nec tot video aves, quot vidit vel Romulus, vel Remus. De numero avium, ſubjecit DULODORUS, docet Eruditiſſimus Fabrettus ad Columnam Trajani: ***unam pro pluribus poni***, ita ſub ea, quæ à tergo eſt, procul dubio ſex Vultures intellexeris, quos Remus, & ſub altera, duodecim quos Romulus vidit. De Roma notandum, non Urbem, ſed Urbis Genium hîc adumbrari, quem Urbe priorem concipi, quid prohibeat? An autem, regeſſit ARCHÆOPHILUS, res non planior eſſet, ſi cum Urſino Fauſtulum Paſtorem, ſub figura hac ſedente agnoſceremus? Habitus Fauſtulum rejicit, inquit DULODOUS, figura enim hæc Galeata eſt, Haſtam tenet, Clypeis inſidet, planè qualis Roma ſolet. Adde & Papillas, quæ craſſiores ſunt, quàm ut viri eſſe poſſint. Sextum Numiſma ab Illuſt. Patino vulgatum & Imperatoriis præfixum eſt. Triumphalem eſſe, ex inſcriptione, & Lauro patet. Quid autem Serpentes caudis connexi? quid calces Equorum? niſi cum Patino Bellum prudentiâ geſtum intelligas, non explicavero.

DULODORUS Numiſma nondum ſepoſuerat, cum publica vox, quaſi ejus ex contemplatione exſurgens, JO TRIUMPHE! millenis undique ex faucibus reſonabat: Obſtupit ARCHÆOPHILUS, & vix ſalutatô DULODORO digreſſus, Legiones Brennonicas ex Hungaria rediiſſe, comperit, Militarique ſolennitate Palmas de Turcis partas, Gloriosissimo Electori ſuo ſubmittere. Subiit cupido rem inſolitam adſpiciendi; Mixtus igitur denſiſſimo Populi plaudentis agmini, in forum contendit, ibique occurrentibus Legionum primordiis, ad finem usque ſubſtitit.







On qui Cæſareas, Româ fluitante, Quadrigas,
Atque Triumphali Capitolia fœta boatu
Adſpexit, tantò potuit ferveſcere plauſu:

Quantô ARCHÆOPHILUS, viſo VICTRICIUM LEGIONUM adventu, ad DULODORUM regreſſus eſt. Peregrina, ſub primo ſtatim introitu exclamavit, & Armorum & Animalium vidi ſpolia: Equorum, Camelorumque, prædis onuſtorum, non exiguas catervas: Captivos Turcas & Tartaros, Legionum agmina præcedentes: Caudas Equinas, & Vexilla, Lunæ decreſcentis inſignita deliquio: Tentoria aurô & purpurâ radiantia: Acinaces Gemmis pretioſiſſimis onuſtas. Quid ferream belli ſupellectilem memorem? quid Clypeos & Jacula? quid Bombardas & Tormenta? quæ pernitioſiſſimo ab hoſte fortiſſimus JOVIS MARCHICI Exercitus retulit, HEROIque, ſublimiore ſuggeſtu venientem excipienti, tanquam actorum rationes redditurus, ſubmiſit? Antiquam Adlocutionem mihi videre viſus ſum, cùm GLORIOSISSIMUM ELECTOREM, *cum Aulæ Proceribus*, intuerer: Antiquorum Exercituum acclamationes, cùm publicam Legionum audirem vocem: FRIDERICO TERTIO, POTENTISSIMO ELECTORI GLORIA! FRIDERICO III. BARBARORUM DEBELLATORI GLORIA, FRIDERICO III. IMPERII DEFENSORI VITA, SALUS, & GLORIA!

Fides Militum, excepit DULODORUS, has voces expreſſit, quam ut ELECTOR noſter in ſuis laudat, ita & ipſe AUGUSTISSIMO LEOPOLDO totique IMPERIO TEUTONICO ſervat illibatam. Teſtes ſunt LEGIONES BRENNONICÆ in Sabaudia, in Belgio, ad Rhenum, & hæc ipſæ hactenus in Ungaria, contra Imperii hoſtes, glorioſè militantes. Nota ſunt prælia ad Moház, ad Semendriam: Nota obſidio Budana, in quibus omnibus BRANDENBURGICA VIRTUS haud exiguum ad victoriam momentum fuit: Notum enconium, quo MARCHIONEM CAROLUM PHILIPPUM, fato heu nimis maturo Terrarum Orbi ereptum! REX MAGNÆ BRITANNIÆ celebravit: Nota fortitudo, qua & ALBERTUS FRIDERICUS fulſit. Belgium utriusque theatrum fuit. Alterius fuit & Sabaudia. Et ne ex Heroum plebe hos arbitreris, ELECTORIS noſtri FRATRES ſunt, ut & natu Maximus PHILIPPUS WILHELMUS, qui Ducatûs Magdeburgenſis Locum tenens, reique tormentariæ Præfectus ſummus, Regiminis in curam &

Glo-

Gloriam venit: Et CHRISTIANUS LUDOVICUS, qui Heroem & ipſe non vultu tantum oſtendit, ſed & factis jam comprobavit. Tales memoras, inquit ARCHÆOPHILUS, quales & in Romano culmine celebrat Hiſtoria. Felicior, reſpondit DULODORUS, eſt Reſpublica Germanorum, quàm olim Romana fuit. Illam ambitio Civium ſubjugavit, ſed hujus libertatem etiam PRINCIPES tuentur, IMPERATORES propugnant. Quot Romano in culmine vitiorum mancipia memorantur? Quot autem Teutonico in cœlo laudatiſſimarum Virtutum Sidera? Res ipſa patebit, ſi Romanos Imperatores paulò penitius intueri placuerit. Scenam aperit,

C. JULIUS CÆSAR.



Cæſaris Numiſmata, licet pleraque raritatis eximiæ ſint, nihil tamen continent, quod Doctioribus nondum innotuerit. Primum quidem obvium arbitratur Cel. Vaillantius, cùm autem noſtrum eximiæ cælaturæ ſit, omittendum non cenſeo. At inquit ARCHÆOPHILUS, an ſub Cæſare hæc ſunt proponenda, cùm tamen conſtet, ſub Divi Filio percuſſa eſſe? Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, Divi enim gloriæ percuſſa ſunt, ſecundum quidem à Colonia Julia Valentia, quam in Hiſpania citeriore à Pompejo everſam, à Julio autem deductâ Coloniâ reſtitutam, ex Plinio conſtat. Sed hæc erudite, ut ſolet, laudatus modò Vaillantius. Idem, repoſuit ARCHÆOPHILUS, etiam tertium Numiſma vel ad eandem Valentiam, vel ad Coloniam Octavianorum Pacenſem Juliam Auguſtam referendum, vel certè inter incerta reponendum arbitratur; Sed Te memini ad Thuriun cum Triſtano reſpicere, an opinione firmâ, id eſt, quod ex Te quæſitum velim. Me judice firmâ, inquit DULODORUS; Thurium enim *Copias* dictum, Strabo teſtatur: Victoriam utrique, & Divo & Divi Filio, communem, unica palma arguit: Et qualis illa fuerit, ſi non de Sexto Pompejo, quam & navium vaſtitas demonſtrat, de qua Dio tam clarè, ut etiam altitudinem, craſſitudinemque epotidum, & turres nominaverit? Accedit Thurinorum fortuna: A Sexto Pompejo obſeſſi, ab Agrippa liberati memorantur: Ut taceam Thurinorum cum Divi filio neceſſitatem, quòd ſive ob originem, ſive ob victoriam paternam, & ipſe *Thurinus* fuerit appellatus: Taceam & omen Imperii maritimi,

maritimi, Piſcem navi affictum, quem ex mari exſilientem, ad pedes ejus ſe projeciſſe, ejusdem Dionis teſtimoniô conſtat. Sed alia ſubeunt.



In primo & ſecundo juvenilem Cæſaris effigiem exhiberi, eôque Suetonium excuſari, qui *teretibus eum membris fuiſſe* aſſerit, procul dubio adhuc ex Conjecturis meis meminiſti. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, nec diſplicet ratio, cùm etiam ſuprà docueris, curis & vigiliis ſubactum, in rugas, quæ in reliquis apparent, concidere non potuiſſe, niſi ſucculenta plenitudo vegetam ætatem inflâſſet. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, indeque credibile videtur, L. JULIum L. F. Cæſarem, qui primum Numiſma percuſſit, eum in finem juvenilem Cæſaris effigiem Veneri, Bigis Cupidinum vectæ, appoſuiſſe, ut & origini Divinæ, & venuſtati adularetur: Eôdem modô, quô Quintus Minutius Thermus M. F. ſecundo in Numiſmate, eundem cum fortitudinis ſpecimine, quod ſub Thermo Minucii patre obierat, eum in finem expreſſit, ut gloriæ juvenilis eum admoneret, & vel ſic ejus voluntatem ſibi conciliaret. Res eò credibilior eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quò clariora ſunt verba Suetonii: *Stipendia*, inquit, *prima in Aſia fecit, M. Thermi Prætoris contubernio.* Et paulo poſt: *A Thermo in expugnatione Mitylenarum Coronâ Civicâ donatus eſt*, ſcil. quòd Civem, quod in Nummo facit, ab hoſte defendiſſet. Res nota eſt, inquit DULODORUS, non minus ac in tertio Numiſmate, ubi adulationis, an prudentiæ, genium mirari ſubit, quô L. BUCA ſupremam Imperii poteſtatem cum dulciſſimo Pacis & Concordiæ conjugio Romanis venditavit. Quid Faſces? Annon poteſtatem in Civilibus? Quid Securis? Annon eandem in Sacris oſtendit? Et quid præterea deſiderare poterat Cæſar? Invidioſa hæc in Cive fuiſſent, niſi Pacis & Concordiæ umbrâ fuiſſent inducta. Pacem ſub Caduceo, Concordiam ſub Dextris junctis latere, quis dubitat? Sed concordia, regeſſit ARCHÆOPHILUS, in obſcuro eſt: An quòd eam cum Antonio exercuerit, cujus caput in quarto Numiſmate capiti Cæſaris junctum video? Fortaſſis, inquit DULODORUS; Antonium enim Cæſaris partes foviſſe, ex Hiſtoria obſcurum non eſt. Ad Pompejum certè ne reſpicias, Laurea & titulus DICT. PERPETUO in cauſa eſt. Quicquid ſit, Numiſma rarum eſt, qualia & ſequentia.



Nihil in his, excepit ARCHÆOPHILUS, quod explicatione egeat. Vitulus cognominis rationem pandit: Et Voconium Vitulum Quæstorem designatum, ex Inscriptione patet, idque vivente adhuc Cæsare, cùm secundum Numisma, Cæsare jam cæsô signatum esse, ex elogio *Divi* elucescat. Profundius res exquirenda, respondit DULODORUS. Quid enim cognominis *Vitulorum* ratio in Cæsaris Nummo, nisi & ejusdem honori cedat? Mihi arctior nexus latere videtur. Quid si eâdem adulatione, quâ alii se pro Imperatorum salute devoverunt, etiam Voconius Vitulus, Vitulum expresserit, ut se pro Cæsaris, & vivi salute, & Divi gloria & honore, vel victimam innueret futurum? Sed priora Numismata prætereunda non sunt. C. Cossutius Maridianus IIIIvir A. A. A. F. F. qui ea percussit, is fuit, cujus filiam Cæsar dimisisse legitur, Corneliam, quater Consulis filiam, ducturus. An hic, inquit ARCHÆOPHILUS, Cæsarem Numismate honoraverit, tam insigni injuriâ ab eodem affectus? Quid faceret, regessit DULODORUS, Cæsare jam rerum potitô? tunc enim Numismata percussa esse, ex Laurea & titulis liquet, quibus vel *Dictator perpetuus*, vel etiam *Parens Patriæ* appellatur. Non his tantùm insignis est, excepit ARCHÆOPHILUS, imò & Apex, & Lituus, & Velum cernuntur. Velum, respondit DULODORUS, Pontificatum Maximum: Apex Flaminium Diale indicat, de quibus Suetonius testatur. Sed quid in his moramur? quidni, quod & sequentibus in Nummis radiat,

Divinum



Divinum à Venere Cæsaris genus intuemur, non à Cossutio Maridiano tantùm, sed etiam à L. Æmilio Buca, P. Sepullio Macro, L. Flaminio, & M. Mettio signatum? In plerisque Venus Victoriolam præfert, quòd præliorum tessera, & in Pharsalico, & in Cordubensi fuerit; in ultimis cum Globo Clypeis supposito, quòd Orbem Terrarum ejus auspiciis Cæsar obtinuisset; In septimo locô Victoriæ Caduceum præferens, quasi Pacem orbi intulisset. Hæc nota sunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Succedit igitur

AUGUSTUS,



Respondit DULODORUS. Numisma KΛAZOMENIΩN, sub Augusto percussum, etiam apud Goltzium videas, qui figuram aversæ Imperatorem facit; Sed illud hîc novum est, quòd Augustus *Clazomeniorum* Κτίστης sive *Conditor* vocetur. Clazomenas, inquit ARCHÆOPHILUS, Parulus condidisse, Straboni memoratur. Scio, respondit DULODORUS, adeòque Κτίστην non de *primo Conditore* acceperim, sed de *restauratione* quadam, *Coloniave* eò deducta, aut alio insigni beneficio Clazomeniis collato, intellexerim: Sic Romam novimus à Romulo re Militari, à Numa Religione fundatam. Caput, excepit ARCHÆOPHILUS, Augusti quidem est, sed tamen præter solitum cervice projectâ Alexandrum videtur æmulari. Id de nihilo non est, respondit DULODORUS; Præter enim, quòd Alexandri imagine in diplomatibus signandis, Suetonio memoratur usus, illud omninò observari meretur, quod Strabone teste, *suprà Clazomenios lucus jacuerit, ALEXANDRO, Philippi filio, consecratus, ubi certamen Communitati Jonum indictum, & ALEXANDREA nominatum, peragebatur.* Ex hoc loco utique facilè intelligas, Clazomenios, suetâ populorum adulatione, Ludos hos Augusti honori apposuisse. Secundum Numisma apud Patinum in Impp. prostat, sed duplici errore obscurum; primò enim Sapilus II. Q. legit, cùm tamen in nostro TILUS APALUS II. V. ad oculum pateat, præcedentibus adhuc literarum OS. fragmentis, ita ut HOSTILIUS APALUS legi debere non infirma conjectura subeat: Deinde Ptolemæus Rex, Patino Jubæ filius creditur, cùm tamen Jubæ filius non nisi sub Augusto sene, vel etiam sub Tiberio, patri successerit, id quod ex Jubæ Nummis clarum est, uti supra vidimus; Imò & ex Tacito, qui anno X. post Augusti mortem, Ptolemæum *juventâ incuriosum* asserit fuisse, adeò ut Mauri ea abusi, Tacfarinati eo usque militaverint.

Quor-

Quorſum hoc? inquit ARCHÆOPHILUS. Quorſum? inquit DULODORUS, ſi non in Numiſmate, in quo Auguſtus juvenili adhuc facie radiat, eum *Regem* nominari non poſſe. Inſpice & judica! Ritè ſentis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed non ſatisfacis, niſi & alium Ptolemæum ſubſtituas, tempore priorem. Subſtituo, ait DULODORUS: Antonii & Cleopatræ filius ſe ſiſtit, quem Auguſtus, cum Alexandro fratre, Jubæ & Cleopatræ conceſſiſſe, Dioni memoratur. An hic Rex fuerit? excepit ARCHÆOPHILUS. Fuit nativitate, reſpondit DULODORUS, quidni & nomine? licet Regnum non obtinuerit: Et tune credas, Regem Regiis viribus ſuccinctum, Duumviri Romani honores jactaturum? aut an ignoras, etiam Alexandri fratris Numiſmata, Regiô nomine percuſſa, apud Triſtanum, & Patinum proſtare? Ita, ſi placitô acquieſcas, inquit ARCHÆOPHILUS. Tutiùs autem ea Numiſmata Regi Syriæ cum Vaillantio tribuerem. Quicquid ſit, perrexit DULODORUS, Lauream Rege Ptolemæo & Hoſtilio Apalo II. Viris Auguſto delatam, Nummus indubiè docet; Niſi ipſe Rex obtulerit, excepit ARCHÆOPHILUS, Duumviris Hoſtilio & Apalo. Id non dixeris, reſpondit DULODORUS; Duumviri enim Coloniarum erant, & Coloniæ Coronas Duumvirorum authoritate Imperatoribus offerre ſolebant; Quid igitur ſi Coloniæ nomen in propoſito injuria temporis ſuſtulerit? Nummus integrior fortaſſis id pandet. In tertio Numiſmate, licet rariſſimo, utpote quod cum fulmine apud Celeb. Vaillantium in abſolutiſſimo de Coloniis Opere non exſtat, nihil tamen obſcurum eſt. Municipium auguſta Bilbilis Urbs Celtiberorum in Hiſpania Tarraconenſi, M. SEMPRONIO TIBERINO, ET L. LICINIO VARO *II.* Viris Auguſto fulmen dedicat, eoque ipſo non humanis, ſed Divinis Jovis Latii honoribus Patrem Patriæ veneratur.

De Bilbili, inquit ARCHÆOPHILUS, plura me legiſſe memini, in laudato Vaillantii Opere; Sed quid Numiſma quartum? Caput quidem Auguſti agnoſco, ſed inſcriptio obſcura eſt. IMP. ACT. legitur. Quid? an Auguſtus *Imperator Actius* cognominabatur? Id novum eſſet, reſpondit DULODORUS; Ego potiùs Imperatorem Actio Apollini victimam obtuliſſe, hoc Numiſma crediderim teſtari; Id enim non Inſcriptio tantùm, ſed & Bos averſæ in Laurea innuit. Quicquid ſit, Numiſma rariſſimum eſt, nec ab alio, quod ſciam, unquam adhuc vulgatum. Idem & de quinto dixeris. Caput Auguſti in eo ad oculum patet, & ſuffragatur averſæ inſcriptio. Quod autem vaſis genus juxta proponatur, non facilè dixerim. Sextum clarius eſt. Auguſtum Pontificem appellat, & in averſa Coronam Pontificiam Auguſto ab Antiochenſibus delatam exhibet, vel ob Pontificatûs Maximi dignitatem ab Auguſto adſumtam, vel ob editum apud Antiochenſes munus Pontificium, prout illud ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ interpretatur Celeb. Noriſius. Coronam? excepit ARCHÆOPHILUS, at Triſtanus Portum arbitratur, quem Tiberius (in Tiberii enim Nummo hanc averſam protulit) in honore Pontificatûs Maximi ſuis ſumtibus apud Antiochenſes ædificaverit. Triſtani opinio, reſpondit DULODORUS, jamdudum exploſa eſt. Patinus, qui eundem Nummum ſub Auguſto protulit, Aliique Coronam agnoſcunt, iiſque ſuffragatur Numiſma noſtrum, in quo faſcia Coronam ligans ad oculam patet. Sed Argentea ſubeunt Auguſti Numiſmata.



Primum maximi moduli eſt, eôque ſolô inter ſelecta locum meretur. Res enim expreſſæ obſcuræ non ſunt. Lituus Auguratum deſignat, Spicæ ad Ægyptum pertinent, id quod ex Numiſmate, à Triſtano pag. 91. vulgato, planum eſt; In eo enim eædem ſex ſpicæ, eôdemque modô colligatæ, ΚΑΙΣΑΡΟΣ, & in averſa, Palma ΑΛΕΞ ΑΙΓ. inſcribuntur. Concinnus eſt locus Suetonii: *Ægyptum*, inquit, *in Provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque ANNONÆ URBICÆ redderet, foſſas omnes in quas Nilus exæſtuat, oblimatas longâ vetuſtate, militari opere deterſit.* Si Numiſma Græcum eſſet, excepit ARCHÆOPHILUS, ratio procederet; Cùm autem Romanum, neſcio an ſatisfaciat? Quidni? reſpondit DULODORUS, nonne opus id, ut Author expreſſe dicit, promovendæ *annonæ Urbicæ* fecit? Secundi Numiſmatis averſa cum Tertio, quæ ſuprà vidimus, incertorum convenit, adverſa autem Auguſtum Divi Filium prodit, adjecto Imperatoriæ appellationis numero X. quô honoratus fuit Anno V.C. 742, Pannoniis à Tiberio devictis & domitis, uti Illuſtrisſimus Mediobarbus teſtatur.

Ex his, inquit ARCHÆOPHILUS, percuſſi quidem Numiſmatis tempus elucet, quid autem averſæ Luna cum ſeptem ſtellis? ſi ſex eſſent, cum Luna ſeptem Planetas arbitrarer. Non hi, reſpondit DULODORUS, ſed ſeptem Triones ſunt, innuuntque Numiſmatis authorem L. Lucretium Trionem, qui eôdem planè ſymbolô in Familiæ Lucretiæ Nummis apud Patinum uſus eſt: Imò & ad geſta ad Septentrionem reſpici poteſt, quæ Auguſti auſpiciis, Tiberii ductu, patrata modò diximus. Numiſma tertium nec ipſum adhuc publici juris, Anno V.C. 721. percuſſum eſſe, ex Conſulatu patet, tunc enim COS. ITERum & TERtium DESIGnatus erat, qualiter in Nummo legitur. Adverſa, inquit ARCHÆOPHILUS, IMP. CÆSAR. DIVI. F. III. VIR. inſcribitur, ſed R.P.C. abeſt. Non abeſt, reſpondit DULODORUS, ſed in Tripode legitur. Tripos & Laurea Apollinis inſignia ſunt. Quartum Numiſma Armeniam receptam gloriatur. Armeniam, excepit ARCHÆOPHILUS, recepit Anno V.C. 734. cùm ipſe Aſiam adiiſſet, & Anno 754. cùm C. Cæſarem ad id bellum miſiſſet, ſed Numiſma niſi fallor antiquius eſt, Imperatorii enim honoris numerum VII. exhibet, cum tamen Anno V.C. 734. jam IX. ſignaret, id quod ex Nummis manifeſtum eſt. Ritè dubium moves, inquit DULODORUS. Id ſi obſervâſſet Illuſt. Mediobarbus, Numiſma ad annum 734. non diſtuliſſet, pertinet enim an annum 725, quô Auguſtus, mortuis M. Antonio & Cleopatra,

Aſiam

Aſiam, & proinde etiam Armeniam, recepit. Id non aliô argumentô probaverim certius, quàm Numiſmate illô, quod cum *Aſiæ receptæ* averſa vulgò proſtat, id enim & ipſum IMP. VII. inſcribitur: Ut taceam aliud, ab Illuſt. Mediobarbo prolatum, ubi adverſa CÆSAR. IMP. VII. averſa autem COS. V. inſcribitur, ex quo indubiè conſtat, Numiſmata hæc ſub reditum ex Aſia Anno V.C. 725. percuſſa eſſe. Ad alia tranſiturus erat DULODORUS, at ARCHÆOPHILUS, quid properas? inquit. Ingentem adhuc non Æreorum tantùm ſed & Argenteorum & Aureorum ſub Auguſto numerum video: Video non numerô tantùm, ſed & raritate fulgentia. An Tibi prætereundæ videntur, quæ in ſequentibus radiant,



Coloniæ? Julia Traducta, Patricia, Cæſar Auguſta Victrix Celſa, & Emerita? De Emerita, inquit DULODORUS, ſub Familiis dixi. De reliquis videri debet Cel. Vaillantius in Opere abſolutisſimo de Coloniis Romanorum, ubi Juliam Traductam geminam fuiſſe docet, alteram Africæ Tingitanæ, alteram Hiſpa-

Hispaniæ Bæticæ, in ora opposita: Illam à Claudio Cæsare deductam, hanc Civium Romanorum jure à Julio donatam. Si hæc ita sint, excepit ARCHÆOPHILUS, jam patet Nummum non ad Africæ, sed ad Hispaniæ Urbem pertinere, quî enim Colonia à Claudio deducta, Augusto coronam Civicam offerret? Colonia Patricia, regessit DULODORUS, & ipsa Hispaniæ Bæticæ fuit, Corduba antea dicta, Marcelli Opus, uti ex Strabone liquet. *Patricia* videtur appellata à Patriciis eò deductis, quos Strabo *Romanorum delectos* vocat. Corona Civica, in hoc & superiore Nummo, Cives in bello ab Augusto servatos arguit.

In tertio, subjecit ARCHÆOPHILUS, est Cæsarea Augusta: in quarto & quinto Victrix Celsa. Est, excepit DULODORUS, & quidem illa cum IIviris *L. Cassio* & *C. Valerio Fenestella*, hæc vel cum *L. Cornelio Terracina* & *M. Junio Hispalo*, vel cum *L. Baggio* & *Manio Festo* & ipsis *IIviris*; Fuerunt autem hæ Urbes Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum amnem. Colonus cum bobus vulgatum est Coloniæ dedicendæ symbolum, uti Bos Municipii. Ad Duumviros notandum, *BAGGIam* gentem inter Romanas non occurrere. Peregrinam esse arbitratur Vaillantius, eâ potissimùm ratione, quòd *Baccia* Urbs Lusitaniæ Orosio memoretur. Sed restant Numismata septimum & octavum. A Panormitanis signata esse, subjunxit ARCHÆOPHILUS, ex inscriptione patet, at sub Augusto percussa esse non patet; Quid enim? an ille galeatus? Est, regessit DULODORUS, & noscitur ex aversæ capite fœmineo, quod Juliæ est, non minus ac in secundo. Panormum certè *Coloniam Augustam* etiam in Inscriptione dictam, Vaillantius ex Sponio observat: Et Coloniam militarem fuisse, ex capite galeato intelligis. Nonum Numisma Coloniæ incertæ est. Duumviri fuere C. Varius Rufus & Sextus Julius Pollio. Instrumenta sacrorum ad Pontificatum Augusti Maximum pertinent. Aurea subeunt, excepit ARCHÆOPHILUS,



In primo Cajus in Armeniam proficiscens visitur: In secundo Victoria cum Labaro, globo insistens. Orbis terrarum hæc est, respondit DULODORUS, quam Antonio devicto Cæsar obtinuit. Tertium Numisma Statuam Equestrem exhibet, quam Populi Jussu positam, ex inscriptione argentei intelligimus. Rarùm illud Numisma est, nobis tamen non deficit. Rara est & Pax Numismatis quarti, quæ non tantùm Caduceum, sed & Caput Papaveris inter Spicas tenet,

tenet, ut intelligas, rerum abundantiam pacis donum esse. Post mortem Augusti, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc Numisma signatum, ex corona radiata, & appellatione DIVI constat. At sequentium argenteorum



Primum, signatum antequam adhuc Augustus appellaretur, & ipsum Pacem exhibet, non quidem Caduceum, sed ramum Oleæ & Cornucopiæ præferentem. Ad annum 725. hæc pertinet, quô, Antonio & Cleopatra devictis, ex Asia rediit, Janumque clausit. Numisma secundum, excepit ARCHÆOPHILUS, procul dubio Indorum Legatos exhibet, de quibus Suetonius c. 21. *Virtutis*, inquit, *moderationisque famâ* INDOS *etiam ac* SCYTHAS, *auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam Populique Romani ultrò per Legatos petendam.* Speciosè hæc, inquit DULODORUS, minus tamen verè; Adscriptus enim Imperatorii honoris numerus non Indos, sed Pannonios, quos Tiberius domuit, pacem petentes arguit. In tertio est templum Jovis Olympici. An quòd Augustus id exstruxerit? excepit ARCHÆOPHILUS. Non arbitror, respondit DULODORUS, alia enim ex Suetonio c. 60. causa liquet: *Reges amici atque socii*, ait, *cuncti simul ædem* JOVIS OLYMPICI, *Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumtu destinaverunt*, GENIOQVE EJUS *dedicare.* Quartum Numisma se ipsum illustrat. Arcum Triumphalem Triplicem exhibet, CIVIBUS ET SIGNIS MILITARIBUS à PARTHO RECUPERATIS erectum. Cives & Signa, subjecit ARCHÆOPHILUS, recuperavit anno V.C. 734. Trib. Pot. IV. at in Nummo Tr. Pot. VI. legitur. Hæc nihil obstat, inquit DULODORUS, non enim Signorum receptorum, sed Arcûs exstructi, & Numismatis signati tempus exprimit. Quintum, Vota pro Salute & Reditu publicè testatur suscepta. Sextum aram Consecrationis exhibet. Sed quis omnia produceret? Sequitur

TIBERIUS,



Quatuor Tiberii Numiſmata profero, priorum alterum Rever. Harduino quidem memoratum, ſed nec delineatum, nec explicatum; alterum Celeb. Patino licet non memoratum, tamen ſuffragaturum. Rever. Harduinus de Nummis Smyrnenſium: *Patinus,* inquit, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ *pro* ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ *legit, quod quis ferat aut intelligat?* Adeonè res aut obſcura, aut incongrua eſt? at noſtrum Numiſma eundem ΙΕΡΩΝΥΜΟΝ ad oculum exhibet. Non eſt quod dubites, ARCHÆOPHILE. Literæ ſingulæ apertè leguntur, adeòque evincunt, Hieronymum hunc Smyrnenſium vel Prætorem, vel certè Pontificem fuiſſe. Pro Pontifice, excepit ARCHÆOPHILUS, ara videtur pugnare, cui autem Deo ea erecta ſit, niſi ex Laurea Apollini tribuatur, mihi quidem obſcurum eſt. Cui Deo? regeſſit DULODORUS. Ipſi Tiberio. An neſcis, apud Tacitum Lib. IV. Ann. Civitates Aſiæ de templo Tiberio ſtatuendo diſceptâſſe, idque Smyrnæis eſſe conceſſum? An neſcis templum id in Nummo Patiniano eſſe delineatum? An Tu templum ſine ara fuiſſe credas? at hæc vel potiſſimum Divini honoris eſt vel indicium, vel inſtrumentum.

Idem Patinus, inquit ARCHÆOPHILUS, Numiſma etiam ſecundo ſimile produxit. Simile eſt, quoad Lauream, reſpondit DULODORUS, ſed inſcriptio non *Silanum,* ſed *Flaccum* prodit. Silanus, de quo hîc loquimur, is eſt, qui ſub Auguſto Cos fuit, cum P. Cornelio Dolabella, A. V. C. 762, & poſtea ſub Tiberio Procos Aſiæ hoc Numiſma percuſſit; quanquam non potuerit evitare, quin repetundarum accuſatus & damnatus, in Inſulam Cytheram relegaretur. Proceſſum videas apud Tacitum L. III. Ann. circa finem. De Silano hæc inſtruunt, inquit ARCHÆOPHILUS, non de Corona. Patinus, reſpondit DULODORUS, Coronam hanc inſigne Pontificatûs agnoſcit, eò quòd etiam Auguſto coronam dedicaverint Antiochenſes, adſcriptô ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ titulô. Sed diverſa eſt Coronæ Pontificiæ figura. Potius ego ad Daphnen reſpexerim, locum Antiochiæ Lauris conſitum. Laurus cùm victoriæ ſymbolum & inſigne ſit, quidni Antiochenſes ſuam, Imperatoris gloriæ tanquam vel felix augurium, vel rei benè geſtæ præmium obtulerint? Duas adhuc literas E. M. video, inquit ARCHÆOPHILUS. Hæ quid ſibi veliut, obſecro ut explices. Numerales ſunt, reſpondit DULODORUS, Annum XLV. denotantes, cujuſmodi binos attulit Silani

Nummos

Nummos Diff. de Numm. p. 867. Per-Illuft. SPANHEMIUS, & quibus non annos Æræ Antiochenæ, aut Imperii Augufti, rectè ibidem moneri, Cel. Norifius obfervat, de Epoch. Syr. Macedon. p. 213. fed annos Imperii Augufti in Syria, & quidem apud ipfam Syriæ Metropolim Antiochiam. Numifmata Tertium & Quartum apud Vaillantium proftant, in eo diverfa, quòd prioris Caput in noftro laureatum non eft, quòdque numerus II. fub II.VIR in fecundo ibi non apparet. MUNICIPium CASCANTUM in priore lego, inquit ARCHÆOPHILUS, & in pofteriore Coloniam Victricem CELfam. De hac fub Augufto vidimus, at de Cafcanto mihi obfcurum eft. Urbs Hifpaniæ Tarraconenfis fuit, refpondit DULODORUS, non minus ac Julia Celfa. Cafcantenfes memorat Plinius, Lib. III. c. 3. Bos Municipii fymbolum eft, & ex numero II. in pofteriore conftat L. Baggium Frontonem, & Cn. Buccum, Duumviros iterum, Numifma fignaffe. Sed alia fubeunt,



Primum & feptimum, Augufti honores præferunt, non vivi, fed Divi. In primo, Caput Augufti Laureatum ftellâ infignitur, eadem procul dubio ex ratione, quâ

& Divo Julio Stella crinita adſcribitur, quòd ſcil. anima Auguſti, Stellis addita, non minus fulgeret, ac ſidus vel Julium, vel Juliorum maternum. Id ut credas, Numerii Attici, viri Senatorii & Prætorii, adulatio facit, qui, Dione teſte, Auguſtum in cœlum aſcendentem ſe vidiſſe juravit, eamque ob rem decies Seſtertiûm à Livia donatus eſt. Probabilis ratio eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, quanquam mihi aliud dubium naſcatur, an ſcilicet Stella hæc non potiùs Stella Jovis credi debeat, eò quòd Auguſto in cœlis Jovis honores tribuerent, id quod ex aliis patet, ubi capiti ejus & fulmen affictum eſt, uti patet ex Goltzianis Tab. XXI. Si eò aſcendas, inquit DULODORUS, poteris & pro Sole decernere, eò quòd in alio, & Auguſto & Liviæ poſt mortem utriusque dicato, Sol & Luna appareat. Sed mihi ſimplicius videtur ad Apotheoſin reſpiciendum, quâ defuncti Imperatores Stellis, imò & Deorum numero illati credebantur, liberô adulationis geniô, cui Deo defunctum aſſimilare vellet.

Deorum numero illatos, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, hactenus credidi: De Stellis autem adhuc dubitem. Unicô Numiſmate rem confeceris, reſpondit DULODORUS. Apud eundem Goltzium T. XXI. Auguſtus radiatus inter ſeptem Stellas fulget: In aliis inter duas, quô ſchemate quid deſignetur, ſi non Auguſtus Stellis illatus? De Quadrigis Elephantorum audire velim, regeſſit ARCHÆOPHILUS. Thenſa eſt, reſpondit DULODORUS, quâ Deorum, ſive defunctorum & in Deorum numerum relatorum, ſimulacra in Circenſibus vehebantur. Talem Auguſto decretam, ex Suetonio diſcimus, in Claudio c. II. *Aviæ Liviæ*, inquit, *Divinos honores, & Circenſi pompa CURRUM ELEPHANTORUM, AUGUSTÆO SIMILEM, decernendum curavit*; Sed his, utpotè notis, non immoramur. Secundum Numiſma ad ſeceſſum Capreenſem retuli, nec adhuc apparet ratio in contrarium. At nulla, infit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmate præter numerum VII. inſcriptiò eſt. Id ipſum, inquit DULODORUS, facit, ut coronam ad victoriam quandam Veneream referamus, quam Cupido obtinuerit; at ubi certamina rerum Venerearum Capreenſibus Tiberii fuére potiora? Numiſma adeò obſcœnum non eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, ut Tiberii nequitiam exprimere credi poſſit. Mihi licet de ſeceſſu Capreenſi non negem, tamen honeſtiori certamini, & non Tiberio Numiſma vindico; Quid enim, ſi ad ſeceſſum Auguſti pertineat, & ſub Cupidine Ephebus lateat, ex eorum numero, quos ex veteri inſtituto exercentes, Auguſtus ſpectâſſe, Suetonio c. 98. memoratur? Si hoc ſtatuas, Laurea non diffamabitur, ſed ſeptimum Victoris præmium indigitabit. Conjectura, ſubjecit DULODORUS, futilis non eſt. Ego re in medio relictâ, ad reliqua tranſeo, quanquam nihil contineant, quod Peritioribus nondum innotuerit; Quis enim Aſiæ Civitates XII. terræ motu unâ nocte, Tiberii Cæſaris Principatu, collapſas, ex Plinio non didicit? Quis non ex Tacito, eas à Tiberio reſtitutas? Audi verba, Annalium II. *Eôdem annô*, inquit, *duodecim celebres Aſiæ Urbes collapſæ, nocturnô motu terræ, quò improviſior graviorque peſtis fuit. Neque ſolitum in tali caſu effugium ſubveniebat, in aperta prorumpendi, qui diductis terris hauriebantur. Sediſſe immenſos montes, viſa in arduo quæ plana fuerant, effulſiſſe inter ruinam ignes, memorant. Aſperima in Sardianos lues, plurimum in eosdem miſericordiæ traxit. Nam centies Seſtertiûm pollicitus CÆSAR, & quantùm ærario aut fiſco pendebant, in quinquennium remiſit. Magnetes à Sipylo, proximi damno & remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægæatas, Apollonienſes, quique Moſceni, aut Macedones Hyrcani, vocantur; & Hiero Cæſaream, Myrinam, Cymen, Tmolum levari per idem tempus tributis, mittique ex Senatu placuit, qui præſentia ſpectaret, refoveretque.* De merito locus inſtruit, excepit ARCHÆOPHILUS: Sed de honore inſtruit Numiſma, procul du-

cul dubio enim, quæ in Nummo visitur, Statua, Tiberio ob meritum posita fuit. Sed quid Numisma quartum? an Victoria viventis adhuc globo cœlesti insideat? Quidni? respondit DULODORUS, si victoriarum æternitas indigitetur? Cæterum notandum TR. POT. non XXV. sed & in alio XXVI. nobis præstò esse, explicarique de Tacfarinate à Dolabella in Africa devicto, de quo Tacitus Annal. V. videri potest: Notandum, Numismata solitis minora esse, quô modulô inter aureos raris adnumerantur.

Quintum Numisma, subjunxit ARCHÆOPHILUS, elegantissimum est; At alioquin frequens & obvium, reposuit DULODORUS, adde quòd & ipsum jam à Cel. Vaillantio illustratum sit. Segobriga, Hispaniæ Urbs Coronam, Querceam celebrat, Tiberio ob Cives servatos oblatam. De hac non laboro, inquit ARCHÆOPHILUS; Sed Numisma sextum mihi dubium movet. Video quidem, & Celeb. Patinum id sub Tiberio proposuisse: Sed & video, eundem caput adversæ Augusto tribuere, quâ ratione non sub Tiberio, sed sub Augusto proponendum foret. Patinum respondit DULODORUS, ut Augusto caput tribueret, fortassis inscriptio movit, cùm tamen ea COLoniam ROMuleam AUGusti PERMissu deductam significet, non autem caput Augusto addicat; Tiberii enim caput esse, cuilibet inspicienti facilè patet, id quod etiam aversa suadet; vix enim credibile, Coloniam Romuleam avum & nepotes, omisso patre, adhuc vivo, & rerum potiente, signaturos fuisse. Drusus enim, qui in Nummo visitur, non Tiberii frater, sed filius fuit, id quod ex titulo Cæsaris patet, cùm Drusus Tiberii frater in Numismatibus eum titulum non ferat. Ita & Germanicus, licet reverà Neronis Drusi esset, per adoptionem tamen ipsius etiam Tiberii filius haberi cœpit, uti notum est. Coloniam Romuleam eandem esse, quæ Hispalis, ex Plinio Cel. Vaillantius probat. Eum vide ad Nummum cum capite Liviæ & Divi Augusti percussum. Succedit

DRUSUS
TIBERII FRATER,



Idque duplici in Nummo, altero Aureo, altero Æreo. Ille Arcum Triumphalem de Germanis exhibet, Hic Statuam ejus honori positam. An Statua hæc ipsius Drusi est? excepit ARCHÆOPHILUS; At Goltzius Tiberio eam vindicat, idque, ut videtur, vi Inscriptionis, quæ Tiberium apertè prodit. Non Tiberium prodit Inscriptio, respondit DULODORUS, sed Claudium Imperatorem, Drusi filium, idque ideò, quòd is Numisma in honorem patris signaverit. Unde hoc probabis? perrexit ARCHÆOPHILUS. Annon etiam Tiberius *Claudii* cognomen habuit? Habuit, inquit DULODORUS; Sed postquam in Familiam Cæsarum ab Augusto adoptatus esset, eô in Numismatibus amplius usus non est. At, institit ARCHÆOPHILUS, annon Numisma potuit signatum esse, antequam adoptaretur? Nullô modô, respondit DULO-

 DORUS,

DORUS, tunc enim Tiberius non potuisset *Augustus* cognominari. Sed dissidiô opus non est, jam dudum Goltzii errorem deseruit Antiquariorum corona. Tristanus pro Druso est, Statuam ad potestatem Proconsularem, ei post victorias ab Augusto collatam, referens. Elegans ratio est, inquit ARCHÆOPHILUS. Mihi non placet, respondit DULODORUS. Potius earum Statuarum unam crederem, quæ ipsi post mortem decretæ sunt. Non tunc Proconsul, sed Consul fuit, ideòque Consulari habitu, togatus cum volumine, videtur effictus: Et ut juxta victoriarum etiam ratio esset, sella Consularis armorum, hostibus ademtorum, farragini imposita est. Sed quid ramus? excepit ARCHÆOPHILUS, quem manu præfert. Sive Oleæ censes, respondit DULODORUS, sive Lauri, utrinque ratio aperta est. Lauri ramus, & ipse victoriarum index est. Ramus Oleæ index est pacis, quam devictis ab hostibus, Romano Orbi visus est peperisse. Quicquid sit, Statuas Druso post mortem positas, imò & Arcum erectum quem in primo Numismate cernimus, ex Dione discimus: Γερμανικός τε μετὰ τῶν παίδων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων, καὶ ἀψῖδος, κενοταφίου τὲ πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. *GERMANICI cognomen ei & filiis datum, honoresque STATUARUM, & ARCUS TRIUMPHALIS, & honorarii ad Rhenum tumuli, dati.* De arcu sunt & Suetonii verba: *Senatus inter alia complura MARMOREUM ARCUM CUM TROPÆIS viâ Appiâ decrevit.* Drusi Uxor fuit

ANTONIA,



Cujus Nummus licet frequens, in serie tamen necessarius, Cel. Vaillantio judicatur. Vidi eum, & explicatum quidem, apud Illust. Patinum, inquit ARCHÆOPHILUS, meum tamen, quod foveo, dubium mihi nondum solutum est. Antoniam Augustam, Nummi adversa præfert, & aversa figuram togatam cum simpulo. Quomodo hæc conveniunt? Nonne potiùs figura stolata Antoniæ conveniret, cùm constet, eam Augusti Sacerdotem fuisse? Non ut Sacerdos hîc consideratur, respondit DULODORUS, sed ut Dea, cui Claudius, habitu Sacerdotali in Numismate expressus, Sacra videtur facere. Templum sanè Antoniæ memorat Plinius: Et Druso Patri, & Antoniæ Matri, ludos Equestres, eorum natalibus, Claudium instituisse, Dio author est. Sequitur

DRU-

DRUSUS
TIBERII FILIUS.



Ut ſeries conſtet, hujus Numiſma, uti vulgare, ita & reſtitutum, apponere nihil vereor, additô & tertiô cum effigie Pietatis, cujus rationes Illuſt. Patinus conjicere difficile putat, *quid enim,* inquit, *Cani cum balneo? Druſo viro impuriſſimo cum Pietate?* Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, Livia Druſi avia ſub hoc pietatis velo latet? Fortaſſis Quæſtor Pietatis ædem curaverit? Neutrum mihi videtur, reſpondit DULODORUS; ſed eâdem ratione in Nummo tertio *Pietatis effigiem* agnoverim, quâ in primo, *Pontificatum* lego. Pontifex, licet moribus improbus, quidni Pietatem in vulgus jactet? Subit

GERMANICUS,



Princeps integrioris famæ, cujus Numiſmata & ipſa, ſolîus ſeriei gratiâ proponenda ſunt. Effigies ex primo, Triumphusque & Statua *de Germanis devictis, ſignisque receptis,* ex ſecundo patet. Signa hîc intelligi, quæ Varus amiſerat, ex Aquila patet, quam ſiniſtrâ præfert; ita enim Tacitus L. Ann. I. *Bructeros ſua urentes expeditâ manu L. Stertinius, miſſu Germanici fudit, interque cædem & prædam, reperit undevicceſimæ Legionis AQVILAM cum Varo amiſſam;* & Ann. II. *Malovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquô locô defoſſam Varianæ Legionis AQVILAM modicô præſidiô ſervari indicat. Miſſa ex templo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alii qui terga circumgreſſi, recluderent humum; & utrisque adfuit fortuna.* Ritè hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed ad Uxorem tranſeamus. Uxor, excepit DULODORUS, fuit

AGRIP-

AGRIPPINA,



Cujus effigiem etiam inter Gemmas vidimus. Hîc Carpentum, quô in pompa Circensi Defunctarum imagines vehebantur, meretur adspici, quod sub Cajo decretum, ex Suetonio constat. Tale omninò, subjecit ARCHÆOPHILUS, etiam Liviæ dicatum, apud Goltzium vidi. Ita est, inquit DULODORUS, Numisma tamen nostrô vetustius non est, cùm vel Cajum, vel certè Claudium, hæc Numismata signasse, ex aliis constet. De Claudio propositorum secundum testatur: De Cajo sequentia, quorum in primo

NERO ET DRUSUS,



Germanici & Agrippinæ filii majores, Cæsareâ dignitate radiantes, equitant, planè qualiter Principes Juventutis solent. Hos Tiberius, cùm ex filio nepotes fovere deberet, Sejani insidiis inediâ confecit. Ita

CAJUS,



Tertius Germanici filius, post Tiberium Imperiale solium conscendit, qui ut in

priore

priore Fratres, ita in his Parentes consecravit. In primo Augustum radiatum inter Stellas cernimus, quod egregiè illustratur eô, quòd Dioni memoratur, *Aviam Antoniam, AUGUSTI Sacerdotem fecisse, & Orationem habuisse, non tam Tiberii laudes, quàm AUGUSTI & GERMANICI memoriæ apud populum renovationem.* Ita & de Germanico & Agrippina, Parentibus, sunt verba Suetonii: *MATRI,* inquit, *Circenses instituit, Carpentumque, quô in pompa traduceretur; at in memoriam PATRIS Semptembrem mensem* GERMANICUM *appellavit.* Hæc clara sunt, inquit ARCHÆOPHILUS, & firmantur sequentium




Primô, in quo Cajus ipse Divo Augusto sacrificat: An quòd ipse Sacerdos fuit? Non hoc, regessit DULODORUS; Sacerdos enim fuit Antonia, uti modò vidimus: sed Cajus ipse Augusti templum dedicavit, indeque, ut ex Nummo discimus, Statuam sub pietatis elogio meruit. Dedicâsse templum Augusti Cajum, Dio author est. En verba interprete Xylandro! *Deinde Cajus habitu triumphali* TEMPLUM AUGUSTI DEDICAVIT *nobilissimis pueris ætate florentibus, cum Virginibus ejusdem ordinis, hymnum canentibus.* In secundo Numismate sunt Caji Sorores, Agrippina, Julia, & Drusilla, quarum historia videri potest apud Suetonium in Cajo c. 24. Tacitum, Ann. VI. c. 4. Dionem L. 59. & 60.

Recordor, excepit ARCHÆOPHILUS. Omnes tres memoratur vitiasse, Drusillam etiam adeò dilexisse, ut per nomen ejus dejeraret. Sola Julia, inquit DULODORUS, ut amore, ita & fortunâ inferior fuit. Agrippina enim, Claudii posteà conjugiô, & filii dignitate superbiebat, quamvis sibi tandem fatali. Drusilla adhuc sub Cajo defuncta, indignis honoribus affecta est; At Julia à Cajo neglecta, imò & in exilium deportata est: Et sub Claudio, licet reducta fuerit, denuò tamen, Messalinæ artibus extorris, occubuit. Illud in Nummo observandum, Agrippinam habitu Constantiæ, Drusillam Concordiæ, Juliam Fortunæ effictam esse: Notanda formula juramenti apud Suetonium c. 15.

De Sororibus, inquit, *Author fuit, ut omnibus ſacramentis adjiceretur*: NEQVE ME LIBEROSQVE MEOS CHARIORES HABEBO, QVAM CAJUM ET SORORES EJUS. *Ita in relationibus Conſulum*: QVOD BONUM FELIXQVE SIT C. CÆSARI, SORORIBUSQVE EJUS. Tertium Numiſma, infit ARCHÆOPHILUS, minimi quidem moduli, ſed obſcurius eſt, quid enim Pileus? an libertatis indicium? Quid literæ R. CC.? De Pileo rectè ſentis, reſpondit DULODORUS. Literas R. CC. *Remiſſam ducenteſimum* interpretaberis, idque monente Nummo Galbæ, qui QVADRAGENS REMISSÆ inſcribitur, apud Patinum. De Ducenteſimis à Cajo remisſis teſtatur Suetonius cap. 16. *Ducenteſimam auctionum Italiæ remiſit.* Fruſtrà Caſaubonus *centeſimam* legendum contendit, cùm Nummus hic, Manuſcriptorum conſenſum, etiam contra Dionem, fulciat, ſive mendum ejus Hiſtoriæ irrepſerit, ſive ipſe Author erraverit, *Ducenteſimam in Centeſimam à Tiberio mutatam*, ſcribens; Tacitus enim Ann. II. c. 42. *Regnum in provinciam*, inquit, *redactum eſt, fructibusque ejus levari poſſe CENTESIMÆ vectigal profeſſus Cæſar, DUCENTESIMAM in poſterum ſtatuit.* Vides ARCHÆOPHILE, Vectigal Centeſimæ Tiberium in Ducenteſimam mutaſſe, Cajum autem etiam hanc ſuſtuliſſe. Fuit autem Vectigal hoc rerum venalium; Tacitus enim Annal. I. c. LXXVIII. *Centeſimam rerum venalium*, vocat, quam poſtea in *Ducenteſimam* Tiberius mutavit: Et Suetonio *Ducenteſima Auctionum Italiæ* dicitur. Satis dilucidè hæc deducta ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Ad quartum Numiſma tranſeamus. Segobriga, reſpondit DULODORUS, oppidum Hiſpaniæ hoc percuſſit, de quo jam ſub Tiberio vidimus. Quintum & ipſum in Hiſpania, Victricem Juliam Novam Carthaginem patriam habet, idque Cneo Atellio Flacco, & Cneo Pompejo Flacco Duumviris Quinquennalibus. Caput SALutis AUGuſtæ, Cæſoniam Caji Conjugem referre, erudita conjectura Cel. Vaillantii eſt. Cæſoniam, excepit ARCHÆOPHILUS, neque facie inſigni, neque ætate integrâ, matremque jam ex alio viro trium filiarum, ſed luxuriæ ac laſciviæ deperditæ, ardentius quidem & conſtantius amaſſe, Suetonio Cajus memoratur, adeò ut chlamide peltâque & galeâ ornatam, & juxta adequitantem militibus, amicis verò etiam nudam oſtenderit, uxorioque nomine eô die dignatus ſit, quô filiam ei pepererat; Quid autem hoc ad Salutis habitum? cùm tamen eadem hæc Cæſonia Cajo non tam ſalutem, quàm morbum attraxerit? Ita enim idem Suetonius: *Valetudo Cajo*, inquit, *neque animi neque corporis conſtitit. Puer comitiali morbo vexatus: in adoleſcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnunquam ſubitâ defectione ingredi, ſtare, colligere ſemet ac ſufferre vix poſſet. Mentis valetudinem & ipſe ſenſerat: ac ſubinde de ſeceſſu, deque purgando cerebro cogitavit.* CREDITUR POTIO NATUS à CÆSONIA *uxore, amatoriô quidem medicamentô, ſed quod in furorem verterit.* Benè hæc, inquit Dulodorus, quanquam Vaillantii ſententiam non videantur evertere; Quis enim neſcit, vitia ſub Tyrannis adulatorio pennicillo virtutum ſpeciem induere? indeque quis miretur, ſi Cæſoniam, quam Cajus perditè amabat, eidem ſaluti futuram, civitas Hiſpanica fuerit mentita, ut ejus gratiam venaretur? Certe & Liviam Salutis habitu in nummis adumbrari, inter Antiquarios jam convenit. Et divinô fœminas etiam ſub Cajo effictas ornatu, ejus modò in ſororibus vidimus. Sed res in medio ſit! minimùm illud hinc diſcimus, eôdem zelô Carthaginis novæ incolas pro Caji ſalute vota ſuſcepiſſe, quô & Romani, de quibus idem Suetonius c. 14. *Cum in proximas Campaniæ Inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt,*

ſunt, ne minimam quidem occaſionem quôquam omittente, in teſtificanda ſolicitudine & cura de incolumitate ejus. Ut verò in adverſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnaturos ſe armis pro SALUTE ægri, quique capita ſua titulô propoſitô voverent. Succeſſit

CLAUDIUS.



Rariſſimum eſt hoc Claudii Numiſma, nec unquam, quod ſciam, vulgatum: Nunquam, niſi apud Per-Illuſt. SPANHEMIUM Diſſ. VII. pag. 617. memoratum. Raritas in Meſſalina conſiſtit, cujus licet caput apud Triſtanum & Patinum, capiti Claudii oppoſitum, videas, ſimulacrum tamen integrum hactenus non apparuit. Inſcriptio, inquit ARCHÆOPHILUS, Meſſalinam probat, ſed habitus Cereris eſt, id enim ex ſpicis mihi colligere videor, quas manu ſiniſtrâ geſtat; Quid autem eſt, quod dextrâ præfert, an infantes? Sunt, inquit DULODORUS, & hinc Cererem Κουροτρόφον agnoſcis, de qua ab initio ad Gemmas vidimus. Quid hæc ad Meſſalinam? inquit ARCHÆOPHILUS. Id quod & ſuperbia ſuaſit, reſpondit DULODORUS, & adulatio procudit. Imperatrices Deabus conferri, vulgatiſſimum eſt; Claudii Uxores, Cereris honorem affectâſſe, non ex hoc tantùm, ſed & Agrippinæ quoque ex Numiſmatibus palam eſt: Et cùm Meſſalina, Claudio duos liberos peperiſſet, & educaret, *Octaviam*, & qui poſtea *Britannicus* dictus eſt, quidni eos in Nummo præferret, cùm tamen idem & inter gloriam Cereris occurrat?

Literas L. A. adjectas video, excepit ARCHÆOPHILUS, quas annum primum indicare vulgaris opinio eſt; At annô Imperii primô, reſpondit DULODORUS, Britannicus natus eſt, indeque conſtat, Octaviam Britannico majorem fuiſſe: Conſtat Numiſma nativitatis gloriæ percuſſum eſſe. Dio contrariatur, excepit ARCHÆOPHILUS. Natô Britannicô, Claudium nihil ſplendidè egiſſe, imò neque ſibi *Auguſti*, neque Meſſalinæ *Auguſtæ* nomen dari paſſum, Lib. LX. aſſerit; Hoc autem quomodo conveniat cum Numiſmate, in quo nomen & *Cæſaris* & *Auguſti*, utrique & Claudio & Meſſalinæ tribuitur? Græcum eſt Numiſma, reſpondit DULODORUS, & publicum felicitatis publicæ monumentum. Licet Imperatores interdum affectatâ quâdam modeſtiâ dignitatis titulos reſpuiſſe legantur, in Numiſmatibus tamen rariſſimè eos omiſerunt; Hæc ſi Romæ, quid Exteri, quibus titulos Majeſtatis omittere crimen fuiſſet? Sed plura in hanc rem Per-Illuſt. SPANHEMIUS locô ſuprà allegatô. Sequentium



Primo in Numiſmate, Agrippina, Claudii ex fratre Germanico neptis, & poſt Meſſalinam Uxor, prodit: In ſecundo, eſt caput Neronis, qui poſt Claudium imperium obtinuit: In tertio, Arcus de Britannis: Et in quarto, Arcus de Germanis. Hæc non ſufficiunt, inquit ARCHÆOPHILUS, videndum, an Arcus hi ipſi Claudio erecti ſint? Quidni? reſpondit DULODORUS, Claudius enim in Britanniam, primus poſt Cæſarem, expeditionem memoratur ſuſcepiſſe, & licet, receptâ ſine prælio Inſulæ parte, ſextô, poſtquam profectus erat, menſe, Romam redierit: quanquam etiam, nec contra Germanos expeditionem ſuſceperit, tamen quòd Senatus propter res, non modò ab ipſo non geſtas, ſed ne ipſius quidem imperiô geſtas, ut Triumphales honores acciperet, ei perſuaſiſſe, Dioni memoratur, poterit Arcus prior de expeditione Britannica, poſterior autem de Sulpitii Galbæ victoria de Chattis, vel ad Publ. Gabinii de Chaucis explicari, qui inter alia, & militarem Aquilam recuperavit, quæ ſola adhuc, à Variana clade, deſiderabatur. Utriſque certè, verum Imperatoris nomen Claudio partum, Dio teſtatur, qui & de Britannico: *Senatus*, inquit, *rebus geſtis cognitis Britannici cognomentum ei, Triumphos, ludos annuos, ARCUM tropæa ferentem in Urbe, & ALIUM in Gallia, unde in Britanniam trajecerat.*

De Arcu Britannico hæc probant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At de Germanico potior videtur ſententia Celeb. Vaillantii, qui eum ad Druſum refert, de quo ſuprà vidimus. Differentia eſt, inquit DULODORUS; In Druſi Arcu viſitur Eques, citato curſu, bellator; At in propoſito leni gradu pacificus. Adde quòd nulla Druſi adjecta ſit mentio, quod tamen fit in ſequentium



Primo, adeò ut hunc Drusi Arcum esse, dubitare non liceat, quanquam quatuor columnis exornatus sit, cùm in Numismate aureo tantùm duabus fulciatur. Secundi Numismatis typum insolitum vocat idem Vaillantius, & quidem in Nummo primæ formæ. Cùm telum vibret Bellona, & clypeum prætendat, procul dubio, ad bellicam quandam expeditionem pertinuerit. In tertio Numismate Imperator receptus intra Prætorium cum Aquila stat. Suetonius rem firmat: *Receptus*, inquit, *intra vallum pernoctavit*. In quarto Numismate, excepit ARCHÆOPHILUS, non Imperator sed PRÆTOR RECEPTUS dicitur. Non *Prætor*, regessit DULODORUS, sed *PRÆTORiani RECEPti* legendum, ut enim in priore Nummo Prætoriani Imperatorem, ita in hoc Prætorianos Imperator recepisse memorantur, id quod fecisse credi potest, cùm armatos pro concione jurare in nomen suum passus est, singulisque quina dena HS. promisit, primus Cæsarum, fidem militis etiam præmiô pignoratus, ut idem Suetonius loquitur.

In quinto, subjecit ARCHÆOPHILUS, & sexto celebratur Augusti Constantia, & quidem duplici habitu: in illo inermis sedens, in hoc armata stans. Quæ diversitatis ratio? Ut ostendatur, respondit DULODORUS, Imperatorem in negotiis, tam Civilibus, quàm Bellicis, debere constantem esse. An talis fuerit Claudius, non abs re dubites; Contrarium enim Historiæ fides adstruit, cùm Britanniâ, nondum subactis hostibus, abscesserit, & in jure dicundo mirâ animi varietate fuerit, modò circumspectus & sagax, modò inconsultus & præceps, nonnunquam frivolus, amentique similis. Successit

NERO.



Hoc Neronis Numiſma publicam lucem vel ideò meretur, quòd nunquam adhuc, quod ſciam, vulgatum fuit, & rem præterea contineat, non contemnendam. Eo ſanè rarius eſt, quò certius conſtat, ex eorum numero id eſſe, quæ à circulo *Conturniata* dicuntur : Imò, quò obſcurius, in averſa, ænigma occurrit. Figuram ſtantem video, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed manibus in tergum revinctis, & cum duabus utrinque, lugentium in modum, ſedentibus; Sed eædem, niſi fallor, etiam apud Erizzum, in Nummo Trajani, viſuntur. Rectè meminiſti, reſpondit DULODORUS, ſed in Nerone res & rarior & obſcurior. Vologeſes equidem Rex Parthorum, & Tiridates ejus frater, Rex Armeniæ, à Corbulone devicti ſunt, uti Tacitus teſtatur. Sed quis dijudicet, uter in Numiſmate credi debeat expreſſus ? Ego Tiridatem agnoſcerem, inquit ARCHÆOPHILUS, idque ideò, quòd aſſidentes lugentium more mulieres, ritè duas Armenias, majorem ſcil. & minorem, videantur præfigurare. Conjectura, reſpondit DULODORUS, forſitan improbanda non eſt.



Sequenti in Numiſmate templum viſitur, Neronis honori, P. Ventidio IIviro, CORinthi exſtructum. Si P. Ventidius, inquit ARCHÆOPHILUS, IIvir fuit, Collegam habuerit neceſſe eſt, ſed is in Nummo non apparet. Tutius forſan ad templum, à Galilæis Neroni exſtructum, Numiſma referres; Ex Tacito enim conſtat, Ventidium Cumanum Galilææ Præfectum fuiſſe. Hoc eô tempore erat, reſpondit DULODORUS, quô Nero à Claudio adoptabatur, & cùm idem Author paulò poſt, à Quadrato Syriæ Rectore hunc Ventidium damnatum memoret, utique ad Galilæos non licebit reſpicere, idque eò minus, quò apertius ex ſubſcriptione templi patet, CORinthiorum hoc monumentum eſſe : quò apertius idem Statuæ habitus, qui hîc in templo viſitur, etiam in alio Corinthiorum Numiſmate, ſub Nerone percuſſo, apud Cel. Vaillantium in Coloniis occurrit. Mirum, inquit ARCHÆOPHILUS, quòd hunc Nummum omiſerit. Eò rarior is eſt, regeſſit DULODORUS, quanquam nec templum apud Vaillantium deſit, non quidem directâ fronte tetraſtylon, ſed ad leges opticas à latere expreſſum, adeò ut nec hinc rationes Numiſmati deſint. Reliqua

Suffici-



Sufficienter jam in Thesauro Palatino illustrata sunt. In primo Congiarium II. vides, quod in annum Neronis sextum refertur, COSS. ipsô Nerone II. & L. Calp. Pisone. De eo Tacitus Annal. XIII. *Plebi Congiarium quadringenti Nummi viritim dati, & Sestertiûm quadringenties Ærario illatum, ad retinendam populi fidem.* Recordor, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem Numisma ab hactenus publicato, Pallade differre, quæ Neroni adstat, cùm aliis alia quædam fœmina videretur. Ad Portum Ostiensem, qui secundo in Numismate visitur, nota sunt verba Suetonii. Nota sunt, excepit DULODORUS, sed sub Claudio ædificatum testantur, nec aliud meritum Neronis fertur, quàm quòd Statuam suam addiderit, adeò ut etiam hic valeat notissimum illud:

Sic vos non vobis!

Tertium Numisma in omnia Collegia Sacerdotum Neronem cooptatum docet, idque suprà numerum, & ex SCto. Sed amplissimè juxta & profundissimè de hujus Nummi aversa differentem vide Per-Illust. nostrum SPANHEMIUM, in Opere aureo de Usu & Præstantia Numismatum p. 671. & observa simul, etiam Neronem cognomen *Drusi* usurpâsse, signatumque Numisma sub Claudio adhuc, cum *Principis juventutis* titulo ornaretur, de quo & ipso SPANHEMIUS. Quartum fictam in matrem pietatem ostendit, de qua Suetonius cap. 9. *Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit. Primô etiam Imperii die, signum excubanti Tribuno dedit,* OPTIMAM MATREM: *ac deinceps* EJUSDEM *sæpè* LECTICA *per publicum simul vectus est.* Nummum hæc sufficienter illustrant, inquit ARCHÆOPHILUS. Imò & ad reliquos duos, respondit DULODORUS, ejusdem Authoris testimonia prostant, & quidem ad quintum, C. 14. *JANUM geminum CLAUSIT tam nullô, quam residuô bellô:* Ad sextum autem, C. 12. *Instituit & QVINQVENNALE CERTAMEN, primus omnium Romæ, more Græcô, triplex, Musicum, Gymnicum & Equestre, quod appellavit* NERONIA. Sequentia

Et ipsa



Et ipſa adducere placet, non quòd ignota aut rara, ſed quòd typorum elegantiâ ſe commendent. In primò eſt Arcus Triumphalis; In ſecundo Macellum, ſive Forum Obſoniorum, de quo Dio p. 698. Tertium & quartum, Decurſionem adumbrant, quorum poſterior priore rarior, Vaillantio creditur. Neronem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Equos & Equeſtria certamina amâſſe, ex eodem Dione memini; Imò de ipſa Decurſione, regeſſit DULODORUS, Suetonius teſtatur, quanquam ſub Claudio adhuc celebratâ: *Deductus in forum Tiro*, inquit, *populo Congiarium dedit* (Congiarium id primum erat) *militi donativum propoſuit, indictaque* DECURSIONE *Prætorianis, ſcutum ſua manu prætulit.* Scutum, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in Numiſmate quarto, figura præcedens geſtat, an ea Nero fuerit? Probabilis forſan ea foret definitio, reſpondit DULODORUS; Is, enim qui ſcutum prætulit, certamen dirigebat, id quòd ex alio ejuſdem Authoris loco, exemplum Galbæ demonſtrat. *Ipſe maximè inſignis*, inquit, *quòd Campeſtrem Decurſionem* SCUTO *moderatus.* Quintum Numiſma Statuam Neronis, habitu Citharœdico exhibet, de qua Suetonius C. XXV. *Statuas ſuas* CITHAROEDICO HABITU *poſuit, quâ notâ etiam* NUMMUM *percusſit.* Sextum vel prodigium, Imperii prænuncium, adumbrat, quô Serpentis exuviæ, ad cervicem pueri inventæ, ei potentiam ab homine ſene portendiſſe, Dio p. 690. memorat: vel factum, quô percuſſor, Dracone è pulvino ſe proferente, conterritus refugit: vel denique, ut Tacitus L. XI., quòd Dracones infantiæ cuſtodes ferebantur. Adhuc argentea video, inquit ARCHÆOPHILUS, non omninò prætereunda.



In primo, est JUPITER LIBERATOR: In secundo, Clypeus ab EQVESTRI ORDINE PRINCIPI JUVENTUTIS collatus: In tertio, AUGUSTUS & AUGUSTA. Addo & quartum, respondit DULODORUS, quanquam æreum: Et possem plura alia, sed modum mihi statuo, etiam sic veritus, ne publico gravis sim. At rara sunt Numismata, subjecit ARCHÆOPHILUS. Rara, regessit DULODORUS, sed sufficienter explicata. Jupiter, *Liberator*, vel Cel. Vaillantio teste, vocatur, quòd Neronem, Pisonianâ conjuratione, periculô liberasset. Clypeus secundi ideo fortassis ab Equestri Ordine Neroni dicatus est, quòd, ut suprà ex Suetonio vidimus, *indictâ decursione SCUTUM suâ manu prætulit.* Tertius, Statuas Augusto & Juliæ eô habitu Neronem posuisse, arguit, quô in Nummo visuntur. Quartum Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, Coloniam quandam videtur indicare. *COLOniam Campestrem Juliam Babbam* leges, respondit DULODORUS, Civitatem Cæsareæ Tingitanæ in Africa. Ex consensu Decurionum Numisma signavit: Pontem, apud se à Nerone exstructum, æternitati sacravit. Videri de hoc Nummo meretur Cel. Vaillantius. Neronem comitatur Uxor

P O P P Æ A,



Cujus Numisma, decimô Neronis annô percussum, ex adjectis literis L. I. noscitur. In hâc quid laudabis, si non elegantiam formæ, quam quingentarum asinarum, quibus aureas soleas vesanus Imperator subdidit, Plinio memoratur fovisse. Coma placet, inquit ARCHÆOPHILUS. Placuit & Neroni, respondit DULODORUS, eôdem enim teste Lib. XXXI. c. 3. *In cæteris vitæ suæ portentis, CAPILLOS quoque Conjugis suæ Poppææ quôdam carmine SUCCINA appellavit.*

GALBA



Succedit, qui primo in Numiſmate HISPANIAM ſignavit, Provinciam, cui præerat, cùm contra Neronem inſurgeret. In ſecundo GALLIAS, Belgicam, Celticam & Aquitanicam, quæ ipſi rem aggreſſuro acceſſere; In tertio SALUTEM GENERIS HUMANI, quam forti conatu, Tyrannô dejectô, reſtituit. Gallias, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ego in Comatam, Togatam & Braccatam arbitrabar diviſas. Ita olim, inquit DULODORUS, Galbæ autem ævo, imò jam Julii Cæſaris, id quod ipsô authore conſtat, ſuperior diviſio obtinuit; In Hiſpaniæ ſimulacro fertilitas notatur, quæ capite papaveris & duabus ſpicis: notatur fortitudo, quæ clypeo & duabus haſtis adumbratur. Figura equitans, Statua creditur, quam Galliæ poſuerint; Ad tertium Numiſma, Epiſtola Vindicis facit, Galbam adhortantis: *Aſſertorem ſe, Ducemque humano generi accommodaret*, id quod apud Suetonium c. 9. legimus. Sequentibus in Nummis,



Inquit ARCHÆOPHILUS, VICTORIA Populi Romani, ROMA, & RENASCENS &

& VICTRIX, CONCORDIA PROVINCIARUM, tandemque VIRTUS & HONOS prodeunt. Victoriam, respondit DULODORUS. Cel. Vaillantius ad Neronis interitum refert, quòd ille Reipublicæ hostis judicatus, morte suâ Populo victoriam reliquerit. Eòdem tendit & Victoriola, quam Roma renascens prætendit: Eòdem Roma victrix. Concordia Provinciarum, quòd eæ in Galbæ electionem conspirassent, eique concordes adhærerent, meritò Oleæ ramum & cornucopiæ præfert; illa enim pacis, hoc rerum abundantiæ symbolum est, ex Concordia oriri solitæ? Quid autem Honos & Virtus? excepit ARCHÆOPHILUS. Honoris & Virtutis capita, inquit DULODORUS, suprà vidimus sub Familia MUCIA; De earum æde, à Marcello vota, & ejus dedicatione, ex Valerio Maximo constat. Hîc non capita tantùm, sed integra cernimus simulacra, idque non abs ratione, cùm Honorem Majestatis Imperatoriæ, Virtute bellicâ sibi Galba pepererit. Ultimum adhuc restat, subjecit ARCHÆOPHILUS. Nummus Ægyptius est, respondit DULODORUS: Caput aversæ est Isidis, flore Loto insignitæ. Annô Imperii secundô percussum, ex literis L.B. constat. Simile est apud Cel. Patinum, L.A. sive annô primô, signatum. Sequitur

O T H O,



Cujus in Numismate primo PAX ORBIS TERRARUM, in ultimo SECURITAS P.R. exprimitur. Utramque Otho jactavit, ut Imperii sui dulcedinem commendaret, re ipsâ enim nec Pax, nec Securitas fuit. Vix Imperiale fastigium per scelus conscenderat, *trepidam adhuc Urbem*, inquit Tacitus, *ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem, novus insuper de Vitellio nuncius exterruit, ante cædem Galbæ suppressus.* Hæc cum ita sint, subjecit ARCHÆOPHILUS, in Numismatibus his non rem, sed spem agnoverim. Imò rei speciem, respondit DULODORUS, Tacitô enim teste, *Otho, ut in multa PACE, munia Imperii obibat.* Et mox ipse ad milites: *Senatus*, inquit, *nobiscum est -- Æternitas autem rerum, & PAX Gentium incolumitate Senatûs firmatur.* Speciem sanè etiam Numismatis tertii Spicæ & Cornucopiæ præferunt, cum eôdem memorante, *sub Othone fames in vulgus, inopia quæstûs, & penuria alimentorum invaluerint.* Sola victoria ex vero jactari potuit, Suetonius enim, *tribus præliis eum vicisse*, author est. Videri de iis possunt Tacitus & Plutarchus. Ultimo non tam virtute, quàm fraude superatus est, successitque Victor

VITELLIUS.



Ad primum Vitellii Numiſma, ſunt verba Taciti, qui *Vitellium* Censoris et Ter Consulis *filium* appellat. Ad ſecundum Suetonius docet, *filium ejus Petronianum ex Petronia fuiſſe, ex Galeria Fundana autem, utriusque Sexûs.* In Numiſmate, inquit ARCHÆOPHILUS, duo tantùm capita ſunt, pueri niſi fallor, & puellæ. Inde, excepit DULODORUS conſtat, poſterioris matrimonii fœtum hîc intelligi. De utroque Tacitus, *Vitellium* memorans, *Valerium, Aſiaticum Generum aſciviſſe*; Et alibi, *Univerſum Exercitum occurrere infanti* Filio *juſſiſſe, quem perlatum, & paludamento opertum ſinu retinens* Germanicum *appellaverit,* adeò vanum eſt, quod Joſephus tradidit, *Vitellium* ἄπαιδα *deceſſiſſe.* Tertium Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Coronam Civicam, Ob Cives Servatos à S. P. Q. R. Vitellio oblatam, exhibet. Hanc metus expreſſit, inquit DULODORUS, adulatio decrevit; re ipſa enim Vitellius Cives non ſervavit, ſed perdidit. Plus vẽri, Conſenſui Exercituum ſubeſt, quæ quarto in Numiſmate ſub Marte Galeato viſitur. Ita enim Suetonius, cùm Vitellium ab Exercitu Germaniæ inferioris, Imperatorem appellatum memoraſſet: *CONSENTIENTE,* inquit, *etiam ſuperioris Provinciæ EXERCITU, nomen* Germanici *delatum, ab univerſis cupidè recepit.* De inſcriptione hæc docent, inquit ARCHÆOPHILUS, quid autem Mars gradivus? Nec hic myſteriô caret, regeſſit DULODORUS; ab eo enim potentiæ augurium deſcendit: eôdem Suetoniô memorante, *Imperatorem conſalutatum, ſtrictum Divi Julii gladium tenuiſſe, detractum delubrô MARTIS, atque in primâ gratulatione porrectum ſibi à quodam.* In ſequentium

Primo,



Primo, eſt & Fides Exercituum ſub dextris junctis; ſed fides ea fragilis fuit. *Octavo Imperii menſe*, inquit Suetonius, *deſciverunt ab eo Exercitus Mæſiarum atque Pannoniæ: item ex tranſmarinis, Judaicus, & Syriacus.* Urbani fides, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, paulò firmior fuit, Imperiô ceſſurum paſſus non eſt, ſed Flavianos in Capitolium compulit. Vanô conatu, inquit DULODORUS, mox enim vel hic Imperatorem, vel Imperator hunc deſeruit, & noxii inſtar ad ſupplicium tractus eſt. Adeonè debilis fuit Jupiter Victor? excepit ARCHÆOPHILUS, adeonè inefficax Victoria? Ad Victoriam Bebriacenſem hæc pertinent, regeſſit DULODORUS, expreſsô Jove, ut Cel. Vaillantius ait, quòd die ejus feſti, Idibus Aprilis Romæ celebrati, victoriam eam reportaſſet. In ſequentium



Primo, eſt J.O.M. Capitolinus in templo. Mirum hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen Suetoniô teſte. *J. O. M. templum ab ejus militibus incenſum, ipſe è Tiberiana domo inter Epulas proſpexerit?* Etiam hic tempora diſtinguenda ſunt, reſpondit DULODORUS, niſi cum Vaillantio templum hoc ſignatum arbitreris, tanquam mox à Vitellio rurſus ædificandum, ut ſcil. facinus incendii, P. R. luctuoſiſſimum, fœdiſſimumque, non ſuâ culpâ accidiſſe, ſignificaret. Ad templum etiam Veſtam pertinere, ejuſdem conjectura eſt, quòd templum Veſtæ, ſub Nerone exuſtum, fortaſſis ſub Vitellio reſtaurari cœpiſſet. Quicquid ſit, rebus jam deſperatis, ad Veſtæ auxilium Vitellium decurriſſe, inde patet, quòd Veſtales cum Epiſtolis ad Antonium Veſpaſiani Ducem miſiſſe, Suetonio, & Tacito memoretur. Sed obtinuit

VESPASIANUS,



Cujus præstantissimum expono, & maximi moduli, Numisma. Typus patet, excepit ARCHÆOPHILUS. Aquilam ad templum Jovis Capitolini pertinere, quod Vespasianus restituit, ex alio Numismate demonstrat Seguinus, quòd in eo non Aquila, sed ipse Jupiter expressus sit. Seguini opinionem, infit DULODORUS, Cel. Vaillantius rejicit, eò quòd non *Capitolinus* in ejus Nummo, sed *Salaminius* sit, arbitraturque, nec inscriptionem de *anno novi templi*, sed de *anno novo sacro* intelligendam, quòd scil. post afflictam sub tribus prioribus Rempublicam, in omen & augurium fausti sanctique sub Vespasiano Imperii, anni ejus *novi* & *sancti* fuerint appellati, id eò clarius est, quò certius Numismata diversis in locis signata prostant. Ita enim Jupiter Salaminius, & templum Veneris Paphiæ, Nummum in Cypro signatum arguunt: Ita Aquila clavæ insistens Tyrum, Stella juxta caput Titi Aradum, Palma Apamiam, & in nostro fulmen Seleuciam videtur indicare. Observatio de nihilo non est, subjunxit ARCHÆOPHILUS. Quid autem sequentia?



Primum Numisma, respondit DULODORUS, eorum ex numero est, quæ Agrippa junior, ultimus Judæorum Rex, honori Vespasiani, ejusque filiorum, Titi & Do-

&Domitiani, percussit, quorumque exempla apud Per-Illust. SPANHEMIUM Diss. IX. prostant. Annus in nostro XXVI. legitur, qui, si secundùm receptam opinionem, à IV. Claudii initium sumas, in annum Vespasiani tertium incidit, quô de Judæa Imperator amplissimum cum Tito Triumphum duxit. Tunc Judæa eversa fuit, inquit ARCHÆOPHILUS, quomodò igitur Judæorum Rex in Romani Principis, Judæorum hostis gloriam, Numismata potuit signare? Vespasiani amicus fuit, excepit DULODORUS, & contra Judæos Tito auxilia adduxit, id quod ex Tacito & Josepho constat. In Numismate non tam hoc considerandum, quàm insolita duplicis Π, per literæ productionem, scriptio. In aversa, subjecit ARCHÆOPHILUS, mulier spicas præfert, sinistrâ cornucopiæ amplectitur. Id novi nihil est, respondit DULODORUS, eadem & apud Per-Illust. SPANHEMIUM visitur, Annonæ utrinque uberioris in testimonium. Judæa capta se sistit, inquit ARCHÆOPHILUS; In Numismate secundo Tropæum video, de JUDÆIS inscriptum: In tertio ipsam Judæam, ad tropæum sedentem: In quarto & quinto eandem assidentem Palmæ, cui & Imperator assistit. Notissima est de Judæis victôria, regessit DULODORUS; Non Josephus tantùm, sed & Tacitus, Suetonius, aliique meminére. Rei notæ inhærere operæ pretium non est; Alia subeunt,



Vespasiani Liberis, Titô & Domitianô, insignita. In primo, eorum capita sunt. In secundo, simul equitant; In tertio, togati sedent; In quarto, togati: In quinto, paludati stant. Quæ diversitatis ratio? excepit ARCHÆOPHILUS. Diversitas honorum, respondit DULODORUS. In primo Titus *Cæsar* & *Consul*, Domitianus autem *Cæsar* & *Prætor* vocantur, quas dignitates exercentes, in tertio Sellis eburneis insident, & in quarto togati stant. In secundo Numismate *Cæsares*, & *Principes Juventutis* appellantur, & equitant, quòd Juventuti in Ludis præessent. In quinto Nummo, *Consules designati* paludamentô or-

to ornantur, dextris haſtas, ſiniſtris parazonia geſtant, tanquam ad bella profecturi, quod antiquitùs Conſules ſolebant. In ſequentibus



Inquit ARCHÆOPHILUS, Pacem video, vel arma comburentem, vel gradientem, vel denique Victoriæ habitu, caduceum ſerpenti imponentem, qualiter ſub Claudio ſolet. De Pace, reſpondit DULODORUS, eſt Oroſii teſtimonium; *Omnibus bellis*, inquit de Veſpaſiano & Tito, *& tumultibus domi foriſque compreſſis, PACEM totius Orbis pronunciaverunt, & Janum geminum obſeratis cohiberi clauſtris, ſextùm demum ipſi poſt Urbem Conditam cenſuerunt.* Non hoc tantùm: Etiam templum Pacis à Veſpaſiano conditum, templique Hieroſolymitani ſpolia in eo repoſita eſſe, ex Joſepho conſtat: Et quid ſi ex ſuggeſtione ejusdem, ſe eum arbitratus fuerit, de quo Jeſaias cap. 9. *Vocabitur Princeps PACIS, multiplicabitur ejus Imperium, & PACIS non erit finis?* Conjecturam ſuppeditat Calviſius in Chronologia. De Pace ex his conſtat, excepit ARCHÆOPHILUS, non autem de figura Pacis; Quid enim ad columnam arma comburens? quid Victoria Caduceô Serpentem premens? Columna, regeſſit DULODORUS, Bellonæ eſt, ad quam arma comburere, quid aliud eſt, ſi non bellum diſſipare & abolere? quod proprium pacis beneficium eſt. Caduceus Pacis ſymbolum eſt, indicatque juxta & felicitatem, quæ quò citius contingat, alæ ſunt annexæ. Sed unde Pax, & quomodo conſervanda? Id ex Numiſmate tertio patet, ubi ſub *Pacis* elogio Victoria cernitur. Acquiri Victoriis pacem, novi nihil eſt; At quomodo ſtabilitur? Denuò, reſpondit Numiſma: Victoria caduceo ſerpentis caput tangit. Hoſtile venenum, cujus ſerpens ſymbolum, Pacis legibus eſt premendum: Pacis leges, Victoris viribus roborandæ. Sic firma erit Pax, ſic ſtabile Imperium, & quam Veſpaſianus expertus eſt, perpetua felicioris Solii gloria. Sed alia ſubeunt.

Quorum



Quorum primum nobilisſimâ, ex virore, obductum ærugine, glorioſisſimô elogiô Imperatorem afficit, ADSERTORem LIBERTATIS PUBLICÆ appellando, eôque nomine Querceam ei imponendo. Libertas reſtituta, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam aliis Veſpaſiani in Nummis proſtat, ſed vereor, ne plus adulatio, quàm Imperatoris meritum contulerit; Is ne Libertatem publicam adſeruiſſe credatur, qui aſperrimis exactionibus Populum vexavit? Achaiæ, Lyciæ, Rhodo, Byzantio & Samo Libertatem ademit? Libertas in Nummo publica, reſpondit DULODORUS, non independens illa intelligi debet, quæ nullis Imperatoriæ Majeſtatis frenis coërcetur: non ex P. R. ſubditis, ſed ex ipſis Romanorum Ordinibus judicanda eſt. Legibus ſervire, ſumma libertas eſt: Et publica Libertas à juſto Principe quidni poterit aſſeri? Quod de exactionibus memoras, eas licet Reipublicæ neceſſitas expreſſerit, Imperatoris prudentia tamen in Libertatis fulcrum convertit. *Per totum Imperii tempus*, inquit Suetonius, *nihil antiquius habuit, quàm propè afflictam nutantemque Rempublicam firmare primò, deinde ornare:* Et libertatis ſub eo fructum etiam hoſtes experti ſunt, id quod ex C. 14. & 15. Suetonii clarum eſt: Ut taceam nobilisſimum effatum, quo C. 9. apud eundem, *Ordinem Senatorium, & Equeſtrem, non tam LIBERTATE, quàm dignitate differre*, pronunciavit.

Sed an Libertatis ergo, excepit ARCHÆOPHILUS, Quercea dabatur? Id utique ob Cives Servatos fieri ſolebat. Cives ex Libertate noſcuntur, reſpondit DULODORUS, qui hanc adimit, ſervos facit: qui aſſerit, Cives ſervat. Vides ARCHÆOPHILE, idem eſſe, Libertatem aſſerere, & Cives ſervare; Ad Querceam tamen meminiſſe adhuc licebit *Quercûs, Imperii prænunciæ*, de qua Suetonius c. 5. Sed in re nota quid diu vagamur? quidni ad ſecundum Numiſma tranſimus, non auro tantùm fulgidiſſimum, ſed & raritate inſigni memorandum? Nihil rari video, inquit ARCHÆOPHILUS. Fortuna Redux, in Veſpaſiani Nummis vulgata eſt. Eſt, reſpondit DULODORUS, ſed non iis cum inſignibus, quibus hîc viſitur; Ecquis enim unquam Fortunam Caduceô inſignem dedit? Cum globo utique interdum viſitur, quanquam temoni ut plurimum ſuppoſito; ſed Caduceus, quod ſciam, non Fortunæ, ſed Pacis hactenus & Felicitatis inſigne fuit. Eleganter! regeſſit ARCHÆOPHILUS; Ita enim Fortunam Orbis terrarum, pacem reduxiſſe, hôc ſymbolô adumbrabitur; Quid autem in Nummo tertio & quarto Neptunus? Sub Neptuno hoc, inquit DULODORUS, non tam Deus latet, quàm Imperator. Globus Imperium terræ

denotat, quod ut Neptunum, ita & Imperatorem obtinere, Romani procul dubio hôc Numiſmate voluerunt indicare: Idque eò magis, quòd Inſcriptio argenteorum Conſulatum ſecundum, & Tribun. Poteſt exprimit, qui honores Neptuno nullô modô quadrant, ſed absque ulla contradictione Imperatori tribui debent, oſtenduntque juxta, Numiſma ſecundô ejus Conſulatu eſſe percuſſum, quô Veſpaſianus, tanquam alter Neptunus, Romam reverſus eſt. Tanquam alter Neptunus? inquit ARCHÆOPHILUS. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, non quòd Victoriis Orbem Terrarum ſubegerit, ſed quòd mare, cum plerisque Provinciis maritimis, & claſſibus, contra Vitellium obtinuerit, adeò, ut præclusô Italiæ maris uſu, vel ſolâ fame ſe Romam ſubacturum, ſperare potuerit. Audi Tacitum p. 754. *Aquilejæ ſiſti bellum, exſpectarique Mucianum, jubebat Veſpaſianus, adjiciebatque Imperio conſilium, quando Ægyptus, clauſtra annonæ, Vectigalia opulentiſſimarum Provinciarum obtinerentur, poſſe Vitellii exercitum egeſtate ſtipendii frumentique ad deditionem ſubigi.* Quæ illæ Provinciæ opulentiſſimæ fuerint, aperit aliô locô idem Author. *Quicquid Provinciarum Mari alluitur, Aſia atque Achaja tenus: Quantum introrſus Pontum & Armenios pateſcit, in nomen Veſpaſiani juravére.* Agnoſcis Neptuniam ſortem in Provinciis maritimis? Sed alia accedunt. Fuiſſe Veſpaſiano *Mare*, fuiſſe *Claſſes*, aſſertio eſt Flavianarum partium apud eundem Lib. III. princ. Et Lib. II. dicitur: *Mucianum CLASSEM è Ponto Byzantium adigi jusſiſſe, NAVIBUS verſum in Italiam, mare clauſurum, quòd Vitellius in incerto futurus ſit, ſi ſimul Brunduſium, Tarentumque, & Lucaniæ Calabriæque littora, infeſtis CLASSIBUS peterentur.* Et quid? Nonne alias duas Claſſes, Ravennatem ſcil. & Meſſenenſem per proditionem Veſpaſiano tradidit Lucilius Baſſus, Vitellii Præfectus? His omnibus eò miſeriarum Roma devenit, præclusô undique maris uſu, ut vix aliquot dierum commeatus Urbi ſuperfuerit, perituræ procul dubiô, niſi Veſpaſianus rerum potitus, annonam ex Ægypto ſubmiſiſſet. Hæc cum ita ſint: Cùm Veſpaſianus potentiâ maritimâ Urbis fata utrinque impulerit, & tam fame preſſerit inimicam, quàm annonâ recreaverit devotam, quid mirum eſt, quòd eum, jam etiam Orbis Dominum, Neptuni maris Dei ſimulacrô inſignierit populus, malorum pertæſus, bonorum dulcedine ineſcatus? Veriſimilia, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & digna æternitate merita memoras. Æternitatem, excepit DULODORUS, Veſpaſianus & affectavit, & Gentilium perſuaſione obtinuit. In ſequentium



Primo Æternitas ad aram ſtans, Solis & Lunæ capita præfert. Ad aram ſtat, pietate potiſſimùm quærenda: Capita Solis & Lunæ præfert, Menſorum temporis,

poris, quòd æternitate continetur. Diſcant hic mortales: Quamdiu Soli & Lunæ ſubſunt, pietatem eſſe colendam, ut æternitate potiantur. Veſpaſianus voti compos factus eſt, ſed, ut dictum, eâ, quæ in ethnicos cadit, perſuaſione. Conſecratum, & Thensâ Deorum poſt mortem honoratum, ex ſecundo & tertio patet. Appoſitè hîc memineris dicti, quod moriturus protulit: *Ut puto*, inquit, *Deus fio*. Uxor ejus fuit

DOMITILLA.



Elegantiſſimum hoc, & rariſſimum eſt Numiſma, non Domitillæ tantùm, ſed & Veſpaſiani poſt mortem percuſſum, id quod *DIVORum* elogiô planum eſt. Titi ea pietas creditur, non Patrem tantùm Auguſtum conſecrantis, ſed & Matrem, licet hæc defuncta fuerat, antequam Veſpaſianus Imperiale faſtigium attingeret. Sed prodeat

TITUS,



Amor & deliciæ generis humani, cujus formæ non minus auctoritatis inerat, quàm gratiæ. Primum Numiſma fraterni amoris, quô Domitianum proſequebatur, ſe teſtem ſiſtit: *A primo Imperii die*, inquit Suetonius, *Domitianum Titus conſortem ſucceſſoremq́ue teſtari perſeveravit.* Numiſma vivô adhuc Veſpaſianō pa-

nô patre percuſſum eſt, excepit ARCHÆOPHILUS, cùm Titus adhuc *Cæſar* eſſet: Et ex ſceptro Conſulari, quod Eques Domitianus præfert, ad Conſulatum ſecundum Statuam pertinere liquet. Conjecturam, reſpondit DULODORUS, eò facilius admitto, quô apertius idem equitantis habitus etiam in Nummis Domitiani, COS. II. inſcriptis, proſtat. Secundum Numiſma, in quo Providentia Auguſto globum porrigit, optimè explicatur ipſius Titi dictô, apud Tranquillum, *Principatus*, aſſerentis, *fato dari.* Id quidem verum eſt, regeſſit ARCHÆOPHILUS, neſciò tamen, annon Titus minus prudenter, in affectatione Imperii convictos in honore habuerit? minus prudenter, fratris inſidias verbis tantùm caſtigaverit? Id nunc diſquirere non vacat, inquit DULODORUS. Numiſmata reliqua Titi victorias celebrant, & terreſtres & navales. Terreſtres in Equite hoſtem proſternente, Navales in Victoria navali Numiſmatis tertii. Navalem Titi victoriam, infit ARCHÆOPHILUS, ad eam memini Te referre, quam in lacu Geneſareth obtinuit, idque adductis Triſtano, Apollonii verſibus:

Jam de tot Lembis nullum ſupereſſe videres.
Partem ignis, partem gurges abſumſerat altus.
Romanæ plauſit volitans VICTORIA Claſſi.

Hæc benè ſe habent, inquit DULODORUS, non minus ac Numiſmatum quinti & ſexti JUDÆA CAPTA, de qua jam ſub Veſpaſiano vidimus. In ſequentibus



Excepit ARCHÆOPHILUS, eſt Statua columnæ roſtratæ impoſita, procul dubio ob eandem Victoriam navalem. Non dixerim, reſpondit DULODORUS, pertinet enim Numiſma ad Trib. Poteſtatem IX, quô tempore Titus *XV. Imperator* dictus eſt, quòd C. Jul. Agricola Britanniam ejus auſpiciis vaſtâſſet, primuſque, eam Inſulam eſſe, cognoviſſet, id quod ex Dione conſtat. In ſecundo Nummo PAX AUGUSTI ad Pacis templum referri poteſt, quod Veſpaſianus feciſſe, foro proximum, Suetonio memoratur. Pax hæc columnæ innititur, tanquam firma: Ramum Oleæ ſiniſtrâ, & Caduceum dextrâ præfert, notiſſima Pacis inſignia. Non hoc, repoſuit ARCHÆOPHILUS, ſed Tripos dubium movet; Ei enim neſcio quid impoſitum eſt. Triſtanus, regeſſit DULODORUS, partem Hoſtiæ arbitratur, expreſſamque, ait, ob morem, tam Græcis, quàm Romanis obſervatum, quô nefas erat, aras hujus Deæ ſangvine contaminare, ſed

ſolitum,

ſolitum, victimas extra templum mactare, ex iisque ſola crura altaribus imponere. Id Triſtanus latius probat ex Ethnicis Scriptoribus, demonſtratque ex ipſo Sacro Codice, morem à Judæis ortum eſſe. Nec tantùm in ſacrificio Pacis id obſervatum ait, ſed in Fluviorum etiam, eò quòd horum tranquillitas cum tranquillitate temporum conveniret aptiſſimè. Succedit



Venus Victrix, quam ideò in Numiſmate expreſſam, non abs re credideris, quòd Paphiæ Oraculum de navigatione conſulens, etiam de Imperii ſpe confirmatus legitur. At ego, interrupit ARCHÆOPHILUS, Venerem hanc ad amores Berenices pertinere crederem. Ego contra, reſpondit DULODORUS, Berenicen enim ſtatim ab Urbe dimiſit, at Numiſma Tr. Pot. VIIII. percuſſum eſt, quâ, mortuô paulò ante Patre, Veneris Oraculum impletum vidit. Quanquam alias nec à Venere abſtinuerit Titus, quod cauſa proculdubio Juliano fuit, ut in conſeſſu Deorum, Eum Veneris publicæ contubernio occupandum ſcripſerit. Secundum Numiſma Elephantem loricatum exhibet, in memoriam Ludorum, de quibus Tranquillus: *Munificentia,* inquit, *nemini ante ſe minor fuit. Amphitheatrô dedicatô, Thermiſque juxta celeriter exſtructis, munus edidit apparatiſſimum largiſſimumque. Dedit & navale prælium in vetere Naumachia. Ibidem & Gladiatores, atque unô die quinque millia omne genus ferarum.* Mirum, excepit ARCHÆOPHILUS, ſolum Elephantum in Nummis Titi occurrere. Non miraberis, ſubjecit DULODORUS, ſi cogites Elephantum ſub Antonino Pio, Severo, Elagabalo, aliiſque, MUNIFICENTIA inſcriptum eſſe. Inſtar omnium ſcil. erat immanis bellua, non in ludis tantùm, ſed etiam in præliis, jam antiquitùs loricata, de qua re Per-Illuſt. SPANHEMIUS Diſſ. III. videri debet. De ludis Titi plura apud Dionem exſtant. In tertio Nummo eſt Jovis Cuſtos, eôdem modô, quô ſub Veſpaſiano proſtat. Templum Jovis Capitolini, perrexit ARCHÆOPHILUS, à Veſpaſiano exſtructum, Numiſma luculenter illuſtrat, ſecus autem in quarto, quod Neptuno Reduci dicatum video. Ad reditum Titi ex Aſia, inquit DULODORUS, typus ſolet referri. Si ſubſcribas, ſub Neptuno ipſe Imperator latebit. Sed hæc & alia, quæ magnô numerô nobis præſtò ſunt, ut latius deducamus, operæ pretium non eſt. Sequitur

JULIA
TITI, EX MARCIA, FILIA,



Quam Domitianus, adhuc Virginem, oblatam sibi in matrimonium, cùm devinctus Domitiæ nuptiis pertinacissimè recusasset, non multò post, Sabino collocatam, ultrò corrupit, & quidem vivô etiam tum Titô: Mox patre ac viro orbatam ardentissimè, palamque dilexit, ut etiam causa mortis exstiterit, coactæ conceptum à se abigere. Elegans est apud Martialem L. VI. ℣. 13. Epigramma:

Quis Te Phidiaco formatam, JULIA, cælo:
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacitâ respondet imagine Lygdos,
Et placidô fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collô, parve Cupido, tuô.
Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A Te Juno petat ceston, & ipsa Venus.

Hæccine, infit ARCHÆOPHILUS, Vestam in Numismate expresserit, tantæ castimoniæ Deam, ut non nisi Virginibus ejus cultus crederetur? Expressit, respondit DULODORUS, procul dubiô, ut videretur, quod non erat. Voluisse castam videri, inde constat, quòd ut modò dixi, conceptum tentavit abigere. Et quid mirum, si scelerum author,

DOMITIANUS,



Et ipse

Et ipse Vestam signaverit? Imperio potitum, inquit ARCHÆOPHILUS, incesta Vestalium Virginum variè & severè Domitianum coërcuisse, ex Tranquillo memini, quid autem hoc ad Numisma PRINCEPS JUVENTUTIS inscriptum? an non potiùs, quòd Palladium in Vestæ custodia fuit, securitatis hoc publicæ, & Imperii, pignus Domitianus ab ea exspectaverit? Fortassis, inquit DULODORUS, notum enim est, quô cultu Minervam, quæ cum Pallade, sive Palladio, eadem est, Domitianus affecerit. Id Numismata secundum, tertium, & quartum demonstrant, quibus in argento similia, magnô numerô præstò sunt: Demonstrant verba Suetonii c.15. *MINERVAM, quam superstitiosè colebat, somniavit excedere sacrario, negantem, ultrà se eum tueri posse, quòd exarmata esset à Jove:* Et cap.14. *Celebrabat in Albano quotannis Quinquatria MINERVÆ, cui collegium instituerat.* Quotannis, inquit: id quod ex Numismatibus palam est, quæ solâ annorum differentiâ, quaterno Minervæ habitu, per singulos ferè Imperii annos decurrunt. Sed



SECULARIA subeunt, de quibus idem Author: *Fecit & ludos* SÆCULARES, *computatâ ratione temporum ab anno, non quô Claudius proximè, sed quô olim Augustus ediderat.* Factum id est annô 481, quô Domitianus XIV. cum L. Minucio Rufo COS. fuit. Sæculares, subjecit ARCHÆOPHILUS, in primo Numismate describuntur, quid autem figura cum clypeo & sceptro? Et an togatus in tertio, & idem cum tribus figuris aliis in quarto, ante templum sacrificans, etiam ad Sæculares pertineat? Omninò, regessit DULODORUS, id enim ex adjectis numeris COS. XIIII. & IMP. XIIII. palam est. Et quid? Annon Sæculares à sacrificiis ordiri, moris erat? Figura primi Numismatis Salius credebatur; Sed rectius alii Præconem arbitrantur, qui populum convocabat. Meminit ejus Suetonius sub Claudio: *Vox PRÆCONIS*, inquit, *irrisa est, invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectâsset quisquam, nec spectaturus esset.* Sed bellicas etiam Domitiani Expeditiones contemplemur!

In primo



In primo Eques hostem prosternit, sub COS. XI. quô de Cattis Germanisque triumphavit, ut ita dubitari non possit, quin Captivus, in secundo Nummo, clypeo insidens, Germanus sit, eôdem quippè Consulatum numerô insignitus. Ita & in tertio Numismate, Germaniam captam Inscriptio: In quarto, armorum spolia demonstrant. Nisi fallor, excepit ARCHÆOPHILUS, *expeditionem hanc tantùm inchoavit*, ut Suetonius ait. Ita & Dio: *Profectus*, inquit, *in Germaniam cum Exercitu, hoste nunquam visô reversus est.* Et Tacitus: *Falsum è Germania Triumphum egit, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur.* Scio hæc, respondit DULODORUS; Quod autem ad Suetonium attinet, allegata verba ad eam expeditionem referenda arbitrer, de quibus & Tacitus: *Domitianus Mutianusque, antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum, in Treveris gestarum, nuncios accepére* &c. Sed Suetonius aliò locô: *Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessariò: sponte in Cattos.* Et paulò post: *De Cattis, Dacisque, post varia prælia, duplicem triumphum egit.* Et iterum: *Post duos Triumphos,* GERMANICI *cognomine assumtô, Septembrem mensem, & Octobrem, ex appellationibus* GERMANICUM, DOMITIANUMQVE *transnominavit.* An hæc vanâ jactantiâ fecerit? an ob res gestas? tantoperè non attinet inquirere. Sufficit fecisse. Ut tamen cum Dione & Tacito sentias, Imperatoris vesania suadet, quâ in quinto Numismate fulmen præferens, à Victoria coronatur. Fulmen sanè affectati Imperii cœlestis eum arguit, simulque persuadet, etiam in Numismate sexto non tam Jovem, quàm ipsum Domitianum

tianum ſub *Jovis* figura adumbrari. Id eò credibilius, quò apertius conſtat, divinos honores eum affectâſſe: *Pari arrogantiâ*, inquit Suetonius, *cùm Procuratorum ſuorum nomine, formalem dictaret Epiſtolam, ſic cœpit:* DOMINUS ET DEUS NOSTER SIC FIERI JUBET. Et quoties apud Martialem *Jupiter* vocatur? quoties ei fulmen tribuitur? Mirum, perrexit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen in ſeptimo Aquila fulmine armata JUPPITER CONSERVATOR inſcribatur. Fortaſſis, regeſſit DULODORUS, etiam hìc Domitianus latet, quanquam Aquila hæc etiam ad eam pertinere poſſit, quæ victô L. Antoniô, ſuperioris Germaniæ Præſide, qui bellum Civile moverat, victoriæ præſagium dedit, Statuam Domitiani complexa pennis, clangoresque lætiſſimos edens; Quid enim, ſi Jovis auxilio ſe ſervatum agnoverit, oppreſsô, non humanis viribus, ſed divinis, hoſte, qui de Solio ſibi litem intenderat? Divinis viribus L. Antonium oppreſſum, inde conſtat, quòd Rhenus, ſub ipſam dimicationis horam reſolutus, tranſituras ad Antonium Germanorum Copias inhibuit, unde fortaſsè & *Jovem Victorem* huc retuleris. Sed hæc utcunque ſe habeant, veſaniam tamen Imperatoris, ſibi fulmen vindicantis, Jupiter egregiè ultus eſt. *Continuis octo menſibus tot FULGURA facta, nunciataque ſunt*, inquit Suetonius, *ut exclamaverit:* FERIAT JAM, QVEM VOLET! *Tactum de cœlo Capitolium, templumque Flaviæ Gentis: Item Domus Palatina, & Cubiculum ipſius, atque etiam è baſi Statuæ Triumphalis titulus excuſſus.* Conjunx Domitiani fuit

DOMITIA,



Id quod ex primo Numiſmate ad oculum patet. Secundum & veſaniam cum marito eandem arguit, & cum eodem concordiæ teſtis eſt. Ut Domitianus *fulmen* & *Aquilam Jovis* ſibi vindicavit, ita Domitia *alitem Junonis:* Et de concordia quem teſtem adducam, ſi non notiſſimum duodecim Imperatorum Biographum? *Uxorem Domitiam*, inquit, *ex qua in ſecundo ſuo Conſulatu filium tulerat, alteroque anno à Conſulatu filiam, Auguſtam eandem, Paridis Hiſtrionis amore deperditam, repudiavit, intraque breve tempus, impatiens diſcidii, quaſi efflagitante Populô, reduxit.* Diſcidii hìc mentionem habet, inquit ARCHÆOPHILUS, & non Concordiæ. Annon Concordiam evincit amoris vehementia? reſpondit DULODORUS. Annon Concordia, quæ adulteriò vacillaverat, rediit, cùm reduceretur Domitia? Cæterum & ad Numiſma tertium locus facit: Eô enim diſcimus, ex Domitia filium Domitiano fuiſſe, cujus Natalitium apud Martialem

Epigramma proſtat, quemque in infantia mortuum & conſecratum, ex Numiſmate patet. Secutus eſt

NERVA.



Primum Numiſma, & rarum & elegans, *vehiculationem Italiæ, à Nerva remiſſam*, in memoriam revocat. *Mulæ paſcentes* ejus ſymbolum ſunt. Sed quid ego Numiſma illuſtrem, cùm Illuſtriſſimus SPANHEMII calamus Differt. p. 800. ſeqq. id tantâ ubertate & ſolertiâ præſtiterit, ut ne Peritiſſimis quidem vel ſpicilegium reliquerit? Unicum locum Victoris ſubjicio, non tam de Vehiculatione, quàm de beneficiis aliis, à Nerva Italiæ collatis, teſtaturum: *Iſte*, inquit, *quicquid antea pœnæ nomine tributis acceſſerat, indulſit, afflictas Civitates relevavit, puellas puerosque, natos parentibus egeſtoſis, ſumtu publicô per Italiæ Oppida ali juſſit.* Magnum hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, laudatiſſimi Imperatoris eſt meritum, indeque nec miror, quòd in ſecundo Numiſmate elogium OPTIMI PRINCIPIS à S.P.Q.R. ei datum legamus. Elogium hoc reſpondit DULODORUS, in Nervæ Nummis inter rariora collocatur, nec hactenus apparuit, niſi cum figura, dextrâ ramum, ſiniſtrâ cornucopiæ tenente. Propoſitum Æquitatem exhibet, quam licet in pluribus aliis Nervæ Nummis videas, cum hac inſcriptione tamen non videas. Adde quòd adjectus COS. V. apertè averſam hanc Nervæ adimat, & Trajano addicat; Nerva enim in Conſulatu IV. mortuus eſt, & COS. V. appellari non potuit. Quicquid ſit, ad Æquitatem in hoc, & juſtitiam in quarto expreſſam facit, quod idem de eo Author. *Jurgiorum*, inquit, *diſceptator & ſcientisſimus & frequens fuit*; Et quod alibi Eutropius: ÆQVISSIMUM, ait, *ſe præbuit.* In Tertio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Pontificalia inſtrumenta video. Pontificatûs Maximi ea ſunt inſignia, reſpondit DULODORUS, qui & in adverſa Nummi memoratur. Notanda autem *Patris Patriæ* appellatio, quam ipſe optimo jure obtinuit; Jure enim *Pater* vocatur, qui paternâ lenitate Patriam fovit. Sequitur

TRA-

TRAJANUS.



Primum Trajani Numiſma, quô rarius, eò & obſcurius eſt. Equidem à Pruſaënſibus percuſſum, Inſcriptio docet; quid autem figura muliebris agat, aut quale ad pedes animal ſit, id hactenus, quod ſciam, nemo explicatum dedit. Annon eſt Diana? excepit ARCHÆOPHILUS. Eam ſanè, dextrâ in tergum rejectâ, ſagittas ex pharetra extrahere, imò & Canem comitem habere, quis neſcit? Non Sagittam ex pharetra extrahit, inquit DULODORUS, ſed utrâque manu, procul dubiô ad ſaxum aliquod, affixa eſt. Adde quòd animal ad pedes non Canis, ſed Monſtrum Marinum videatur. Fortaſſis Andromeda erit, inquit ARCHÆOPHILUS; Hanc enim Ceto expoſitam, ex fabula conſtat. Non Hanc Ego arbitrer, reſpondit DULODORUS, ſed *Heſionen*, Laomedontis Trojanorum Regis filiam, idque ideò, quòd & ipſam Ceto expoſitam, Hercules ſolverit: Hercules, quem Pruſaënſibus peculiariter cultum, ſuprà ad nummum Regis Pruſiæ diximus. De Pruſa, excepit ARCHÆOPHILUS, doceri velim, an duæ, an autem una tantùm fuerit? Una fuit, reſpondit DULODORUS, eaque ad Olympum ſita; Quæ enim ad Hippium ſita erat, licet & Plinio & Ptolemæo, & ipſa *Pruſa* vocetur, Numiſmata tamen non ΠΡΟΥΣΑΕΩΝ, ſed ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ inſcripſit, adeò ut etiam in nomine differentia ſtatuenda ſit. Licet autem Caſaubonus, in Commentario ad Strabonem, duas Pruſas agnoſcat, immeritò tamen Harduino vapulat, quòd locum Strabonis perperam vertiſſet; verſio enim non Caſauboni, ſed Xylandri eſt.

Secundum Numiſma Seleucienſium, inquit ARCHÆOPHILUS, ſubſcribitur ΖΕΥΣ ΚΑΣΙΟΣ, cùm tamen nulla in eo Jovis figura appareat. Niſi fallor, mons eſt, isque in templo, cujus in vertice Aquila ſedet. Quid? an montis ſchemate Jovem coluére Seleucienſes? Triſtanus id non veretur aſſerere, reſpondit DULODORUS, & ſuffragatur etiam Rever. Harduinus, nec abs re; conſtat enim, etiam montes antiquitùs divinis honoribus fuiſſe affectos, idque vel exemplô Argæi apud Cappadoces. Quicquid ſit, Trajanum Caſio Jovi, poſt Dacicam expeditionem in Parthos properantem, munera miſiſſe, ex Suida & Spartiani Illuſtratore Salmaſio, obſervant & Triſtanus, & Cl. Patinus. In Nummo autem non ΠΙΕΡΙΑΣ ſed Π. ΣΥΡΙΑΣ legi, Triſtanus contra Erizzum, Occonem, & Goltzium fruſtrà contendit. Nam etiam ΠΙΕΡΙΑΣ legi, noſter teſtis eſt, omni exceptione major, cui & Luc. Holſtenius ad Stephanum adſtipulatur.

tur. Adhuc A. adjectum eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, id quò pertineat, libenter ſcirem. Numerale eſt, reſpondit DULODORUS, exprimitque Seleucienſium dignitatem, quòd *Pieriæ primi* fuerint; Notandum enim, primum Trajani annum eô deſignari non poſſe, quòd cognomen Dacici in nummo legitur: Notandum, Literam hanc poſt vocem ΠΙΕΡΙΑΣ legendam, & non poſt vocem ΖΕΥΣ, ut Holſtenius facit. Tertium Numiſma annô Imperii primô, poſt Nervæ exceſſum ſignatum eſſe, ex Inſcriptione patet. Trib. poteſtatem & Conſulatum II. eâ exprimi, Græcè callentibus obſcurum eſſe non poteſt. Caduceum felicitatis inſigne eſſe, Deæ ſimulacrum perſuadet, in quo felicitas dextrâ Caduceum ſiniſtrâ Cornucopiæ præfert. In propoſito igitur Caduceus ideò procul dubio exprimitur, ut felicitati Imperatoris vox publica aſſurgeret, quâ rebus in Germania feliciter geſtis, ex Legato ad Imperiale faſtigium evectus eſt. In ſequentium



Primo, ſuperbisſima illa Adlocutio prodit, quam adjacente ad Metas Viâ, Trajanus, cum Præfecto Prætorio, in ſuggeſtu togatus, quatuor togatis coràm adſtantibus, manibusque elevatis Imperatori applaudentibus, peregit. Proſtat Numiſma paſſim, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed qui lucem ei afferret, hactenus non fuit. Nec opus eſt, reſpondit DULODORUS. Ad Viam pertinere, quam & in Numiſmate ultimo cernimus, Via adjacens dubitare non ſinit. Quid autem Metæ? excepit ARCHÆOPHILUS, ad viam? Metæ, ſubjecit DULODORUS, Circum denotant, quem collapſum Trajanus, Dione teſte, reſtituit,

tuit, majoremque reddidit & pulchriorem, inscripsitque in eo, *perfecisse se, ut Populo Romano sufficeret.* De hoc non minus, ac de Via, quid mirum, si Populum alloquatur, meritumque suum explicet, Populique simul applausum sibi conciliet? De viis à Trajano restitutis, locum Galeni citant Patinus, & Vaillantius: Et nota sunt verba Dionis: *Multa,* inquit, *eaque apprimè necessaria ædificavit, cujus generis sunt VIÆ* &c. Ita & alibi de Paludibus Pontinis, versus quas Via, antea *Appia* dicta, à Trajano restituta est, & nomen meruit: *Iisdem temporibus,* inquit, *stravit Paludes Pontinas lapidibus, exstruxit juxta VIAS ædificia, pontesque magnificentissimos fecit.* Sed non Viam tantùm, imò & Aquam de suo nomine appellavit, id quod secundô Numismate docemur.

Aqvam Trajanam lego, inquit ARCHÆOPHILUS, videoque Fluvium sub fornice decumbentem. Quid hoc? An flumen deduxit Trajanus? At ductus Aquæ Martiæ, vetustate collapsos, eum restituisse, Illust. Mediobarbus ex Frontino observat. Si Frontinum audias, respondit DULODORUS, Aquam Martiam non Trajanus, sed Nerva restituit. Nec hoc tantùm, imò & clarissimam Numismati nostro lucem affundit: Anione *flumine,* ait, *cæteras aquas vitiatas: ideoque omnes placuisse discerni, ita ut inprimis* Martia *potui tota serviret, & deinceps reliquæ, secundum suam quæque qualitatem aptis usibus assignarentur, sicut* Anio vetus *pluribus ex causis, quo interior excipitur minus salubris, in hortorum rigationem, atque in ipsius Urbis sordidiora exiret ministeria.* Ex his, subjecit ARCHÆOPHILUS, sub flumine in Numismate expresso Anionem intelligi posse, deducerem, si Trajani id meritum fuisset: Cùm autem, Frontinô asserente, Nervæ fuerit, nondum acquiescere possum. At facies, inquit DULODORUS, ubi & reliqua audieris: *Nec satis fuit Principi nostro,* inquit, *cæterarum restituisse copiam, & gratiam,* Anionis *quoque* novi *vitia exscindi posse vidit; omissô enim flumine, repeti ex lacu, qui est super villam Neronianam Sublacensem, ubi limpidissima est, jussit.* Adhuc, excepit ARCHÆOPHILUS, Nervæ meritum video; At nunc Trajani videbis, respondit DULODORUS; *Hæc tam felix proprietas aquæ,* pergit idem Author, *omnibus dotibus æquatura Martiam, copiâ vero superatura, veniet in locum deformis illius & turbidæ.* Veniet, inquit, adeòque non obscurè indicat non Nervam, sed Successorem ejus, opus perfecturum; Et ne dubites quis ille sit, addit: *Novum Imperatorem,* Cæsarem *NERVAM TRAJANUM* Augustum, *præscribente titulô.* Vides ARCHÆOPHILE, Opus hoc Nervam non perfecisse, sed perficiendum Trajano reliquisse: Vides, quô sensu P. Victor in Topogr. Rom. cap. 4. *Aquæ Martiæ partem Trajanus in Aventinum derivaverat, unde* Trajana *dicta est.* Vides fluvium alium, non esse, ac Anionem, non turbidum illum, sed lacu depuratum, & si de fornice quæras, sub quo cubat, Arcum ego dixerim, vel specum, per quem ducebatur. Ita Claudiam per Arcus Neronianos ductam, idem Frontinus author est.

Pinnæ, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ arcum hunc coronant mihi adhuc dubium movent. Non movebunt, regessit DULODORUS, si consideres, Anionem novum per supremum aquarum specum, ad Urbem perductum. Id non certiore argumentô didiceris, quàm ipsorum Aquæductuum inspectione, quos Eruditissimus Raphael Fabrettus, de Columna Trajani, cap. IV. pag. 103. vulgavit, quem & p. 301. & seqq. de Numismate quarto consulere poteris. Portum Anconitanum, excepit ARCHÆOPHILUS, eô delineari, communis Recentiorum opinio est, quam & Cel. Vaillantius, nisi fallor, retinuit, in Præstantioribus superiore adhuc annô denuò publicatis. Fabrettô observante, respondit DULODORUS, Portus Anconitanus Inscriptione excluditur, exstructus,

Trajanô non V. ut in Nummo habetur, ſed VI. Conſule. At Pons Trajani, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, plurium arcuum, & lapideus erat. Accedit, quòd & Navis & Catena, quibus arcus hic præcluditur, Porticum potiùs, quàm Pontem innuant. Reſpondet Fabrettus, regeſſit DULODORUS, unicum fornicem plurium indicem eſſe: Reſpondet, Pontem infrà quidem lapideum, ſuprà fornices autem lapideos, ligneum fuiſſe: Ita & de Navi ex figura apparere, non maritimam, ſed fluviatilem eſſe, qualis & in aliis fluvios navigabiles demonſtret: Et quam hactenus Catenam credidere, portum præcludentem, eam non Catenam, ſed fluvii marginem eſſe. Prævalet ſententia, inquit ARCHÆOPHILUS, nam video, marginem hunc ab uno tantùm latere Ponti cohærere. At cujus ſunt templa, quæ ſequuntur? Prius, reſpondit DULODORUS, Patinus ex Numiſmate mediæ magnitudinis producens, quale ſit inter tot à Trajano exſtructa, ſe neſcire fatetur. Occo Jovi tribuit, quòd is in medio ſedeat: Ego Jovi utrumque addico, non enim diverſa eſſe, ſed unum idemque, ex columnarum numero, & templi figura colligo, quæ utrinque eadem, niſi quòd in priore Porticus adjecti ſunt, Jupiterque, qui in priore ſedet, in poſteriore ſtet. At ego, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non tantùm Jovi, ſed & ipſi Trajano hæc templa addicerem, hæc enim ſibi non contradicunt. Trajanum Jovis habitu cultum, adeò abſurdum non eſt, cùm Trajanum *Jovem* appellatum, ex inſcriptionibus conſtet, quas ex Grutero allegat Eruditisſimus Raphaël Fabrettus. de Col. Trajan. p. 247. quanquam ille Trajano templum poſitum negare videatur, p. 301. Quid enim? annon & Inſcriptio templum hoc Trajano à S. P. Q. R. & quidem S. Cto dicatum evincit? Neſcio, àn ratio valeat, repoſuit DULODORUS. Etiam Via, & Aqua, & Pons, & alia in Numiſmatibus S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI inſcribuntur, & tamen non à S. P. Q. R. Trajani honori, ſed ab ipſo Trajano exſtructa ſunt: adeò, ut vel hinc conſtet, Inſcriptionem non impedire, ut etiam templum hoc à Trajano gloriæ Jovis exſtructum, à S. P. Q. R. autem gloriæ Trajani in Numiſmate expreſſum credamus.

At Jovis templum, excepit ARCHÆOPHILUS, aliâ planè figurâ radiat; videri id poteſt apud Jac. de Bie p. 36. Jovis id eſſe non negabis. Inſcriptio J. O. M. rem indubiè evincit. Quaſi vero, inquit DULODORUS, non plura Jovi templa exſtruere Trajanus potuerit, uti & plures Pontes, plures Portus &c. Sed hæc in medio relicta ſint. In ſexto Nummo minus controverſiæ eſt, Columnam Trajanam, quæ hodieque Romæ viſitur, cum ipſius Trajani ſimulacro, quis ignorat? COLUMNAM *maximam collocavit*, inquit Dion è Xiphilino, *partim ſepeliendi ſui causâ, partim, ut opus, quod ipſe circa forum fecerat, Poſteris oſtenderet; Nam cum locum montoſum, quanta eſt altitudo Columnæ, perfodit, forumque eô pactô complanavit.* Duplex igitur, repoſuit ARCHÆOPHILUS, Columnæ hujus uſus eſt. Imò & tertius accedit, reſpondit DULODORUS, ut res à ſe, contra Dacos præcipuè, geſtas Poſteritatem edoceret. Si rem exactius cognoſcere deſideres, adi S. Bartolum, qui eam æri magnificè inciſam publicavit: Adi laudatum Raph. Fabrettum, qui res expreſſas eruditiſſimè illuſtravit. Ad alia tranſire par eſt; De Via enim modò diximus. Sequentes Nummi

Ad



Ad victoriam Dacicam pertinent. *Primus* Danubium exhibet, quem contra Decebalum, ponte junctum modò diximus. Pons, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, eleganter etiam hic expreſſus credi poteſt, arcuatô circa caput velô. Velum, inquit DULODORUS, non Pontem, ſed Divinitatem innuit, uti Navis, Danubii uſum. In *ſecundo* Nummo Decebalus Imperatorem ſupplex veneratur: In *tertio* Imperator Eques Decebalum proſternit: In *quarto* Victoria clypeo, ad Palmæ truncum affixo, DACICAM inſcribit: In *quinto* & *ſexto*, Dacia captiva luget; In *ſeptimo* Auguſti Provincia facta, rerum abundantiam jactat. Hiſtoriam latius perſequitur Dio, ubi & ex Theodoſio refert, Decebalum primò quosdam *ex Comatorum numero, deinde* PILEATORUM *præſtantiſſimos ad Trajanum miſiſſe*, qui locus ad *Pileatas* his in Nummis figuras probè obſervandus. Obſervandus & habitus, excepit ARCHÆOPHILUS, à Romano diſtinctus; Sed quid duo infantes juxta Daciam? Regonis felicitatem innuunt, vides enim alterum *ſpicas*, alteram *Uvam* præferre. Uvam? inquit ARCHÆOPHILUS; At Illuſtriſſim. Mediobarbus non hanc, ſed Perſonam agnoſcit. Scio, reſpondit DULODORUS, eoque perſuaſus & Raphael Fabrettus, Daciam à tempore Auguſti ad Probum usque, vitium abındantiâ caruiſſe, teſtimoniô Strabonis, Ovidii & Dionis probat. Hoc ut ut agnoſcam, Perſonam tamen agnoſcere non poſſum; Quæ enim illius in Dacia ratio? Sed inſpice Numiſma, annon & ipſe uvam fateris? Fateor, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed deficiente vitium

tium cultura, quò referam, ſanè neſcio. Non aliò, inquit DULODORUS, quàm ad priſtinæ felicitatis & ſpem & votum. Priſcis temporibus vitibus Daciam abundâſſe, nemo inficias ibit; Quid mirum igitur, ſi Auguſti Provincia facta, id quod non tantùm ex inſcriptione, ſed etiam ex ſigno Legionali patet, priſtinam & gloriam & felicitatem ſibi promiſerit? quid ſi Romani, quorum Numiſma eſt, adulatoriô ſtylô id jactaverint, quod tamen revera non erat? Credibilia dicis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſed quis in Nummo ſecundo, an Roma? an Imperator? Imperator, inquit DULODORUS, ita enim Dio appoſitè ad Nummum de Decebalo, πρός τε τὸν ΤΡΑΙΑΝΟΝ ἐλθών, καὶ ἐς τὴν γῆν πεσὼν, καὶ προσκυνήσας αὐτῷ, *ad TRAJANUM profectus, & proſtratus ad ejus pedes, eum veneratus eſt.* Idem & de Provincia teſtatur: *Decebalus*, inquit, *poſtquam Regiam, Regionemque ſuam omnem, captam eſſe cognovit, imminereque periculum, ne ipſe quoque caperetur, manus ſibi attulit. Ejus caput Romam perlatum eſt, & Dacia in poteſtatem Populi Romani venit, in eamque Trajanus Coloniam deduxit.* Sed ultrà tendimus.



Primum Numiſma *Armeniam* & *Meſopotamiam in poteſtatem P. R. redactas* adumbrat. Utriusque teſtis eſt Dio; Eô enim referente, Parthamaſiri, Regnum Armeniæ petenti, reſpondit Trajanus: ARMENIAM *nemini ſe relicturum, quòd ea juris Romani præſidem Romanum habitura eſſet.* Et paulò poſt, cùm in Meſopotamiam veniſſet, & Maniſarus per Legatos, ARMENIA & MESOPOTAMIA, quas ceperat, ultrò ſe ceſſurum offerret, reſpondit: *Fidem ſe prius non habiturum, quàm profectus ad ſe Maniſarus, ipſis factis promiſſa confirmâſſet.* Et tandem, cùm Trajanum cogitaſſe, dixiſſet, iterum Exercitum in MESOPOTAMIAM transducere, ſed ingraveſcente morbo iter in Italiam cœpiſſe, P. Æliô Hadrianô in Syria cum exercitu relictô, addit: *Itaque Romani captâ ARMENIA ac magna parte MESOPOTAMIÆ, ſuperatisque Parthis, fruſtrà tot labores ſuſcepiſſe viſi ſunt* &c. Hæc clara ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS. At de figuris dubitem; Niſi enim fallor

fallor, tres ad Imperatoris pedes jacent, cùm tamen duæ tantùm in inſcriptione memorentur. An Armenias, quæ duæ fuére, duabus etiam figuris expreſſas credam? Me judice non facies, regeſſit DULODORUS. Unica enim figura, eaque media tantùm, cui Imperator pedem imponit, Regionem denotat, reliquæ duæ, Fluvii ſunt. At Mediobarbus, repoſuit ARCHÆOPHILUS, unicum tantùm fluvium agnoſcit, id quod etiam inſcriptioni convenire videtur, quæ duas Regiones memorat. Mediobarbum hîc erráſſe, reſpondit DULODORUS, ocularis inſpectio, teſtis omni exceptione major, evincit; Non enim ea tantùm figura, quæ ab Imperatoris tergo viſitur, urnâ inſignitur, ſed & earum altera, quæ coram eo, quasque Mediobarbus *Captivos* interpretatur, cùm tamen ſola figura intermedia captivi rationem habere poſſit, MESOPOTAMIAM innuens, Regionem inter duos fluvios, *Euphratem* & *Tigrim*, jacentem. Hâc ratione, excepit ARCHÆOPHILUS, Armeniarum in figuris nulla eſt mentio. Id mirum non eſt, reſpondit DULODORUS; Trajanus enim, cùm Meſopotamiam in poteſtatem P. R. redigeret, non amplius in Armenia, ſed in Meſopotamia ſtetit. Sed ultra tendimus, cum ipſo Victore.

In ſecundo Numiſmate etiam ARABIA ADQVISITA jactatur, muliere ſtolatâ, ſiniſtrâ calamum odoratum, ut volunt, tenente, dextrâ autem ramum Thuriferum prætendente, cum adſtante ad pedes Camelo. Camelo? ſubjecit ARCHÆOPHILUS: At figura hæc Struthiocamelo propior videtur. Si probè examines, inquit DULODORUS, non videbitur. Dimidiatus tantùm apparet, non obſcura tamen ſunt & alterius dimidii veſtigia. Accedit, quòd Struthiocamelus, licet fortaſſe etiam in Arabia reperiatur, Plinio tamen teſte, Africæ & Æthiopiæ animal, Camelus autem Arabiæ etiam in tertio Numiſmate ſymbolum ſit. De Arabia acquiſita ſunt verba Xiphilini ſub Trajano: *Per id tempus*, inquit, *Palma, Præfectus Syriæ, cepit eam Arabiæ partem, quæ Petram attingit, redegitque in ditionem Populi Romani:* Ammianus L. XIV. c. 27. *Arabiam*, inquit, PROVINCIÆ *impoſitô nomine, Rectoreque attributô, obtemperare Legibus noſtris* TRAJANUS *compulit Imperator, incolarum tumore ſæpè contusô, quum gloriosô Marte Mediam urgeret & Parthos.* Parthorum, inquit ARCHÆOPHILUS, mentio eſt in quarto Numiſmate. Ambitioſa Inſcriptio, reſpondit DULODORUS, REX PARTHIS DATUS, ſatis Numiſma explicat, eique aſſiſtit Dio ex Xiphilino: *Trajanus metuens*, inquit, *ne Parthi quoque aliquid molirentur, Regem eis dare conſtituit. Itaque ut Cteſiphontem venit, convocatis in magnam planitiem Romanis omnibus, Parthisque, qui tum aderant, excelſum Tribunal conſcendit. Ibi apud eos de Rebus à ſe geſtis gloriatur, deinde PARTHIS REGEM PARTHAMASPATEN DESIGNAT, eique Diadema imponit.* Quid magis ad Numiſma dici poſſet? Unicum dubium reſtat, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Utra figura, an ſupplex, an autem Tribunali adſtans, Parthamaſpates ſit? Figura ſtans, excepit DULODORUS, ejus enim capiti Trajanus manum admovet, tanquam Diadema impoſiturus. Quid autem figura ſupplex? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Parthia videtur, reſpondit DULODORUS, Regem ab Imperatore recipiens. Placet opinio, inquit ARCHÆOPHILUS, nam apud Biæum hanc figuram Coronâ turritâ inſignem vidi; In Numiſmate noſtrô regeſſit DULODORUS, turrita non eſt, ſed *pileata*, qualis & in aliis lugens. Sed quid ego Parthiam ſolam jacto, cum in Numiſmate quinto, lemmate multò glorioſiore, REGNA ADSIGNATA legantur? An præter Parthos, inquit ARCHÆOPHILUS, adhuc aliis Gentibus Reges dedit Trajanus? Præter Parthos, reſpondit DULODORUS, Eutropius etiam Albanis Regem à Trajano datum memorat: Et quis de tertio dubitaret,

bitaret, Numiſmate tribus Regna adſignata aſſerente? Sed quid multa? cùm conſtet in Oriente Trajanum longè latèque Romani Imperii fines protuliſſe, aliis Regna ademiſſe, aliis adſignaſſe? In ſequentium



Primo, Statua Trajani togata, dextrâ ramum, ſiniſtrâ ſceptrum tenens, à Victoria volante coronatur. An ob Victoriam de Dacia? excepit ARCHÆOPHILUS. Procul dubiô, inquit DULODORUS, quanquam Statua, ob eam poſita non videatur. At, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, captivi utrinque manus tendentes & Aquilæ cum labaris, ſive vexillis, rem clariſſimè demonſtrant: Adde, quòd durante COS. V. Numiſma percuſſum bellum in Oriente geſtum excludit. Hæc benè obſervas, reſpondit DULODORUS, ſed Statua togata, dextrâ ramum Oleæ præferens, non Victorem Regis ad mortem acti, ſed pacem petentibus concedentem, videtur adumbrare. Non mea hæc ſententia eſt. Eruditiſſimus Raphael Fabrettus Numiſma ad Legationes Barbararum Gentium, & Indorum oſtendit pertinere, de quibus Dio ex Xiphilino: *Ad Trajanum, reverſum in Urbem, quamplurimæ Legationes à Barbaris Gentibus, & imprimis ab INDIS venerunt.* An ſatisfacit ratio? Satisfacit, inquit ARCHÆOPHILUS; In ſecundo autem, quod argenteum eſt, ALIMENTA ITALIÆ lego. An etiam hîc Authores ſuccurrunt? Succurrunt, reſpondit DULODORUS. Plinius in Panegyr. c. 26. *Hæc*, inquit, *prima parvulorum Civium vox aures tuas imbuit, quibus Tu daturus alimenta, hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent.* Locum citat Cel. Vaillantius, qui & tertium Numiſma ad cultum Apollinis & Minervæ refert, aitque, ſimile etiam à Lyttiis, Cretæ populis, in Nervæ honorem ſignatum eſſe. At ego, inquit ARCHÆOPHILUS, potius duas Lyras ad Orientis & Occidentis harmoniam, prudentiâ Trajani temperatam, retulerim. Probabilis ratio eſt, reſpondit DULODORUS, quanquam, quod monendum, ad principium Imperii Numiſma pertineat; percuſſum enim eſt, cùm Trajanus, Nervâ mortuô, Imperiale faſtigium aſcenderet, id quod ex ΥΠΑΤ.

B. COS.

B.COS.II. patet. Cæterùm figura literæ E. hîc notanda, formâ Latini C. in voce EΞ. non virgulâ in medio, quod commune in reliquis, sed adjectô inter duos apices punctô tantùm, à Græcorum Sigmate distinctæ. Eadem etiam in quarto Numismate visitur, ubi duæ dextræ junctæ signum navi impositum amplectuntur. An hinc superioris interpretatio dependeat? infit ARCHÆOPHILUS: ut scil. Concordiam Exercituum, terrestrium & maritimorum, Trajani prudentiæ innuatur deberi? Id in hoc, respondit DULODORUS, tutò statuerim, in superioribus autem poteris etiam ad Statum Militarem & Civilem respicere. Sed latus hîc est divinandi campus. Quintum Numisma, Orientem à Trajano devictum, non capite radiatô tantùm, sed & cognomine *Parthici* adumbrat. Res clara est, ut & de sequentibus,



Ubi in primo Divus Trajanus Pater, Herois instar, capite nudô præfiguratur; Video, subjecit ARCHÆOPHILUS, sed dubium est, an ipse Trajanus, an vero Trajani pater is sit? Illum sanè Inscriptio denotat, & congruè mihi videor Trajanum hîc, & *vivum & Divum* agnoscere. Si facias, inquit DULODORUS, vehementer non restitero, quanquam quòd Trajani pater, & ipse hoc nomen tulit, & etiam in principio Regiminis signatus apud Occonem prostet, tandem etiam, vivum Imperatorem, tanquam Divum signare, idem fuisset, ac mortem ei nunciare, potiùs ad Trajani Patrem caput hoc retulerim, qui, ut Vaillantius ait, *bello Judaico Legioni X. præfuit, in eoque Triumphalia ornamenta Consul obtinuit, quanquam, ut conjicitur, suffectus: Proconsulatum Asiæ administravit, & sub Domitiano mortuus est.* Memor scilicet eximii Parentis Trajanus, ut inter Divos à Senatu collocaretur, postulavit. Imo ejus Statua est etiam in denario argenteo, quem & ipsum Gaza Electoralis possidet, in quo Togatus sedens, dextrâ pateram prætendit, sinistrâ hastæ divinitatis innititur, nullô omninò capitis ornamentô. Secundum Numisma *Jovem*, Patris Patriæ Conservatorem, exhibet, elogiô, ut Jovi gloriosô, ita & Imperatori honorificô.

Conſervator dicitur, non Tyranni alicujus, ſed *Patris Patriæ*, qui fulmini, id eſt providentiæ divinæ, ſe ſubmittit, Oleamque prætendit, tanquam ſub hoc Conſervatore ſuo, Patriæ pater futurus, florentemque communicaturus Pacem. Hæc benè ſe habent, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem in Numiſmate tertio? an Hercules globum ſuſtinet? Cel. Vaillantius id arbitratur, inquit DULODORUS, idque ideò, quòd Trajanus Herculem coluerit, adeoque is Deus non inſcitè ad pedes Trajani, tanquam ſe ipsô dignioris, globum volvere videatur: Mihi autem Captivus aliquis, clypeum ſuſtinens videtur, idque argumentô alîus nummi infrà ſub Conſtantio proferendi. Quicquid ſit, Numiſma præclarum & ſingulare Vaillantius judicat. Quintum Quinarii modulô ſe commendat. In eo, Victoria Trajano lauream fert, procul dubiô de Parthis, id enim COS. VI. evincit. In quarto eſt Triumphus de Decebalo & Dacis, quem COS. V. egit. Sed duos, interrupit ARCHÆOPHILUS, Trajanum de Dacis Triumphos egiſſe, ex Plinio jun. Ep. 4. Lib. VIII. diſcimus: Ad utrum igitur Numiſma pertinebit? Difficilis reſponſio eſt, inquit DULODORUS. Raphael Fabrettus quidem in primo, quòd tunc Conſul fuiſſet, Scipionem eburneum agnoſcit, ſed Cel. Vaillantius, eum in omnibus Trajani Triumphis obſervari, aſſerit. Trajani Uxor fuit

PLOTINA.



Duo hujus Numiſmata propono, alterum aureum, quod Plotinæ viventi adhuc, & Trajano jam Divo, percuſſum eſt; Alterum Plotinæ honori Colonia Caſſandrenſis ſignavit. *Caſſandria*, repoſuit ARCHÆOPHILUS, Urbs Macedoniæ fuit, olim *Potidæa*, ſed à Caſſandro poſtea *Caſſandria* appellata, quid autem ad hanc Jupiter Ammon? Cultum ejus, reſpondit DULODORUS, ex finitima Aphyti didiceris, de quo Pauſaniæ locum citat Cel. Vaillantius in Coloniis, ubi plura ad Nummum facientia docebit.

MARCIANA



Subit, Imperatoris Trajani ſoror. Nihil in hujus Numiſmate novum. Conſecratio per Aquilam, æternitatis ſymbolum, præfiguratur, cùm aliâs Auguſtis Pavo

Pavo dari ſoleat, Junoni ſacrata ales. An ſub Hadriano, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, conſecrata eſt Marciana? Non ſub hoc, excepit DULODORUS, ſed ſub Trajano. *Divam* enim, Trajanô adhuc vivente, in Arcu Anconæ vocari, Vaillantius obſervat.

MATIDIA.



Marcianæ filia, Sabinæ mater, & ipſa Conſecrationem ſuam Aquilæ ſymbolô exornat. Hæc non ſub Trajano (cineres enim ejus Romam comitata memoratur;) ſed ſub Hadriano & mortua eſt, & divinos honores accepit. Hadriani Socrus erat, & Hadrianus, Spartianô teſte, *Socrui ſuæ honores præcipuos impendit, ludis gladiatoriis, cæteriſque officiis.* Et iterum: *In honorem Socrûs ſuæ Aromatica Populo donavit.* Sed ecce! Ipſe

HADRIANUS,



Inſignem in parentes pietatem, in primo & tertio Numiſmate jactat. Utrumque aureum eſt, *illud* Trajanum & Plotinam in averſa, *hoc* Trajanum ſolum exhibet: *Illud* DIVIS PARENTIBUS, *hoc* DIVO TRAJANO PATRI AUG. inſcriptum. Nihil in his obſcurum; ſignata enim ſunt Numiſmata, cùm Trajanô mortuô Hadrianus Imperii habenas ſuſcepiſſet. An tunc, excepit ARCHÆOPHILUS, jam *Germanicus*, *Dacicus*, & *Parthicus* dicebatur? Ea enim cognomina in tertio Numiſmate literis G. D. PART. exprimuntur. Cognomina hæc, reſpondit DULODORUS, hæreditariô jure eum ſuſcepiſſe, ex Nummis conſtat, cùm & in iis occurrant, in quibus à Trajano adoptatur. Secundum Numiſma Cæſareæ Cappadociæ percuſſum eſſe, ex monte Argæo patet.

patet. Hadriani Statua in eo eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, cum Stella & haſta. Stellam, regeſſit DULODORUS, etiam in aliis videas; Hadriano autem Statuam malè addicis; Eſt enim Jupiter Acræus, Globôque & Sceptrô Orbis Dominium denotatur. In quarto Numiſmate, quod tetradrachmum eſt, non mons, ſed templum, cum Deitate muliebri, viſitur: Cùm autem inſignia non appareant, nec etiam loci nomen adjectum ſit, quò pertineat, dicere non auſim. Integrior Nummus, inquit ARCHÆOPHILUS, lucem fortasſis affundet. Me, in ſequentibus,



Simulacra Regionum afficiunt. Pleraque, reſpondit DULODORUS, vulgaria ſunt. In *primo* TELLUS STABILIS habitu Ruricolæ, dextrâ non Antliam, ſed Aratrum, ſiniſtrâ Raſcellum tenet, ut oſtendatur, tellurem cultu & ſtabilem & frugibus fœcundam eſſe. Fœcunditatem certè duæ ſpicæ evincunt. Eleganter hæc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid autem ad ASIAM dices, quam proræ navis inſiſtentem, & ſiniſtrâ temonem geſtantem, video, quid illa dextrâ præfert,

præfert, an Serpentem? Ita hactenus, inquit DULODORUS, nec abs ratione, cùm etiam in Augusti Numismatibus, Asia per Serpentes denotetur. Cel. Vaillantius tamen hîc non Serpentem, sed Acrostirium agnoscit, eâdem interpretatione cum navis rostro & temone, quòd scilicet Asia non nisi navibus adiri possit. Notandum non unam Orbis partium, sed eam hîc sub *Asia* intelligi debere, quæ vulgò *Minor* audit, & Provincia Proconsularis fuit. In tertio Numismate est AFRICA, Elephanti proboscide insignis, dextrâque Scorpium super panario protendens, sinistrâ Cornucopiæ tenens, quæ symbola fertilitatem & ipsa adumbrant.

An & Scorpius? excepit ARCHÆOPHILUS. Omninò, respondit DULODORUS, id enim ex simulacris Mithræ apparet, in quibus Scorpius membro Tauri genitali apponitur. ÆGYPTUS, quæ in quarto Nummo radiat, Sistrum Isidis prætendit, sinistrâ calatho spicis referto innititur, assistente coràm Ibide. Sistrum ad Religionem pertinere, & sub calatho spicis referto fertilitatem Regionis adumbrari, nemo opinor negabit; De Ibide dubitaverim, subjunxit ARCHÆOPHILUS. At hunc, regessit DULODORUS, Ægyptiis sacrum esse, ex Herodoto, aliisque constat.

NILUS in quinto Numismate & ipse cornucopiæ præfert, quòd inundatione suâ Ægypti fertilitatem promoveat: Junctos habet, hinc Crocodilum, inde Hippopotamum, notissima in Nilo monstra, dicam, an animalia? DACIA succedit, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ex Numismate magni moduli. Id rarum est, respondit DULODORUS, quanquam Daciæ simulacrum nec rarum sit, nec obscurum. Daciam Augusti Provinciam sub Trajano vidimus. Montibus insidet, ad designandam Regionem montosam: Signum Legionare tenet, quòd Romanô præsidiô teneretur: Sinistrâ ramum procul dubio Oleæ, eumque ob pacem, Romanorum sub imperio, sibi restitutam. Servitutis hæc indicia sunt, subjecit ARCHÆOPHILUS, uti & in septimo, ubi HISPANIA montibus incumbens Oleam prætendit, assidente ad pedes Cuniculô, animali formidolosissimô; Multò aliter GERMANIA, excepit DULODORUS, quæ octavo in Numismate & Hastam & Clypeum jactat, non aliâ ratione, quàm quòd bellicosissima Gens, etiam Romanis rerum fastigiô potitis, fortitudinis gloriam sibi asseruerit. Locus hîc esset Germanorum Panegyricum pertexendi; Sed Heroica sanguinis virtus, etiam nostrô tempore, omnes laudantium vires exsuperat.

Non hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, expecto, sed rationem, cur Regiones in Hadriani Numismatibus sint expressæ? Duplex est, respondit DULODORUS, vel quòd eas inviserit Hadrianus, vel quòd beneficiô aliquô eas affecerit. Germaniam invisit anno Imperii VI. V.C. 875. Hispanias petiit anno Imp. VII. V.C. 876. Asiam V.C. 877. Africam anno Imp. X. V.C. 879. Ægyptum anno Imp. XV. quando & Nilum navigans Antinoum amisit. Sed quid ego his immoror, cùm tamen vestigia & peregrinationum, & beneficiorum Regionibus collatorum, etiam in sequentibus se sistant?



In primo & ſecundo, inquit ARCHÆOPHILUS, video Imperatorem togatum Romæ dextram porrigere, ſed illinc ſedenti, hinc ſtanti: indeque dubitem, an ad eundem hæc Numiſmata Adventum pertineant, an autem ad diverſum? Ad diverſum, reſpondit DULODORUS, id enim ex adjectis Conſulatibus colligimus. Hadrianus ſecundô Imperii ſui annô, quô & COS. II. fuit, ex Aſia Romam venit, eòque pertinet Nummus primus: cùmque annô ſequenti in Sarmatos movens Mœſiam adiiſſet, factâ cum Roxolanorum Rege pace, annô Imperii V. V.C. 874. denuò Romam rediit, Conſul jam III. quem honorem anno V.C. 872. geſſit, & ad finem vitæ uſque in Nummis continuavit, adeò ut dubium ſit, an ad hunc, an ad aliquem poſteriorum Adventuum Nummus ſecundus pertineat. Advenit enim, etiam anno V.C. 876, cùm Regiones interim Britanniam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam adiiſſet. Advenit anno V.C. 878, cùm priore annô Aſiam, & Græciam, & Siciliam viſitaſſet. Advenit annô V.C. 880, cum annô præcedente in Africa fuiſſet. Advenit anno V.C. 887, cùm interim per Græciam denuò in Aſia fuiſſet, Arabiam peragraſſet, in Ægypto Nilum navigaſſet. Quis inter tot Adventus Numiſma determinaret? Quis & Adventum Italiæ Numiſmatis tertii, eodem Conſulatu inſigniti, cùm tamen Romam ſine Italia attingere non potuerit? Adventus Mauritaniæ, excepit ARCHÆOPHILUS, certior erit, procul dubio enim ad tranſitum in Africam pertinet, quum ſemel tantùm, annô V.C. 879. in ea fuerit. Rectè judicas, inquit DULODORUS, nec abs ratione Mauritania proboſcide Elephanti ornata, Victimâ ad aram poſitâ, Imperatorem excipit, procul dubio enim, ut Reges ſuos, uti ſuprà ad Jubam vidimus, ita & Hadrianum divinis honoribus coluerint, idque eò magis, quòd divinô, eorum ad opinionem, beneficiô Africam affeciſſet; Ita enim de eo Spartianus: *Quando*, inquit, *in Africam venit, ad adventum ejus poſt quinquennium pluit, atque ideò ab Africanis dilectus eſt.* Non amplius mirabor, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cur ſimulacrum Africæ calathum ſpicis plenum oſtendat, imò & alibi ſpicas ſub adventum Hadriani jactet, cauſam enim ſpecialem ſubeſſe video; Sed age, an & fuit in iis Regionibus, quarum reſtitutor audit? Fuit inquit DULODORUS. Sequentia

RESTI-



Restitutori Orbis Terrarum, Restitutori Bithyniæ, Restitutori Achaiæ, Restitutori Galliæ, Restitutori Hispaniæ dicata ſunt, de quibus plerisque Spartianus: Et quidem de Hiſpania: Hispanias, inquit, *petiit, & Tarracone hyemavit: ubi ſumtu ſuô Ædem Auguſti reſtituit: Omnibus Hiſpanis Tarraconem in conventum vocatis, delectumque jo cula riter, ut verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectantibus, Italicis vehementiſſimè, cæteris prudenter & cautè conſuluit.* Et alibi: *Profectus in* Gallias, *omnes cauſſariis liberalitatibus ſublevavit.* Et iterum: *Ad* Achaiam *navigavit, & Eleuſinia Sacra, exemplô Herculis Philippique, ſuſcepit: Multa in Athenienſes contulit, & pro Agonotheta reſedit: Et in Achaia quidem illud obſervatum eſt, quòd cùm in Sacris multi cultros haberent, cum Hadriano nullus armatus ingreſſus eſt.* Hæc Spartianus, inquit ARCHÆOPHILUS; At quis de Bithynia? De Bithynia, reſpondit DULODORUS, ſunt verba Euſebii in Chronico, Per-Illuſt. SPANHEMIO citata Diſſ. IX. pag. 828. ubi & Numiſma Restitutori Nicomediæ dicatum producit: *Terræ motu factô*, inquit Author, *Nicomedia ruit, & vicinæ Urbes plurimæ everſæ ſunt: Ad quarum inſtaurationem Hadrianus de publico eſt largitus impenſas.* Sed quid per partes rem exigo, cùm tamen RESTITUTOR ORBIS TERRARUM, in primo Numiſmate, de toto teſtetur? *Adeptus Imperium*, ait Spartianus, *tenendæ per* Orbem terrarum *paci operam intendit.* Et quâ beneficentiâ reſtituere poterat efficacius? Taceo famem, peſtilentiam, & terræ motum, quæ omnia, quantum potuit, procuravit, multisque Civitatibus vaſtatis per iſta, ſubvenit. Liberalisſimus certè erat, id quod etiam in ſequentibus,



Liberalitatis typi, numeris ſuis diſtincti, teſtantur. Numeros, inquit ARCHÆOPHILUS, III. & VI. in duobus poſtremis video. In reliquis autem nihil eſt: An ii ad *primam* pertinebunt? Primam Liberalitatem, reſpondit DULODORUS, Conſul II. exercuit. Is Conſulatûs numerus, cùm in primo Numiſmate occurrat, dubii nihil relinquit: imò & liquidò demonſtrat, reliqua, utpote ſub Conſulatu III. percuſſa, ad ſequentes Liberalitates pertinere. Quicquid ſit. Septem Liberalitates in Nummis Hadriani proſtant, ſed certis eas temporibus addicere, difficile foret: Facillimum autem, loca Authorum, de liberalitate teſtantia, producere. Unum inſtar omnium ſit illud Spartiani: *Omnes Reges*, inquit, *muneribus vicit*. Plurima, infit ARCHÆOPHILUS, Hadriani Numiſmata video, tam ex auro & argento, quàm etiam ex ære. Omnia pertexere, reſpondit DULODORUS, nec anguſtia temporis, nec ratio inſtituti permittit, ex æreis tamen, quædam adhuc Græca proponere, operæ pretium erit,

Pleris-



lerisque, etiam aureis & argenteis, rariora. Primum Numiſma magni moduli, iſi ex figuris notum eſſet, ex inſcriptionibus non pateret. Caput Hadriani eſſe, emo Eruditorum dubitabit. Àverſæ Dioſcuri, Numiſma Lacedæmone ſignaum arguunt, non minus ac ſecundum, ubi iidem Dioſcuri equitant. Similem ypum, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Triſtanum ſub Trajano vidi. idi & ego, regeſſit DULODORUS, ſed falsò, ad Equos Trajano adduos eum ibi referri, omninò eſt monendum. Tertium Numiſma ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ inſcriptum, victoriam navalem Imperatoris Gloriæ apponit. Quæam illa Tripolis ſit, an *Phœnicica*? an quæ *Leptis magna* dicebatur apud Syrn parvam? quòd utraque maritima fuerit, non facilè confici poſſe, Patinus aſrit, ad Nummum alium, in quo Genius Urbis dextrâ tridentem tenet, ſiniſtrô item pede proram navis calcat. At ipſe Patinus, ſubjunxit ARCHÆOPHIUS, ad poſteriorem reſpicit, idque vigore Nummi aliûs, in quo Hadrianus ques Leonem conficit, id quod Lepti patratum, Athenæus ſcribit. Fragile gumentum eſt, reſpondit DULODORUS; Licet enim Leonis interemti emoriam Leptis conſecraverit, indè tamen non ſequitur, etiam navalem & tentiam & victoriam ſignâſſe. Tripolis ſanè Phœniciæ, & ipſa navali gloriâ lſit, id quod ex Nummo ſub Antonio & Cleopatra percuſſo patet, in quo pronavis cum victoria ΚΟΙΝΟΝ ΠΡΩΤΗΣ ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ inſcribitur, ô vel ſolô evincas, ad eandem Tripolim etiam propoſitum pertinere. Quarm Numiſma ΑΡΣΙΝΟΕΝ exhibet, Uxorem & ſororem Ptolemæi Philadeli, à qua Ἀρσινοΐτις nomen fuiſſe, ex Plinio conſtat. Numiſma hoc, inquit ARHÆOPHILUS, Rev. Harduinus ex Gaza Regia citat: Cùm autem præter bem Arſinoen, Arſinoitæ, duæ Ægypti Nomi fuerint, cæteræ autem Ægypti æfecturæ, & ipſæ Hadriani gloriæ Numiſmata ſignaverint, ad primam Arſien propoſitum refert. Incerta res eſt, reſpondit DULODORUS. Nobis

 ſufficit

ſufficit annum Hadriani undecimum notâſſe. Quintum Numiſma eò rarius eſt, quò apertius in eo Antiochia cum fluvio Oronte, Romanô idiomate inſignitur. Non SCto tantùm Numiſma percuſſum eſt, ſed & Conſulatu tertio, quô durante peregrinationes Hadrianus ſuſcepit. Alia ſubeunt.



Primum Numiſma deſcribit, & illuſtrat Rev. Harduinus: Et aliud in paucis diverſum protulit Cel. Patinus. Teleſphorus in eo viſitur, cui, etiam *Evemerio* dicto, Pergamenos ſacrificâſſe, Pauſanias tradit. Veſtem, quali indutus eſt, à capite ad calcem uſque revolutam, Martiali *Lingonicum Bardocucullum* vocari Cel. Patinus obſervat. *Cephalion* Prætor iterum fuit, cum Numiſma percuteretur. Hæc benè ſe habent, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed quæ ratio Teleſphori in Nummo Hadriani? Procul dubio, reſpondit DULODORUS, Hadriani ſalutem ſpectat, quòd vota pro ea ſe feciſſe, Pergameni teſtarentur: Vel etiam, quòd ſuorum Deorum beneficiô eam integram gratularentur. Secundum Numiſma Bithynorum Commune percuſſit, templum Hadriano dedicans. Antinoum Bithynum fuiſſe, quis neſcit? & Severum ab Hadriano miſſum Bithynorum Rempublicam correxiſſe, ex Dione docemur. Locus congruus eſt, interrupit ARCHÆOPHILUS, & ad Reſtitutionem Bithyniæ ſupra inſpectam apprimè facit: Quid autem in tertio Numiſmate ΦΛΑ. ΣΑΜ. ΜΥΤΡΟ ΚΟ[...] an Samos inſula, *Flavia* dicta eſt? Non Samos, inquit DULODORUS, ſ[...] Samoſata Metropolis Comagenes, patria Luciani. *Flavia* dicitur à Flavio Veſpaſiano, qui, Suetoniô teſte, Comagenem in provinciæ formam redegit. A[...] inquit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmate non Metropolin ſed Μητροκό[...] lego. Dividenda ſunt, regeſſit DULODORUS, quæ tu conjungis; N[...] enim Μητροκόμη legendum, ſed ΜΗΤΡΟπολις ΚΟΜαγηνῆς. Quartum Numiſ[...] Ægyptiacum eſt, anno 16. percuſſum, procul dubio ab Imperii initio numerando. Id ſtatuerem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, niſi Nummus apud Patinu[...] annum 22. præferret. Eum certè annum Hadrianus non attigit, utpote vigeſi[...] primô mortuus: Fortaſſis autem Nummus iſte non BK, ſed KA habuit. E[...] reſpondit DULODORUS, potius eos qui XX. tantùm annos Hadrianum vix[...] arbitrantur, errare putarem; Spartianus enim expreſsè: *Vixit*, inquit, *annis* [...]*ptuaginta duobus, menſibus quinque, diebus ſeptendecim; Imperavit annis vigi*[...] *unô, menſibus undecim.* Cæterum in Numiſmate Bos Apim, Ægyptiorum De[...] denotat, id quod ex globo inter cornua clariſſimè apparet, quaſi verò hujus

ri[...]

ribus totus Orbis ſuſtineretur, rerumque omnium abundantia proveniret, id quod in noſtro Nummo ſub Cornucopiæ ſignificatur, quod in Patiniano non viſitur. Hadriani Uxor fuit

SABINA.



Sabinæ Nummi, ab Amiſenis percuſſi, eò rariores ſunt, quò apertius & Æram exprimunt, à Libertate Amiſenis ab Auguſto conceſſa, deductam. Libertatis meminit Strabo, & videri poſſunt Per-Illuſt. SPANHEMIUS, & HARDUINUS. Harduinus, inquit ARCHÆOPHILUS, principium hujus Æræ in annum V.C. 722. refert, Vaillantius in annum 721. quibus ſi addas annos 165. primi, aut 167. ſecundi Numiſmatis, exurgent anni V.C. 887. vel 888. & 889. vel 890. qui incidunt in annum Hadriani 17. & 19. adeò ut vel hinc conſtet, Sabinam tunc adhuc in vivis fuiſſe. Et quis dubitat? inquit DULODORUS; An neſcis, Harduinum Nummum Sabinæ citare, ΑΜΙΣΟΥ ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΕΘΟΥΣ ΡΞΘ inſcriptum, adeòque anno V.C. 890. vel 891. ſignatum? De Mercurio potius quærendum; neque enim patet, quâ ratione in Numiſmate Sabinæ ſignatus ſit? Mercurius, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam in Antinoi Nummis viſitur. Forſitan & hîc ad eum reſpiciendum. Id non dixerim, reſpondit DULODORUS; Sabinæ enim, res offenſæ fuiſſet. Potius cùm eundem Mercurium etiam in Nummis Heracleæ apud Goltzium cernam, Deum hunc etiam in Ponto cultum, Sabinæque honori ideò dicatum crederem, quod vel itineris cujusdam ei dux futurus eſſet, vel etiam felicitatem Amiſenorum ejus ſervitio addiceret. Itineris dux! exclamat ARCHÆOPHILUS. Appoſitè; ſed ad effatum Horatii:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus. — —

Conſtat enim, jam tum Hadrianum ejus moribus offenſum, paucisque abhinc annis, non ſine veneni ſuſpicione eam mortuam eſſe: adeò ut Deam in ſecundo Numiſmate & ipſam, ad futuram Conſecrationem reſpicere, haud abs ratione forſan crederes. Vivæ, reſpondit DULODORUS, non Divæ pandimus honores. Ego potius Dianam ei Luciferam hoc in Nummo, ſolitâ ſub Imperatricibus adulatione, tribui arbitrer, ut ſcil. Sabinam Imperio Romano ſignificaretur eſſe, quod Diana Lucifera Cœlo. Tertium Numiſma, à Byzantiis percuſſum, ſub Sabina hactenus non apparuit, licet aliâs non obſcurum. Piſces, Pelamides eſſe, Cel. Patinus, ad Nummum Plotinæ, ex Strabone docuit. De Demetrio res

 mihi

mihi dubia videtur; apud Harduinum enim eundem video, cum adjectâ Æra ΓΟΣ 273. quæ Nummum, & proinde etiam Demetrium, in annum V. C. DCCCCLX. adeòque sub Severum rejicit. Quod respondeam non habeo, regessit ARCHÆOPHILUS, nisi vel duos Demetrios statuas, vel etiam Æræ literas Harduino non satis perspectas arbitreris. Nummus apud Goltzium exstat, respondit DULODORUS, & detritum fuisse, vel inde constat, quod non ΕΠΙ ΔΗΜΗΤΡΙΟΣ, ut legitur, sed ΕΠΙ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ legi debet. In nostro certè TO. B. non annum II. sed ITERUM significat, nec fortassis abs re, ex Demetrii nomine, utroque in Numismate expresso, ejusdem temporis etiam Goltzianum statuas. Quartum Numisma ob solam Lauream apponere visum est; Licet enim & Patinus coronatam Sabinam exponat, Laurea tamen obscurior est. Succedit

ÆLIUS.



Pannoniam vides, cui Ælius præfuit; Ita enim de eo Spartianus. *Statim*, inquit, *Prætor factus ac* PANNONIIS *Dux ac Rector impositus, mox Consul creatus.* Et iterum: *Nec Provinciæ quidem, cui præpositus erat, defuit; nam benè gestis rebus, vel potius feliciter, etsi non summi, medii tamen obtinuit Ducis famam.* De primo Numismate, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc abundè instruunt, in secundo SALUTEM video, quam procul dubio & speravit & invocavit. Constat enim, valetudinis adeò miseræ Eum fuisse, ut & Hadrianum adoptionis pœnituerit, & præmatura mors caducum parietem adhuc ante parentem everterit, pœnitendô exitu, cùm tertii Numismatis ad testimonium, concordi cum Hadriano Imperiô fuerit usus. At Imperio, respondit DULODORUS, nondum præfuit, sed firmatâ successionis spe, concordiâ filiali Hadrianum coluit, adeoque rerum abundantiâ potitus est. Appositè idem Spartianus: *Tantum*, inquit, *apud Hadrianum valuit, ut præter adoptionis affectum, quô ei videbatur adjunctus, solus omnia, quæ peteret, etiam per literas impetraret.* Æliô mortuô, in ejus locum adoptatus est

ANTO-

ANTONINUS PIUS.



Numiſma primum maximi moduli & rarisſimum eſt. Jovem Statorem eo exhiberi, & ex habitu docemur, & ex Numiſmate *ſecundo* aureo, in quo ſimilis ferè Jupiter STATORIS elogiô inſignitur. *Stator*, dictus eſt Jupiter, excepit ARCHÆOPHILUS, vel quòd fœdam exercitûs Romulei fugam ſtiterit, vel quòd ejus beneficiô omnia ſtent. Utram rationem in Numiſmate reſpicias, dubium non erit, Romanos Reipublicæ felicitatem providentiæ, & Jovis, & Antonini, adſcribere: indeque illud potius disquirendum videtur, an Cœleſtis Jupiter tantùm? an verò & Romanus, ſive ipſe Antoninus, ſub hoc ſimulacro lateat? Poſterius aſſerere videtur Inſcriptio Cos. III. quæ, ſi cum ſimulacro conjungenda ſit, ſenſus erit, Antoninum Pium, Conſulatu ſuô tertiô, Reipublicæ *Jovem Statorem* fuiſſe. Hunc ſenſum reſpondit DULODORUS, forſitan ut præferas, & Populi adulatio, & Imperatoris merita ſuadere poterunt; Reipublicæ enim, variis adverſitatum fluctibus agitatæ, mirificè proſpexit. Sed aliud ſuggerit Pietas, quæ ſub ara commodè præfigurata credi poteſt. Ara hæc non frigida eſt, ſed flammis incaluit. Cujus honori? Reſpondet adſtans ſimulacrum, quod proinde non Imperatori, ſed Jovi, Deorum ſummo, addicimus, cujus vel Statuam Imperator poſuiſſe, vel auxilium imploràſſe, tempore famis, terræ motuum, incendiorum, inundationis, quidni credatur? Tertium Numiſma Janum præfert. An & hîc, inquit ARCHÆOPHILUS, ob concors Imperium? Julio enim Capitolino teſte, *factus eſt Patri & in Imperio Pro-Conſulari, & in Tribunicia poteſtate collega.* Ratio non arridet, reſpondit DULODORUS; Numiſma enim Hadrianô jam mortuô percuſſum, ex Cos. III. noſcitur. Me judice, poteris ad Pacem referre, quæ & in aliis eâdem planè ſub inſcriptione radiat, niſi potiùs ex mente Per-Illuſtris CUPERI ad primordia Conſulatûs reſpicias, id quod hoc in Numiſmate ut facias, non video quid

quid prohibere possit. In quarto, quod *Colonia Laus Julia Corinthus* inscribitur, Faunus prodit, id quod ex Pelle & Pedo constat. De Faunis, infit ARCHÆOPHILUS, satis inter Gemmas dictum est, sed eum in Numismatibus Corinthiorum videre, insolitum planè videtur. At iidem, inquit DULODORUS, sub M. Aurelio etiam Pana pedibus caprinis signarunt. Numisma protulit Per-Illust. SPANHEMIUS ad Cæsares Juliani p. 50. Ratio, si non in Dei cultu, in honore certè Imperatoris constiterit; Imperator enim in Imperio idem est, quod in Divinitate Pan: Et ut Faunus Pastor, & Pastorum Deus creditur, ita & Antoninus, quod de Agamemnone Homerus ait, *Pastor Populorum*, imò & respectu ad Præsides aliosque minores, *Pastorum* quasi *Deus* fuit. Quintum Numisma & ipsum rarissimum, hinc Antoninum præfert, solô Cæsaris prænomine insignem. An inde, excepit ARCHÆOPHILUS, Numisma vivente adhuc Hadriano colligam esse percussum? Omninò, inquit DULODORUS, & id non tantùm adversa, sed etiam aversa suadet. Cererem video, subjecit ARCHÆOPHILUS, an quòd eôdem Capitolinô teste, Congiarium Militibus ac Populo de proprio dedit? Non dixerim, respondit DULODORUS, potius sub hoc Cereris simulacro Faustinam agnoverim, Antonini Uxorem, idque ideò, quòd non tantùm ΔΗΜΗΤ, *Ceres*, sed ΔΗΜΗΤ ΝΕΑ, *Ceres Nova*, inscribitur. Res eò credibilior est, quò clarius etiam in alio, CERES AUGUSTA dicitur. Sequentium



Primum Didrachmum, secundôque Consulatu Cæsareæ percussum, montem Argæum cum Statua Jovis præfert, eôdem ferè modò, quô & sub Hadriano vidimus. Secundum, cum Palladis capite, COL. Laus Julia CORinthus percussit, quæ & suprà allatum cum Fauno. Caput Palladis, inquit ARCHÆOPHILUS, procul dubio ad eam pertinet, quæ Bellerophonti Pegasum memoratur adduxisse. Rectè sentis, respondit DULODORUS, quanquam fortassis & hîc Faustina lateat. In Tertiô Numismate M. AURELIUS visitur, Antonini Pii per adoptionem &

nem & filius & successor. De eo, inquit ARCHÆOPHILUS, in sequentibus videbimus. In quarto, GENIUS SENATUS delectat. Ipse Imperator, excepit DULODORUS, eô præfiguratur. Hic enim verè Senatûs Genius fuit, Senatui, teste Capitolino, tantùm deferens, quantum, cùm privatus esset, deferri sibi ab alio Principe optavit. Ultimum Numisma, subjecit ARCHÆOPHILUS, Apollinem Augustum exhibet, an quòd templum ejus, ab Augusto conditum, Antoninus restituerit? Ita conjicit Cel. Vaillantius, regessit DULODORUS, ratione ut arbitror satis gravi. Sed alia subeunt.



In primo ITALIAM vides, globô insidentem, procul dubiô ob Imperium terræ, quod & sceptrô præfiguratur, uti rerum abundantia Cornucopiæ. Laudatus Vaillantius, inquit ARCHÆOPHILUS, globum stellatum agnoscit, refertque ad Faustinæ consecrationem, post quam Antoninus Italiæ multa ad educationem liberorum largitus legitur. In Numismate nostro, respondit DULODORUS, globus stellatus non est, stellatum tamen in aliis non nego, nam in Æreo magni moduli, Stellæ ad oculum patent, eas tamen, cùm quatuor tantùm sint, globoque quadrifariam secto inscriptæ, potius ad quatuor Mundi Regiones retulerim, quas Italia, providentiâ Principum suorum, imperiô pressit. In secundo Numismate est TIBERIS, solitô fluviorum more, cum urna & arundine decumbens. Arundo & urna, undarum abundantiam denotant, adjectaque insuper Navis, fluvii utilitatem exprimit, quòd navigabilis, mercibusque & annonæ vehendis aptus esset. Hæc patent, subjecit ARCHÆOPHILUS, sed non item, cur in Nummo Antonini Tiberis appareat? Fortassis, respondit DULODORUS, ob ejus inundationem: Fortassis ob instauratum Pontem Sublicium: Fortassis ob studium Piscationis. De omnibus testatur Capitolinus. In tertio Numismate BRITANNIA, & in quarto BRITANNICA victoria adumbratur. Britannia, excepit ARCHÆOPHILUS, & ipsa globo insidet. Insidet, reposuit DULODORUS, sed Mari suffulto, adeò ut vel hinc colligas, non alium, quàm

Britannicum designari: Insidens figura signum Legionare tenet, quale sub Trajano DACIA, scilicet ut agnoscas, Romanæ potentiæ eum subjacere, quamvis alioquin bellicosum, id quod ex clypeo & hastili patet. Rationem, cur sub Antonino Pio occurrat, pandit Victoria, de qua Capitolinus: *Britannos*, inquit, *per Lollium Urbicum Legatum vicit.* An ad eandem victoriam, perrexit ARCHÆOPHILUS, etiam Numisma quintum pertinet? Pertinet, inquit DULODORUS, nam IMPERATOR II. in eo dicitur, uti & in præcedentibus. Sextum Numisma REGEM QVADIS DATUM celebrat. Apud Capitolinum, inquit ARCHÆOPHILUS, non *Quadis*, sed *Ladis*, Regem dedisse memoratur. Scio, respondit DULODORUS, sed nihil ad Numisma, cum Pacorus is fuerit, procul dubiò ex Regum Parthorum familia: Et Ladi, aut, ut alii legunt, *Lazi*, populi Scytharum Colchici, uti Casaubonus ad eum notat. Quadi autem fuerunt populi ad Danubium Germanici, cum quibus postea & M. Aurelius bellum gessit. Sequentia



Interpretatione non egent. In primo visitur *Sus cum triginta capitum fœtu sub Ilice jacens*, qualis Æneæ finiti erroris præsagium fuit. In secundo, *Lupa Romulum & Remum lactans*, & in tertio *Ancilia*, Romani Imperii pignus, qualia jam suprà in Familiis vidimus. At volupe est, subjecit ARCHÆOPHILUS, antiquissima hæc priscorum temporum monumenta oculis denuò usurpare, nec opus de ratione sollicitum esse, quâ motus Antoninus, ea Numismatibus suis expresserit; Quid enim hoc mirum in Imperatore Romano? Præsertim eo, perrexit DULODORUS, qui & ipse in Nummis ROMULUS vocatur, quique non tantùm in novis exstruendis, sed etiam & Veteribus restituendis, operam suam locavit. Quartum Numisma TEMPLUM DIVI AUGUSTI RESTITUTUM memorat, egregiò monumentô; Hujus enim nisi Nummus exstaret, alibi mentio non esset. Quintum Numisma à Samosatenis percussum est. Inscriptio ita legitur, ΣΑ-

ΜΟΣ.

ΜΟΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΥΤΟΝΟ. ΜΗΤ. ΚΟΜ. *Samosata sacra, Asylum, suis legibus vivens, Metropolis Commagenes.* De ea, inquit ARCHÆOPHILUS, jam sub Hadriano vidimus. At sine Urbis typo, respondit DULODORUS. En! rupibus insidet, fluviô juxta emergente; De fluvio Stephanus docet: Σαμοσάτα πόλις Κομμαγηνῆς ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ. *Samosata Urbs Commagenes juxta Euphratem.* Sed



Liberalitates Antonini contemplari par est. *Octo* in Numismatibus prostare, Cel. Vaillantius ait; At nostrorum ultimum etiam *Nonam* memorat, & eandem etiam ex Numismate æreo recenset Illust. Mediobarbus. Hæc raritatem demonstrant, subjecit ARCHÆOPHILUS, & eam augeret continua numerorum series, si ea præstò foret. Sed *primam* video, video *quartam*, *quintam*, *septimam* & *nonam*. De quarta, excepit DULODORUS, quinta, septima, & Nona, numeri docent; at de *prima* ego dubitem, illam enim inter Imperii primordia celebravit, cum Consulatum primum gereret: in Numismate autem Consulatus III. signatus est, cum quo in Nummis Liberalitas *tertia* conjungitur, adeò ut tertiam hîc, quartam, quintam, septimam & nonam contemplemur, in *tertia* Antoninum Pium, & M. Aurelium Cæsarem agnoscentes. De *septima* observandum, diversis eam typis prostare. Observandum Tr. Pot. XVI. procusam, quanquam etiam apud Mediobarbum sub Tr. Pot. XVII. prostet. Similis diversitas est & in *Nona.* Illustrissimus Mediobarbus eam Trib. Pot. XXIII. signatam prodit, at in nostro Tr. Pot. XXIIII. ad oculum patet, adeò ut vel hinc planum sit, Numisma paulò ante mortem Antonini percussum esse. De Congiariis & Donativis testatur Capitolinus, quanquam numeros non distinguat. Sed nota sunt. Nos coronidis locô adhuc sequentia seligimus.



In primo, fulmen PROVIDENTIÆ DEORUM inſcribitur. Fulmen, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Providentiæ ſymbolum eſſe, tritum videtur. Sub Antonino Pio, inquit DULODORUS, ſubeſt ratio. Capitolinô enim teſte, *fulgur cœlô ſerenô ſine noxa in ejus domum venit*, id quod inter Imperii omina refertur. Secundum Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, Elephantum MUNIFICENTIA AUG. inſcriptum exhibet. Lucem, reſpondit DULODORUS, affundit idem Capitolinus. *Edtia munera*, inquit, *in quibus* ELEPHANTOS, *& Corocottas, & Strepſicerotas, Crocodilos etiam atque Hippopotamos, & omnia ex toto Orbe terrarum cum Tigridibus exhibuit. Centum etiam Leones unâ misſione edidit.* Hæc Capitolinus, qui tamen tempus non notat. Numiſma TRIB. POT. XII. præfert & Conſulatum IIII. quæ incidunt in annum Imperii duodecimum. Mirum non eſt, perrexit ARCHÆOPHILUS, ſi faventes Populi animos Optimus Princeps expertus eſt. Id VOTA arguunt, excepit DULODORUS, quæ ex Decennio in Decennium & *ſuſcepta* & *ſoluta* in Nummis ſignantur. In tertio ſunt PRIMI DECENNALES in Corona, quòd primum Imperii Decennium feliciter exegiſſet. In quarto, *vota ſoluta Decennii ſecundi*. In quinto, *vota ſuſcepta in Decennium III*; Sed ea mors intercepit, ita ut in locum ſolutionis anticipando, *Conſecratio* ſubierit, quæ ſexto in Numiſmate, cum egregio meritorum præmio, viſitur. Columnam video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, magnificum illud opus, quod hodiènum Romæ viſitur; Sed mirari ſubit, quâ ratione DIVO PIO inſcribatur, cùm tamen à M. Aurelio extructa ſit, ejusdemque bella contineat? Magis mirum eſt, inquit DULODORUS, in Numiſmatibus M. Aurelii Columnam hanc non occurrere. Sed nota eſt M. Aurelii continentia, nota Pietas, quâ parentem proſecutus eſt: indeque non miraberis, quòd honorem ſibi debitum, ſibi ademerit, Divique Parentis ſui gloriæ appoſuerit. Subit

FAUSTINA.



In primo Numiſmate radiat magnifica illa Concordia, quam & Celeb. Vaillantius publici juris fecit. Antoninus Pius ſiniſtrâ Concordiæ ſignum præfert, dextram Fauſtinæ porrigit, cum Sceptro Divinitatis adſtanti. Intra hos M. Aurelius & Fauſtina, gradu Parentibus inferiores, & ipſi dextras jungunt, idque ſuper Aram. Jure Concordiam præfert Antoninus, excepit ARCHÆOPHILUS; Is enim, niſi vitia Uxoris patienter tuliſſet, vix arbitror concors conjugium fuiſſet. Rectè ſentis, regeſſit DULODORUS, Capitolinus enim, *multa de ea dicta*, tradit, *ob nimiam libertatem, quæ Antoninus cum animi dolore compreſſit*, quanquam & mortuæ honoribus conſuluerit, de quibus & hoc Numiſma & ſequentia teſtantur. In hoc, inquit ARCHÆOPHILUS, equidem *Diva* vocatur; Quid autem Concordia in Divæ Nummo? Exemplum præbet, reſpondit DULODORUS, Neonuptis, M. Aurelio, & Fauſtinæ juniori; Percuſſum enim Numiſma videtur, cum Nuptias utriusque Pius celebraret. *Nuptias filiæ ſuæ Fauſtinæ*, inquit Capitolinus, *cùm M. Antonino eam conjungeret, usque ad donativum militum celeberrimas fecit.*

Hæc de Nuptiis, regeſſit ARCHÆOPHILUS; At ubi de tempore? ubi Fauſtinâ matre jam Divâ, eas celebratas fuiſſe? Sub M. Antonino, inquit DULODORUS, cùm dixiſſet Capitolinus: *Secundùm Conſulem* M. Aurelium Pius *deſignavit, quum Ipſe quartùm pariter iniret*, quod quarto poſt Fauſtinam mortuam anno factum eſt, ſubjicit: *Poſt hæc Fauſtinam* Aurelius *duxit Uxorem, & ſuſceptâ filiâ Trib. poteſtate donatus eſt.* Appoſitè; Tribuniciam poteſtatem enim annô V. C. 900. accepit, cùm anno 893. Fauſtina mater jam vitâ exceſſiſſet. Sed hæc clara ſunt. Sequentia Numiſmata Fauſtinæ Conſecrationem adumbrant: Secundum quidem Aquilâ animam ejus in cœlum portante: In ſequentibus tribus expreſsô templô, quale ejus honori exſtructum, ejusdem Capitolini ſuffragiô conſtat: *Tertiò* inquit de Pio locutus, *Imperii ſui annô Fauſtinam Uxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus & TEMPLO*, &c. Idem templum, inſit ARCHÆOPHILUS, eſt & in ſequentium



Ultimo. Eſt, excepit DULODORUS, & quidem cum Fauſtinæ nomine. Sed miror diverſitatem Statuarum; In hoc enim, & priorum tertiô, Statuas utrinque erectas video, in reliquis autem ſub globo, humeris impoſito, curvatas, qualiter Atlas & Hercules ſolent. Sed à primo ordimur. Veſtam exprimit, inſcriptam AUGUSTA, procul dubiô, quòd ipſi Fauſtinæ Veſtæ honores tribuerentur, prout in ſecundo *Veneris*, in aliis *Cereris*, & *Junonis Reginæ* obtinet. Veneris, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, meruit. An meruerit Veſtæ? dubitaverim. Non hoc diſquirimus, repoſuit DULODORUS; Honores enim, licet non meritos, ſufficit tamen ei delatos, id quod Capitolino teſte, non templô tantùm, ſed & Statuis aureis & argenteis factum eſt, in quibus procul dubiô Dearum inſignia prætulit. Tertium Numiſma ad concordiam pertinet, de qua ſuprà vidimus. Unicum adhuc ſubjicere placet,



Non quòd ei me ſatisfacere poſſe ſperem, ſed ut Peritiorum ſolertiam ſollicitem. Fauſtinam præfert, & effigie & inſcriptô nomine notiſſimam. Averſa vota exhibet, togatô ſacrificante, qualiter in Imperatoribus ſolent. Vota, excepit ARCHÆOPHILUS, utique in Numiſmatibus Fauſtinæ *publica* proſtant; Quid igitur mirum, ſi & hîc decennalia nuncupentur? Et ſanè ſi non de Fauſtina, ſaltem de Antonino Pio ea licebit interpretari; Quid enim, ſi per errorem Monetarii averſa Antonini, cum adverſa Fauſtinæ fuerit conjuncta? Id arbitrarer, reſpondit DULODORUS, ſi inſcriptio ſatis juſta foret. Probè eam inſpice! Circa caput Fauſtinæ non FAUSTINA AUGUSTA, ſed FAUSTINAI AUGUSTA P.M. legitur; Quid autem litera I. poſt vocem FAUSTINA? Quid literæ P.M. poſt AUGUSTA? Forſitan, perrexit ARCHÆOPHILUS, Ai antiquô loquendi genere pro AE ponitur; Forſitan etiam litera I. numeralis

eſt, ratione ad filiam habitâ. Forſitan P. M. *Piam Matrem* ſignificat. Conjecturæ hæ ſunt, ſubjecit DULODORUS, quas tamen admittere non poſſum; præter enim, quòd res inſolita foret, Inſcriptio averſæ potius errorem monetariorum arguit; Non enim vota DECENNAL, ſed VOTA VICEN DECENNAL leguntur, quod equidem forſan idem arbitraberis, quod Poſterioribus VOT. X. MULT. XX; Sed ordo obſtat, nec Antonini ævo vota Vicennalia & Tricennalia dicebantur, ſed DECENN. II. & DECENN. III. Ego potius ſecundam vocem apertè corruptam arbitrarer; SUSCEPT. enim legi deberet, id quod eò credibilius videtur, quò clarius litera ſecunda I. adhuc literæ S. veſtigia præfert: adeò ut, ſi literam S. præponas, & literam N. in PT. mutes, lectio benè ſe habitura eſſet. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an Numiſma antiquum eſt? Eſt, excepit DULODORUS, quanquam facilè ceſſerim, artificii genium cum reliquis non uſque quaque convenire. Sed piget his diutius immorari. Subit

M. AURELIUS.



Primum Numiſma, communicatum inter fratres Imperium innuit, expreſsô utriusque capite. In Græcia Numiſma percuſſum eſſe, ex inſcriptione patet, ſed Urbis nomen adjectum non eſt, adeòque nec noſtrum eſt, id definire. De communicato Imperio ſequentia Capitolini ſunt; *Fratrem*, inquit, de M. Aurelio locutus, *ſibi participem in Imperio deſignavit, quem* L. Aurelium Verum Commodum *appellavit, Cæſaremque & Auguſtum dixit: Atque ex eo pariter cœperunt Rempublicam regere, tuncque primum Romanum Imperium duos Auguſtos habere cœpit.* Eleganter hæc, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem Numiſma ſecundum? Smyrnæis, inquit Ille, id Theudianus Prætor percuſſit, M. Aurelio Urbis antiquitates commendans, ab Alexandro Magno oriundæ. Hiſtoria apud Pauſaniam eſt: *Urbis Smyrnæ, quæ nunc exſtat*, inquit, in Achaicis, *Condi-*

Conditor exstitit Alexander Philippi filius, per visum in quiete, ut id faceret, monitus. Venationibus enim intentum Alexandrum, in Pago monte, eô ipsô, quô erat ornatu, ad Nemesium fanum accessisse tradunt: Cum verò ad fontem sub Platano proximis aquis irrigua somnum caperet, obversatas in somnis Nemeses mandasse, ut eo in loco Urbem conderet, atque ut eò Smyrnæos deduceret. Platanum video, subjecit ARCHÆOPHILVS: Video Nemeses Dormienti adstantes: Video & Clypeum capiti suppositum, & cassidem, & pugionem. An hæc venantium arma fuerunt? Annon potius Smyrnam Amazonem hæc designabunt, quam & tunica talaris innuere videtur? Tunicam talarem, excepit DULODORVS, non video, sed Stragulum, qualibus in lecto, operimenti locô utimur. De clypej in venationibus usu, miror Te dubitare, cùm tamen in Numismatibus etiam Venatores Circensium eos præferant, uti videre est apud Panvinium. Sed de his alibi. In tertio Numismate ΖΕΥΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΣ ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ, *Jupiter Descensor Cyrrestarum*, dextrâ fulmen præfert, assidente ad pedes Aquilâ. Iidem Cyrrestenses, subjunxit ARCHÆOPHILUS, etiam Antonino Pio hunc typum, apud Illust. Patinum, dedicârunt. Imò & L. Vero, respondit DULODORUS, & Aliis, uti videri potest apud Rev. Harduinum, qui & plura de *Jove Catæbato* docebit. Ad M. Aurelium autem quadrat, quod Capitolinus de eo: *Fulmen de cœlo precibus suis, vel contra hostium machinamentum, extorsit*; quanquam id in Christianorum præjudicium. Quartum Numisma Marcianopoli percussum esse, ex inscriptionis reliquiis fortasse conjicias: Similis tamen Commodi Nummus apud eundem Harduinum exstat, non Marcianopoli, sed Adrianopoli sub Marciano prætore percussum. Victoria Bigis insistens, ad quam pertineat, an ad Parthicam? an ad Germanicam? dubium est: Nisi Germanicam vicinitas agnoscendam suadeat. Quintum ab Ephesiis percussum, etiam apud Patinum visitur. Ad venationes alludere, Celeberrimus Author arbitratur, quòd, Capitolino teste, amaverit pugillatum, luctamina & cursum aucupatus sit, pilâ luserit apprimè, & quod ad rem facit, *venatus* sit. Secundum hæc, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam superius Smyrnæorum ad venationes alludere crederem; Quid autem literæ PN? de iis enim Patinum tacere memini. Non tacet Harduinus, respondit DULODORUS; Is enim has literas numerales arbitratur, CL. significantes, à restitutione sub Tiberio. Incidit ea in Tiberii annum IV. V. C. DCCLXIX, quibus si addas CL. exsurgent DCCCCXIX, M. Aurelii, post Pii obitum, Sextus. Sextum Numisma annô decimô sextô signatum, Isidem exhibet, in Serpentis volumina desinentem. Isidem, inquit ARCHÆOPHILUS, ex flore & Sistro, imò etiam ex spica agnosco, cùm constet, eandem Ægyptiis fuisse, quæ Romanis *Ceres* vocabatur; Quid autem sibi vult, quòd turpiter atrum desinit in Serpentem? Serpens, regessit DULODORUS, Regiæ dignitatis apud Ægyptios symbolum fuit, vel Cel. Patinô observante; Quid igitur si *Isidem Reginam* hâc mixtione adumbrârint? Serpens est Genius Salutis, quid ergò si *Isis salutaris* hæc videatur? Utrôque cognomine apud Gruterum decoratur, & in Numismate non dubito, quin & Faustinæ honores lateant. Caput sanè, quod fœminæ est, eôdem capillorum nexu ornatur, quô & in aliis Faustina solet. In sequentium

Primo



Primo & ſecundo, Marci Aurelii juventus fulget, & pietate & fortitudine coruſca. Pietatem in fœmina ſacrificante, fortitudinem in ipſo Cæſare vides, adſtante à tergo tropæô. Pietatem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam in quinto ſub ſignis Pontificalibus contemplor, ſed quid in tertio & quarto Mercurius? Et ipſe Pietatis teſtis eſt, inquit DULODORUS. Relig. Aug. ſubſcribitur, idque ideò, quòd Mercurius Religionem inveniſſe credebatur, id quod patera protenſa indicat; Notandum enim, non crumenam eſſe, ut Occo: nec in templo figuram haſtatam videri, ut Illuſt. Mediobarbus arbitratur: ſed Mercurium, dextrâ pateram, ſiniſtrâ caduceum tenentem, qualis à Biæo delineatur. Ad quintum Numiſma, non pietatem tantùm, ſed & dignitatem contemplor, quâ in Collegia Sacerdotum jubente Senatu receptum, Capitolinus memorat. Ita & ad ſecundum forſan facit, quòd in Saliatu, corona ejus *Martis* capiti adaptata eſt, id quod Imperii omen fuit. Sed alia ſubeunt



In primo Pallas Noctuam prætendens, Principem Philosophum adumbrat; In secundo Victoria Parthica, & in tertio Germanica celebratur, quarum illam Verus, hanc ipse Aurelius reportavit. De Germanis sunt & spolia quinti Numismatis. In quarto est Victoria Augusti, quam & ipsam ad Parthicam vel Armeniacam spectare, ad quam & Numisma sextum & septimum, ex adjecta Trib. Pot. XIX. & XVIII. patet. Nota sunt verba Capitolini: *Gestæ sunt res in* ARMENIA *prospere per Statium Priscum, Artaxatis captis: delatumque* ARMENIACUM *nomen utrique Principum, quod Marcus per verecundiam primò recusavit, postea tamen recepit.* In sequentium



Primo RETITUTOR ITALIÆ audit, an quòd Italicis Civitatibus, famis tempore, frumentum ex Urbe donavit? An quòd cum fratre contra Marcomannos profectus,

ctus, omnia composuit, quæ ad munimen *Italiæ* & Illyrici pertinebant? Utrumque, subjecit ARCHÆOPHILUS, apud Capitolinum legimus. Mihi Consecratio placet, quæ secundo in Numismate quadrigis Elephantorum adumbratur, Statuam M. Aurelii, Thensâ sublimem, in Circum trahentium. Rarum est Numisma, respondit DULODORUS, ejusque ad illustrationem facit Dio: *Mortuus*, inquit, *tum aliis magnis honoribus afficitur, tum verò statuitur aureus in Capitolio*. Subit

FAUSTINA JUNIOR.



Numisma hoc, licet in *Thesauro Palatino* luculenter explicatum, tantæ tamen & elegantiæ & raritatis est, ut Operi præstantioribus destinato, dignissimum judicem, quod inferatur. Rarum est Augustæ Epitheton, quô NEA *Nova Augusta* audit: Rarum in Amastrianorum Nummis Venus, quæ in proposito eò conspectior videtur, quò jactantiùs pomum prætendit, clarissimum Divinæ venustatis indicium. Venustam Faustinam fuisse, inquit ARCHÆOPHILUS, nemo nostrûm ignorat: Et Venerem ejus honori appositam, & ipsum ex Nummis luculenter patet; Ad pomum autem non tantùm Victoria, in Paridis judicio, videtur adferenda, sed etiam Veneris meritum, quòd observante Cœl. Rhodigino, Malum Punicum in Cypro severit. In Numismate, respondit DULODORUS, Malum Punicum non est, sed venustatis index, quale Paris Veneri obtulit. Sed alia sequuntur.



In primo Numismate, inquit ARCHÆOPHILUS, *tres infantes* video: In secundo *quatuor*, & in tertio *sex:* Quæso DULODORE, an tot Faustina liberos habuit? Habuit, respondit ille, imò plures; *septem* enim ex solo Lampridio demonstravero: COMMODUM, ait *natum cum fratre* ANTONINO GEMINO. Et iterum:

Commodum cum fratre SEVERO (*Herodiano Veriſſimus dicitur*) *Cæſarem appellatum.* Ex his conſtat, tres maſculos fuiſſe, Antoninum enim Geminum, quadrimum mortuum eſſe, idem Author teſtatur. Ita & de filiabus: *Commodum*, ait, LUCILLAM *occidiſſe*, & alio loco: SORORES TRES *reliquiſſe ſuperſtites, ex quibus utique quatuor fœmellæ, & in univerſum Liberi ſeptem fuerint*, adeò ut non LUCILLAM, FADILLAM, & FAUSTINAM tantùm, ſed & VIBIAM AURELIAM SABINAM iis adnumerare liceat, cujus in Inſcriptione mentio eſt:

VIBIÆ AURELIÆ
SABINÆ
D. MARCI. AUG. F.
HELIODORUS. LIB.
ET PROC. P.V.

Acquieſco, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & tranſeo ad Numiſma quartum, ubi Fauſtina in bigis Equorum SIDERIBUS RECEPTA dicitur. Ad Conſecrationem typus pertinet, reſpondit DULODORUS; Bigæ Equorum, niſi æternitatis ſint, id quod velum adumbrat, Lunæ eſſe poſſunt, cujus vices Dianam in cœlo occupare, adulatio finxit. Id ex alio Numiſmate firmari poſſet, in quo Diana Lucifera, cum eadem inſcriptione, viſitur. Succedit

L. VERUS,



Capitolinô teſte, *decorus corpore, vultu gemmatus, barbâ propè Barbaricè demiſſâ, procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis:* Cujus in primo Numiſmate, notiſſima cum fratre Concordia: In ſecundo, Herculeæ virtutis ſublimitas? In tertio, & quarto, victoriæ de Armenis, & Parthis adumbrantur. In his, excepit ARCHÆOPHILUS, Veri honores agnoſco, an agnoverim & merita? Nullô modô, regeſſit DULODORUS; Ipſe enim, Capitolino teſte, *luxuriæ ſe dedit, Duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, & Avidius Caſſius, & Marcus Verus per quadriennium: Ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vindicarent, indeque ei partum eſt nomen* ARMENICI, PARTHICI, MEDICI. Nihil Herculei in his invenio, infit ARCHÆOPHILUS. Herculis, regeſſit DULODORUS, nihil habuit, præter libidinem. Quicquid autem ſit, in ſequentium

Primo,



Primo, Regem Armeniis se dedisse gloriatur, cui facto & historia assistit. Confecto bello, Regna eum Regibus regenda dedisse, Capitolinus memorat, & ex Photio observat Tristanus, Regem, Armenis à Vero datum, *Soæmum* appellatum esse, genere Arsacidam, filium Achæmenidæ, sed qui à Vologæso Regnô exactus, Romanorum imperatorum autem benignitate, Romanus Senator, & Consul factus fuerit, donec à Vero restitueretur. Secundum Numisma Veri felicitatem adumbrat, idque sub Navi Prætoria, secundis ventis navigante. Secundis ventis navigasse Verum, perrexit ARCHÆOPHILUS, facilè crediderо; Bella enim, ut modò demonstratum, Legati confecére: Rempublicam industriâ Marci fratris gubernavit: Ipse Verus utriusque fructum captando, an perdendo? voluptatibus indulsit. An hoc non sit, *feliciter navigare*? An eò pertineat typus, dubitem, respondit DULODORUS. Adjecta Trib. Potestas III. annum à Profectione in Armeniam alterum indicat: indeque facilè concludas, ad Navigationem, prosperô bellorum progressu felicitatam, Numisma pertinere, id quod & signô militari & vexillô adumbratur, quanquam & hîc luxuria concurrat; Capitolinô enim teste, *cùm Oriens vastaretur, ille apud Corinthum & Athenas inter symphonias & cantica* NAVIGABAT. Numismata tertium & quartum, excepit ARCHÆOPHILUS, Consecrationis testes sunt; In illo sub Rogo: In hoc, sub Quadrigis Elephantorum, Veri statuam, thensâ sublimem, trahentibus. De his suprà vidimus, regessit DULODORUS. De Consecratione Veri, sunt verba Capitolini in Marco: *Primum*, inquit, *corpus ejus Romam devectum est, & illatum Majorum sepulcris, divini honores decreti, deinde cum gratias ageret Senatus, quòd fratrem* CONSEGRASSET *Marcus* &c. Et jam ante: *Tantæ fuit sanctitatis Marcus, ut Veri vitia celaverit, mortuumque eum* DIVUM *appellaverit, sacrisque eum plurimis honoraverit. Flaminem, & Antoninianos Sodales, & omnes honores, qui Divis habentur, eidem dedicavit.* Uxor Veri fuit

LUCILLA,



Cujus rarissimum hoc Numisma, à Manno, qui se *Philo-Romæum* vocat, Arabiæ Regulo, percussum, Seguinus vulgavit, ejus Manni vel filium, vel nepotem arbitratus, quem Dione teste, Trajanus suspectum habuit, tum quòd vocatus ad Imperatorem non accessisset, tum quòd auxiliares copias Adiabenæ Regi Mebarsapi, Romanorum hosti, suppeditasset. Memini, inquit ARCHÆOPHILUS, & quidem ultra Euphratem ex adverso Commagenes, inter Osrhoënos, seu Edessam, & Armeniam majorem, eum imperitasse, dictumque Dioni *Manum*, in Nummo autem *Mannum*, nomine gentili, ut in plerisque Orientis Regibus. Procul dubiô igitur, perrexit DULODORUS, & rationem Cereris memineris, sive ipsam Lucillam ea adumbret, sive Regis promissa: Utrinque certè appositè, cùm Dione teste, *L. Verus, dimissô contra Vologæsum Avidio Cassio, Antiochiæ cum Lucilla substiterit, licet reverâ, ut otio & genio indulgeret, eô tamen in speciem fine, ut Exercitui* COMMEATUM *compararet.* Res clara est, subjecit ARCHÆOPHILUS. In sequentibus



Video VOTA PUBLICA in Corona; An autem ea Laurea sit, an Myrtea, dubitem. Si Myrteam arbitreris, respondit DULODORUS, Veneri sacram agnosces, referesque ad Lucillæ amores, & nuptias. Si Lauream, præmium erit victoriarum, *Armeniacæ* & *Parthicæ*. Et quidni Laurea sit, testante hanc & foliorum latitudine, & loco, ubi Lucilla cum Vero substitit? Antiochiâ scilicet, cujus suburbium a *Lauru* nomen traxit, & ubi Laurum sacram fuisse, supra docui. Secundum Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, Venerem exhibet, & quidem sedentem, & dextrâ Cupidines in volatum emittentem. Sedens, inquit DULODORUS, quietem adumbrare poterit, quâ Antiochiæ genio Lucilla indulsit, amoris-

amorisque miniſtros in Maritum emiſit. Non fruſtrà id fecit. Junonis Lucinæ, quæ in tertio Numiſmate viſitur, auxiliô non ſemel opus habuit. Fœcunditas in tertio duos infantes oſtentat: In quarto tres viſuntur. An tres liberos Lucilla habuit? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Habuit, reſpondit DULODORUS, idque Numiſmatum teſtimoniô. Ex Hiſtoricis enim non niſi duos monſtraveris, filium & filiam. Filiam apud Xiphilinum, Pompejanus Propinquus duxiſſe memoratur: Et Pompejanum, Lucillæ ex Pompejano, poſt Verum marito, filium, à Caracalla occiſum, Capitolinus author eſt. Sed

COMMODUS



Prodit, & in primo Numiſmate ΑΓΩΝ ΙΕΡΟΣ, *Sacrum Certamen*, apud Nicæenſes in honorem Commodi actum, idque ſub figura Hieronicæ ſibi coronam imponentis, ſiniſtrâque Palmam præferentis. Hieronicæ? repoſuit ARCHÆOPHILUS; At ego ipſius Dei *Agonis* hanc figuram crediderim, cui Statuam poſitam, ex Pauſania diſcimus. Alia Agonis Dei figura fuit, reſpondit DULODORUS. Halteres dicitur portaſſe, quod in propoſito non fit; Halteres enim Athletarum Libramenta erant, circuli oblongiore figurâ, uti eidem Pauſaniæ deſcribuntur. Secundum Numiſma Pergami percuſſum eſt, ſub Prætore Pollione. Æſculapius notiſſimum Pergamenorum Numen, procul dubiô pro ſalute Commodi vigilat. Tertium Beryti, ſubjecit ARCHÆOPHILUS;
De

De hoc, regessit DULODORUS, sub Salonina dicetur. Adjectas ad templi latera literas, *Securitatem Augusti* interpretaberis, uti enim Pergameni, pro salute, ita Berytenses pro securitate Augusti videntur solliciti fuisse.

Non sinè ratione, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid enim Imperator & Venere & luxu percitus aliud, quàm morbos? Quid crudelitate omnibus invisus aliud, quàm insidias exspectare poterat? Si huc respexissent, excepit DULODORUS, & Pergameni & Berytenses, vix arbitror Numismata percussissent. Potius est, ut sanitatem recuperatam, insidiasque evitatas his monumentis glorientur, suorumque Numinum custodiæ rem acceptam innuant ferendam. Quartum Numisma, infit ARCHÆOPHILUS, Coloniam L. Annii Commodi, sub Colono boves agente, exprimit; Quænam autem ea fuerit, obscurum est. Roma fuit, respondit DULODORUS; Ita enim Xiphilinus: *Romam ipsam*, inquit, Commodianam, *immortalem, fortunatam* Coloniam, *Orbem terrarum appellavit; volebat enim omninò Urbem, suam Coloniam videri.* Capitolinus etiam rem ad Senatum delatam, & ab eo libenter acceptam, licet per irrisionem, memorat, quod ad S.C. in Nummo expressum apprimè facit: Notat, ipsum etiam Commodum *Herculem & Deum* appellatum, quod Nummum sextum, septimum & octavum explicat, quibus addi potest & egregius Athenæi locus: *Quid mirum*, inquit, *si Commodus Imperator apud nos in curru appositam habuit clavam Herculeam, substratâ ipsi Leonis pelle, &* Herculem *se vocari voluit*? Hæc sanè cùm Senatus approbaverit, jam patet, in sequentium



Primo, sub Senatus Pietate, ejusdem adulationem latere, quâ Commodo etiam in talibus se morigerum præbuit. Nihil hoc mirum, perrexit ARCHÆOPHILUS, cum in secundo & Securitas Orbis: In tertio felicitas perpetua, in quarto generis humani salus jactetur, cùm tamen sub crudelissimo juxta, & perditissimo, Imperatore dicam, an Tyranno? nihil horum ne sperari quidem potuerit. Eadem ratio, inquit DULODORUS, etiam eorum est, in quibus Deorum honores prostant,

Quasi



Quaſi verò Commodus, egregius eorum Cultor fuerit, cùm tamen is ipſe, liberô poſt mortem Senatûs judiciô, ut *Patriæ hoſtis* & *Parricida*, ita & *hoſtis Deorum* & *Senatûs Carnifex* fuerit appellatus. In Numiſmate primo, excepit ARCHÆOPHILUS, video Jovem Optimum Maximum: In ſecundo, Jovem exsuperantissimum: In tertio, Jovem salutis defensorem: In quarto, Jovem juvenem: In quinto, Apollinem Monetæ: In ſexto, Apollinem Palatinum: In ſeptimo, Serapidem Conservatorem: & in Octavo, Serapidem & Isidem Imperatori, à Victoria coronato, ſuper ara dextram porrigentes. An hæc omnia expreſſerit Deorum hoſtis? Quidni? reſpondit DULODORUS, Annon etiam impii pietatis umbram affectare ſolent? Taceo, non omnia pietatem præferre, ſed quædam etiam Commodi veſaniam. Quid enim? Annon ſub primi Jove *Optumo Maximo*, ſub ſecundi *exſuperantisſimo*, ſub quarti *juvene*, ſub quinti *Apolline Monetali*, ſub ſexti *Apolline Palatino*, ipſe Commodus latere poteſt? Vix Serapis eum excludit. In reliquis valere arbitror, quod appoſitè ad ſecundum Dio prodidit, *Commodum* ſcil. exsuperantem *ſe appellaſſe, quaſi omnes homines longè in rebus omnibus ſuperaret*. De cultu Iſidis ſunt ſequentia Spartiani in Peſcennio: *Peſcennium*, inquit, *in Commodianis Hortis, in porticu curva, pictum de Muſivo, inter Commodi amiciſſimos vidimus, ſacra* Isidis *ferentem, quibus Commodus adeò deditus fuit, ut & caput raderet, & Anubim portaret, & omnes partes expleret.* Sed alia ſuccedunt.



In primo, Fides Exercituum: In ſecundo, Concordia militum radiat. Illa ſub Imperatore Signiferos alloquente, Hæc ſub Dea, utrinque ſignum militare tenente. Hujus typus etiam in aliis proſtat, at illius, raritate non exiguâ ſe commendat. In tertio, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Tropæum, & in quarto ſtruem armorum, utrumque de Germanis video. Eòdem, regeſſit DULODORUS, pertinet & Victoria quinti & ſexti: Eòdem & Quadrigæ Triumphales ſeptimi; Id enim ex adjecta Trib. Poteſt. VI. collegeris. Germanos Commodus ſe deviciſſe jactat, quòd patrem ad bellum Germanicum comitatus, eôque mortuô triumphans Romam regreſſus eſſet, *Germanici* cognomen jam ante cum patre adeptus. Etiam hæc in ſpeciem, repoſuit ARCHÆOPHILUS; Conſtat enim, Pacem à Germanis eum pecuniâ redemiſſe. Quicquid ſit, inquit DULODORUS, victoriarum fama, Reipublicæ extorſit & Vota & Lætitiam.

Vota



Vota, in propofitorum *primo*, Victoria clypeo infcribit, & quidem Decennalia. Eadem fufcipit in *fecundo*, & folvit in *tertio*, Togatus facrificans. Vota, excepit ARCHÆOPHILVS, in Nummis novi nihil funt: Novi nihil eft & Confecratio, fed fub Commodo tamen raritatem inducunt vitia, quibus motus Senatus, tantùm abeft ut Commodum confecraverit, ut potius ejus memoriam abolendam cenfuerit. Non fub Commodo, refpondit DULODORUS, fed fub Severo Consecratio percuffa eft; Ita enim de eo Capitolinus: *Commodum inter Divos referendum cenfuit, quafi hoc genere fe de Senatu poffet ulcifci.* Commodi Uxor fuit

CRISPINA.



Numifma primum aram Dis Genitalibus facram exhibet. Deorum Genitalium, fubjecit ARCHÆOPHILUS, meminiffe Aufonium, Cel. Vaillantius obfervat: Ita ille in Perioch. L. IV.

> *Jupiter in terra cum* Dis Genitalibus, *una*
> *Concilium cogit Superûm de rebus Achivis.*

Rectè hæc, regeffit DULODORUS, & fi plura defideres, adi Triftanum. Citat is etiam Ennium Annal. L. I.

> *Romulus in cœlo cum*
> Dis Genitalibus *ævum*
> *Degat.* — —

Deos Genitales video, perrexit ARCHÆOPHILUS: Quinam autem ii fuerint, non video. Idem Triftanus rem edocet, inquit DULODORUS. *Jovem*

vem Genethlium adducit, ex Dione Chryſoſt. Orat. VII. & *Matrem Deorum, Divam Genitalem*, & *animarum procreatricem* dictam, apud Julianum Orat. V. Ita & *Venerem Genetricem* ex Nummis, & *Apollinem* γενέτωρα, uti in ara: & *Genetivum*, uti in Catone vocatur, ut alios taceam, de quibus Author videri meretur, aram Criſpinæ ideò ſignatam exiſtimans, quòd aram ea erexiſſet, Diisque Genitalibus, pro obtinendis liberis, ſacra feciſſet. In ſecundo Nummo DIANA LUCIFERA radiat, non alio ſenſu, quàm quòd ipſa Criſpina Deæ honores affectaret. Succedit

P. HELVIUS PERTINAX.



Primum Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, PROVIDENTIAM DEORUM adumbrat, quâ Pertinax, dum mortem exſpectat, Orbis Imperium, etiam invitus, accepit. Ad JANUM CONSERVATOREM forſitan illud facit, quod Xiphilinus de Juliano narrat, *Eum, cùm in Curiam veniſſet,* JANO, *qui erat ante fores, ſacrificâſſe*; inde enim collegeris, idem feciſſe & alios novos Imperatores. Non hoc tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & illud juxta notari meretur, quod Herodianus memorat, *cædem Commodi Pertinacisque ſucceſſionem* ANNO INEUNTE *accidiſſe, quem diem Romani feſtum agunt, ad* JANUM, *vetuſtiſſimum Italiæ Deum, referentes, eſſeque bicipitem imaginem, ut à quo incipiat, & in quem deſinat annus.* Idem Author etiam ad tertium Numiſma ſatisfacit: *Quum fama*, inquit, *vulgavit, quæ Pertinax vel in Senatu dixiſſet, vel ad Populum ſcripſiſſet,* ὑπερήδοντο πάντες, LÆTITIA *omnes diffluebant, ſperantes ſerium ſe, & clementem Principem, parentemque adeò magis quàm Imperatorem, habituros.* Et reverâ habuiſſent, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi militaris furor lætitiam intercepiſſet. In ſequentium

Primo



Primo Æquitatem video. Æquitatem, regessit DULODORUS, demonstrant facta, quibus, Capitolino teste, *æs alienum & stipendia retrò debita exsolvit:* Et teste Dione, *etiam eos, qui contra jus fasque interfecti fuerunt, ignominiæ notâ liberavit.* Ad secundum Numisma, ex eodem Capitolino memineris, ANNONÆ *Pertinacem consultissimè providisse:* Memineris ex eodem Dione, *eum etiam in mare descendisse, ut* REI FRUMENTARIÆ *provideret.* Laudatissimum hoc Imperatoris meritum fuit, infit ARCHÆOPHILUS, & tamen in Nummo non sibi, sed OPI DIVINÆ id adscribit. Probè scil. intelligebat, inquit DULODORUS, non humanas, sed Divinas vires annonæ proventum suppeditare. Cereris eas habitu adumbrabant Gentiles, quam ea de causa sedentem, & spicas præferentem, intueris. In tertio Numismate, subjecit ARCHÆOPHILUS, sunt VOTA DECENNALIA. Sunt, excepit DULODORUS, quanquam vix decem septimanas rata fuerint. Receptus est votorum Decennalium mos in Numismatibus; In Pertinace autem, raritatem Imperii brevitas inducit. Successit

JULIANUS.



Imperium à Parricida exercitu pecuniarum ostentatione mercatus. FORTUNÆ hîc Orbis Imperium acceptum refert, procul dubiò, quòd fortunæ bonis id sibi parâsset. Fragilis est fortunæ favor, excepit ARCHÆOPHILUS, idque suô damnô Julianus didicit. Fragilis est, regessit DULODORUS, cultores autem suos, ultra humanæ conditionis modum, inflare solet. Pertinax imperio, quod Diis acceptum referebat, adeò sobriè usus erat, ut nec Uxorem *Augustam*,

nec filium *Cæsarem* appellaret; At Julianus non Uxorem tantùm, sed & filiam *Augustarum* honore dignatus est. Filia fuit

DIDIA CLARA,



Quæ in Numismate HILARITATEM TEMPORUM jactat, minore meritô, quàm Pertinax LÆTITIAM. Hilaritatem, excepit ARCHÆOPHILUS, ferè ubique Palmam & Cornucopiæ præferre video: Quæ rei ratio? Palmam, respondit DULODORUS, victoriæ symbolum esse, ex qua Hilaritas & rerum abundantia procedit, vulgò creditur; In Imperatricibus autem non tam victoriam, quàm fœcunditatem denotare, Tristanus ad Nummum Hadriani observat, ex Libanio, Artemidoro, Aliisque. Hunc si sequaris, Didia Clara, vel ipsa Hilaritas temporum videbitur, quòd filia Imperatoris erat: vel etiam fœcunditate suâ hilaritatem temporum promittere; Repentino enim Patrueli nuper nupserat. Sed fragiles hominum fortunas! Dum hi lætantur,

PESCENNIUS NIGER



In Oriente surrexit, BONA SPES Populo Romano, sed ultrà quam progressus non est. Vota fuére, & SALUS & BONUS EVENTUS; à Severo enim à rerum culmine post Julianum dejectus, neque salvus permansit, neque bono eventu potitus est. Bonus eventus, inquit ARCHÆOPHILUS, inter Deos Agricolarum Consentes recensebatur, ideoque Spicam, & Papaver, & Canistrum, frugibus plenum, gestare solet, ob amplam scil. messem, Boni Eventûs Dei auspiciis collectam.

Ita

Ita Cel. Vaillantius, reſpondit DULODORUS, qui & Sacra ei Deo, Peſcennii juſſu, facta arbitratur. Fortaſſe tamen etiam ad Eventum rerum Civilium rem referre licebit, cùm & harum felicitas rerum abundantiam tribuere ſoleat. Niger ſanè, cum P. R. ſtudia intellexiſſet, Herodiano teſte, *omnia ſibi ex animi ſententia jactavit ſucceſſura.* Et quidni? cùm vel Oraculo teſte, *Optimus fuerit*, nequicquam contra ſentiente Victore.

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peſſimus Albus,

Reſpondit Apollo Delphicus, teſte Spartiano: Et *Juſti* cognomen eum obtinuiſſe, etiam Numiſmata hodiénum teſtantur. At, excepit ARCHÆOPHILUS, an Juſtitiam re ipsâ coluit? Coluit, regeſſit DULODORUS; Ita enim de eo Spartianus: *Nunquam ſub eo miles Provinciali lignum, oleum, operam extorſit. Ipſe à milite nihil accepit. Quum tribunatus ageret, nihil accipi paſſus eſt.* Et paulò poſt: *Addidit Conſiliariis ſalaria, ne eos gravarent, quibus aſſidebant, dicens:* JUDICEM NEC DARE DEBERE, NEC ACCIPERE. Sancta juſtitia! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Utinam hodienum tam tenaces Tui cultores produceres!


Subriſit DULODORUS, & Tune, inquit, cum Peſcennio omnem Juſtitiæ praxin evanuiſſe arbitraris? Arbitror, perrexit ARCHÆOPHILUS; Poſtquam enim Legum multitudo, & obſcuritas, Jus ſtrictum Æquitati oppoſuit, utique ambulatoria eſt Cauſarum deciſio, & vel ex induſtria & fide Advocatorum, vel ex favore Judicis dependet, ut plurimùm ſequentis id, quod Clienti ſuo profuturum exiſtimat: ſi Æquitas, tunc Æquitatis ratio extollitur: ſi Jus ſtrictum, tunc hujus regula potior eſt, Æquitate nequicquam pro ſe pugnante. Accedunt Negotiorum Circumſtantiæ, ex quibus eas admittere & urgere ſolent Judices, quas ſibi favere intelligunt: Ad reliquas, licet majoris momenti, & vel decies repetitas, vel ſurdiſſimis ſurdiores ſunt. Accedunt Proceſſuum Formulæ, quas niſi quis ad unguem calleat, & ſanctiſſimè obſervet, facilè causâ vel juſtiſſimâ cadit: Adeò ut Juſtitia hodiè murus aheneus quidem ſit, ſed intra quem malitioſi deliteſcere, innocuosque bonis ſuis exuere, etiam jure, poſſint, uti latius apud Alexandrum ab Alexandro in genialib. diebus videre eſt.


Bona verba, quæſo! inquit DULODORUS. Noſtra ſanè in Republica ejusmodi labes non obtinet. Novit ELECTOR noſter, *Juſtitiæ & Æquitatis cuſtodiam, præcipuum Principis munus eſſe*, id quod ex ejus ſymbolo, SUUM CUIQUE, abundè patet: Novit, quod Juſtinianus ait, *Majeſtatem non tantùm armis decoratam, ſed & Legibus oportere eſſe armatam*, ideòque non tantùm Juris Scita publicè propoſuit, ſed & Cauſis dijudicandis Viros prudentiſſimos juxta, & ſanctiſſimos præpoſuit. Integra Collegia ſunt, quæ Veſtalium inſtar, cœleſte hoc Rerum publicarum Palladium, JUSTITIAM inquam, indefeſsô zelô, & incorruptâ integritate, & ſervant & adminiſtrant. Non partium donis, ſed Salariis à Principe ſtatutis aluntur; Sed quid ego hæc invidiosâ forſan oratione perſequor? Abi ARCHÆOPHILE, & rem ipſam intuere! DICASTERIUM ELECTORALE etiam nunc patet, facilisque eſt aditus quibuscunque.

Senſit

Sensit ARCHÆOPHILUS, nimis audacter de Justitiæ abusu se pronunciasse, ideòque, magnum, inquit, innocentiæ argumentum est, quòd publicè Causæ ventilentur. Ibo, & si rem offendero, ut dicis, eò majore felicitate AQVILÆ BRANDENBURGICÆ Subditos feram: Eò majore præconió, & MARCHICUM ELECTOREM, & MINISTROS EJUS, Justitiæ sanctioris columnas, deprædicabo. Dixit, & dilatis in crastinum Antiquitatum Thesauris, à DULODORO digressus est.







T quondam Æmathii Proles generosa Philippi
Judicis argento non expugnabile pectus,
Et clarum innocuâ Sapientum voce Tribunal
Obstupuit; Ita ARCHÆOPHILUS, visô DICASTERII ELECTORALIS BRANDENBURGICI laudatisſimo Conſeſſu, auditisque coram Cauſarum & Actionibus & Deciſionibus, ad DULODORUM reverſus: Muto ſententiam, exclamavit, & quam terris exulare JUSTITIAM credidi, in Regia Electorali Brandenburgica Solium ſuum firmâſſe, candidiore tubâ impoſterum deprædicabo. Deus bone! quàm numeroſi Prudentisſimorum Virorum ordines! quàm Illuſtres & integritate & ſapientiâ! quàm faciles acceſſu! quâm attenti in cognoſcendo! quàm cauti in dijudicando! Nihil hîc partium favori, nihil ſpei aut metui datum. Ubi Advocatorum fervor, pro & contra, Cauſas ventilaſſet, exceptas earum circumſtantias ad æqui juſtique normam SANCTIOR CONFESSUS expendit, eâque ſententiâ definivit, quam rei momenta expréſſere. An alibi aliter? quæſivit DULODORUS. Haud raro, reſpondit ARCHÆOPHILUS; Quis enim Judicum hodie non partium patronum agit? Quid autem Tu hoc quæris? Quin potius edoces, unde tanta felicitatis veſtræ proceſſerint fulcra? Cujus providentiâ tam ſalutare Collegium ſurrexerit? Quis ejus Præſes? Qui Aſſeſſores? Longum foret, excepit DULODORUS, ſi omnia pertexere vellem. Ex PRÆSIDE diſces Univerſos. Illuſtrem RUDIGERUM CHRISTIANUM à WEDEL, incorruptæ juſtitiæ tenacitas, civilisque Prudentiæ decus clariſſimum commendant. Hic ille eſt, qui hoc tempore ſanctiſſimum Themidis Collegium dirigit; quamquam quid dico *dirigit?* cum nulla directione opus ſit, ubi quilibet ASSESSORUM pari cum Præſide zelo, pari prudentiâ, pari integritate coruſcat. Duo Horum ordines ſunt, alter *Nobilium*, alter *Doctorum*; ſed nec doctos nobilitas, nec Nobiles doctrina deſtituit. Omnes incorruptæ veritatis deſiderium: omnes puriſſima vitæ innocentia commendat. Quod equidem haud mireris; Prudentiſſimo enim PRINCIPIS NOSTRI conſilio ex numeroſiſſimo & Nobilium & Eruditorum agmine lecti ſunt, Regiisque ſtipendiis ab omni corruptela arcentur: Et ne ullus injuſtitiæ locus relinquatur, patet ab his Appellatio & ad *extera Juris Conſultorum collegia*, & ad ipſum *Electorale Solium*. Noli

Tibi imaginari, tranſitoriè hinc cauſas remitti. Imò acerrimâ juſtitiæ limâ volvuntur, recognoſcente eô, cujus ſublimis prudentia quoscunque æqui juſtique tramites fulgore plusquam Phœbæo irradiat. Illuſtriſſ. JOH. FRIDERICUM à RHETZ. dico, quem ut rariſſimæ Eruditionis jubar Sanctiori Miniſtrorum Electoralium Conſeſſui intulit, ita ex omnibus unum ſelegit Majeſtas Principis, cujus fide & ſolertiâ Juſtitiæ apices & ſolvantur & claudantur. Magna Jovis BRANDENBURGICI merita ſunt, excepit ARCHÆOPHILUS; ſed tales Viros quòd Juſtitiæ præpoſuerit, neſcio annon vel gloriosiſsima adæquet. Sapientiam ſanè Principis Providentiſſimi hoc arguit, quam millenis vocibus extollent, non præſens tantùm Ætas, ſed & ſera Poſteritas. Nos eâ devotè adoratâ, ſi ita Tibi videtur, ad Gazam noſtram Antiquariam redibimus. Annuit Ille, & recluſis Numiſmatum repoſitoriis, Peſcennium, inquit, in quo heri ſubſtitimus,

SEVERUS



Evertit. Evertit & Albinum, excepit ARCHÆOPHILUS, quidni & hunc Severo præponis, ut Antiquarii communiter? Sive præponam, reſpondit DULODORUS, ſive poſtponam, res eôdem cadit. Rationes tamen, cur poſtponendum cenſeam, aperiam, ubi de Severo & Julia fuerit actum. Nunc ad rem. Nummum Severi argenteum, cujus in aversâ Imperator Eques hoſtem proſternit, rarum eſſe, norunt Antiquitatis periti. In propoſitorum *primo*, idem typus, in Numiſmate & Græco & moduli magni, præſtantiſſimus eſſet, ſi vetuſtas nomen Urbis nobis reliqvum feciſſet. Hanc, excepit ARCHÆOPHILUS, Nummus integrior fortaſſis deteget; interim tamen Severi virtutem bellicam hîc contemplari licebit, quâ Æmilianum devicit, Peſcennium Nigrum & Clodium Albinum proſtravit. Imò potius, reſpondit DULODORUS, quâ Parthorum Regem pepulit. At de Albino, perrexit ARCHÆOPHILUS, hiſtoria potior eſt; Ita enim Spartianus: *Equum*, inquit, *ipſe reſidens, ſupra cadaver Albini egit, expaveſcentemque admonuit, ut effrenatus audacter protereret.* Id in Galliis actum, regeſſit DULODORUS, & Græcô Numiſmate celebratum fuiſſe, credibile non eſt. Adde, quòd in Nummo non cadaver viſitur, ſed hoſtis vivens adhuc. Et quid multa? Eadem figura Equeſtris, qualis hîc viſitur, in Nummo Romano TR. P. XVIII. præfert, annum, quô Severus, victis jam dudum Parthis adhuc in Britannia hoſtes proterebat. Quanquam nec Britannos Græco Numiſmate arbitror tangi, ſed omninò Parthos, idque ſecundum Numiſma aliud, quod & ipſum
in

in Cimelio Electorali, eundem typum præferens, PARTH. MAX. & VIRTUS AUG. inscribitur. *Secundum* Numisma Aquilam exhibet, inter Signa militaria, arâ subnixam, Severoque Lauream porrigentem. Eandem victoriam Parthicam, hanc concernere, adscriptum Urbis nomen evincit. ANCYRAM legis, Metropolim Galatiæ, quæ Regio Orientis fuit, Phrygiæ contermina.

At alia etiam Phrygiæ Ancyra fuit, inquit ARCHÆOPHILUS. Si Stephanum audis, respondit DULODORUS, erit eadem: Si Strabonem, diversa quidem, sed non Metropolis; Πολίχνη enim, sive *Oppidulum* vocatur. Integritas Numismatis, subjecit ARCHÆOPHILUS, mirè me afficit. Imò & raritas, excepit DULODORUS, hactenus enim, apud Authores id memorari, non memini, In *tertio* Numismate, Hercules & Bacchus, *Dii* Severi *Auspices* vocantur. An Imperii? quæsivit ARCHÆOPHILUS. Fortassis, respondit DULODORUS, Numisma enim, II. Imperii annô percussum esse, ex TR.P.II. & COS.II. intelligas, quanquam juxtà nec reliquum tempus excluseris, cùm contrà Pescennium & Regem Parthorum profecturo, Hercules Tyrannorum Domitor, & Bacchus Orientis Victor, *Dii* ritè *Auspices* credantur: Ita & Sæcularia, horum Deorum sub tutela, Eum peregisse, Numismatum fide constet. Dubium, infit ARCHÆOPHILUS videtur, annon sub Hercule Severus, sub Baccho Caracalla lateat? Quorundam ea opinio est, inquit DULODORUS, cùm autem Severus *Herculi & Baccho templum exstruxisse*, Dioni memoretur, potiùs ad Deos respexeris. Pietatem sanè etiam *quartum* Numisma testari poterit, quô Severus cum filiis, Caracalla & Geta, Pontificali habitu ad aram sacrificat. Ad finem Imperii Numisma pertinet, subjunxit ARCHÆOPHILUS, id enim ex Trib. Pot. XVIII. constat, quæ tantùm non ultima fuit. In Britannia tunc Severus hærebat, jam morti proximus, quomodo igitur Numisma ex S.C. percussum? Quasi ibi tantùm, respondit DULODORUS, percussa fuissent, ubi Imperator morabatur. Imò Romæ etiam, & in Provinciis, absentium honores vulgatos, ex historia abundè patet. Sic inter sequentia



Numiſma *ultimum* Metropolis Cæſarea, eôdem annô *decimô octavô*, Severi gloriæ percuſſit, licet is in Britannia moraretur. Idem niſi fallor, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Cel. Vaillantium eſt, ſed annô *decimô quarto & decimo quinto* ſignatum: Et apud Nob. de Wilde, annô *ſecundô* percuſſum, ubique cum impoſito monti Aſtro: Quô nomine, aut quô ſenſu? Mons reſpondit DULODORUS, Argæus eſt, mons Cappadociæ, indeque conſtat, Nummum ad Cæſaream Cappadociæ, & non ad Syriacam pertinere. Montem dedicavit, quem pro Deo colebant, non minus ac Solem, uti latius deduxit Laudatus de Wilde; Quid igitur, ſi dicas, Dei ſui honores Severo Cæſarienſes detuliſſe, quòd iisdem ab eo beneficiis bearentur, quibus à Monte, quibus à Sole? Sed ad *primum* Numiſma regredimur. Severi filios, Caracallam & Getam, ÆTERNITATEM IMPERII inſcribit, non aliâ ratione, quàm quòd horum ſucceſſione Imperium, quod hactenus ambulatorium fuerat, familiæ Septimiæ perpetuum vel voveretur, vel ſperaretur. *Secundum* Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, Patrem & filios equitantes exhibet, cum inſcr. VIRTUS AUGUSTORUM, an quod equitandi artem callerent? Imò potius, inquit DULODORUS, quòd ſimul ad bellum proficiſcerentur; Conſtat enim, ubique ferè filiis ſuis comitatum Severum ad bellicas expeditiones perrexiſſe. *Tertium* Numiſma RESTITUTOREM URBIS vocat. Id meritum Spartiani verba illuſtrant: *Sunt*, inquit, *per plurimas Civitates opera ejus inſignia. Magnum verò illud in Civitate ejus, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, inſtauravit, nusquam prope ſuô nomine adſcriptô, ſervatis tamen ubique titulis Conditorum.* Hæc de Roma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid autem de Carthagine, quam *quartum* Numiſma celebrat? Idem Author docebit, reſpondit DULODORUS: *Carthaginenſibus*, inquit, *plurima indulſit.* Factum autem id, non Severi tantùm, ſed & Caracallæ nomine, ex inſcriptione AVGG. patet. Dea Leoni cum fulmine & ſceptro inſidens, Afrorum Cœleſtis eſt, cujus Peplô Afri Celſum ornâſſe, Trebellio Pollioni memorantur. Adhuc alia prodeunt.



In *primo*, ÆTERNITAS IMPERII, non Caracallæ & Getæ, ſed Severi & Caracallæ capitibus inſcriptum eſt, qualiter ſub Julia viſitur. In ſecundo Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, pulcherrimus Severi Arcus eſt. Is *adhuc Romæ* exſtat, inquit DULODORUS, *ad radices montis Capitolini in Foro, erectus* TR. POT. XI. *cùm* IMPERATOR eſſet XI. & Cos. III. *ob Parthos, Arabas & Adiabenos devictos, annô V. C. 956*, ut Cel. Vaillantius loquitur, qui duodecies Romam profe-

profectus, eum ad ſatietatem contemplatus eſt. Tertium Numiſma Lætitia Temporum inſcriptum, unicô Dionis locô illuſtratur: *Tum,* inquit, *edita ſunt varia quoque ſpectacula, propter reditum Severi, & decennium Principatûs ejus, ac Victorias, in quibus ſpectaculis Apri ſexaginta Plautiani invicem certârunt, cæſæque ſunt aliæ permultæ beſtiæ, atque imprimis Elephas & Crocota. Earum receptaculum in Amphitheatro ædificatum erat, inſtar* Navis, *ita ut reciperet quadringentas feras, easdemque ſimul omnes redderet; Qua ex* Navi, *ſubitò diſſoluta, exſilierunt Urſi, Leænæ, Pantheræ, Leones, Struthiones, Onagri, Biſontes. Itaque ſeptingentæ, feræ manſuetæque, beſtiæ ſimul concurrére, & poſtea confodi viſæ ſunt; occiſis enim ſingulis diebus centum, pro numero dierum feſtorum, qui ſeptem fuerunt, ſeptingentæ ſunt occiſæ.* Egregiè hæc Nummum explicant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in eo enim non *Navim* tantùm, ſed & *Feras* cernimus. Imò & *quadrigas*, inquit DULODORUS, ut in Circo rem peractam intelligas. *Quartum* Numiſma præter Statuam Severi Equeſtrem, Inſcriptionem exhibet, ſub Trajano vulgarem, ſub Severo autem ſingularis & elegantiæ & raritatis. Adhuc alia video,



Regeſſit ARCHÆOPHILUS. Legiones exhibentur, reſpondit DULODORUS, in Familiis vulgares, at ſub Imperatoribus raræ. Adde cognomina, in *primo* Numiſmate, V. Macedonicæ: in *ſecundo*, XI. Claudiæ, an Claudianæ? qualiter & in Inſcriptionibus apud Gruterum vocantur. Quid mirum, Imperatorem Martium Legiones jactare, cùm in *tertio* & *quarto* jactet & Virtutem ſuam & Victoriam? Illam, quâ Parthos proſtravit, id quod ex cognomine patet: Hanc, quòd Britannos per Duces devicit, id quod actum eſt, cùm expresſam in Numiſmate Tr. Pot. XV. obtineret. In ſequentibus prodit



ADVENTUS AUGG. & ADVENTUS AUG. FELICISSIMUS, quo poſt Nigrum, & Parthos devictos, in Urbem rediit. Annon etiam ob primum adventum, excepit ARCHÆOPHILUS, Numiſmata percuſſa ſunt? Hactenus, inquit DULODORUS, non apparuére. Ad reditum poſt Nigrum & Parthos devictos hæc Numiſmata pertinere, ex numero honoris IMP. VIII. colligas. *Tertium*, Severi Patriam celebrat, AFRICAM, ſolitâ Elephanti proboſcide, ſolito Leone inſignem. Severum Afrum natione, quis neſcit? Ejus uxor fuit

JULIA DOMNA.



Primum Pergami percuſſum eſt, *Prætore Julio Anthimo*, quô tempore *tertiùm Pergameni Neocori* fuére. Hujus Numiſmatis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor meminit Rev. Harduinus, ex Cimelio Regis Gallorum depromti. Ita eſt, reſpondit DULODORUS, ſed depictum, neſcio, an hactenus prodierit. Æſculapium & Hygeiam Pergamenis cultos, nemo neſcit, cùmque Dii ſalutiferi hi ſint, dubium non videtur, quin vota pro Juliæ ſalute iis adumbrentur. *Secundum* Numiſma Corcyræi percuſsére, Pegaſum Juliæ dedicantes. Pegaſum, infit ARCHÆOPHILUS, ad Corcyræorum originem à Corintho pertinere, in confeſſo eſt; Quid autem hoc ad Juliam? Non aliud, regeſſit DULODORUS, quàm

quàm ut ab antiquitatis gloria se Corcyræi commendarent. Idem & Corinthus videtur intendisse, nam & ipsa Pegasum in Numismate Juliæ expressit, apud Cel. Vaillantium *T.2.Col.p.27.* *Tertium* Numisma Cappadociæ METROPOLIS CÆSAREA procudit, quæ & Severo montem Argæum cum Sole dedicavit. Duo Numismata Cæsareæ, Juliæ honori percussa, apud Patinum in Thesauro, inquit ARCHÆOPHILUS, vidi, ut taceam ea, quæ Cel. Vaillantius memorat; Sed propositum, ut quod res est fatear, nec vidi, nec alibi legi. Venerem videtur exhibere cum Pomo & Hastili, qualem suprà ad Faustinam Juniorem exhibuisti. Rectè judicas, inquit DULODORUS, indeque nihil, nisi Augustæ venustas sub Venere hac laudari videtur; Pomum enim, venustatis victoriam innuit. *Quartum* Numisma aversam Severo debitam exhibet; neque enim Augustæ, vel Pontifices Maximi fuére, vel Tribuniciam Potestatem, aut Consulatum gessére, ut taceam Libertatis typum, qui nec ipse hactenus, nisi in Mammææ Nummo visus est. Errore Monetariorum ejusmodi Numismata procusa esse, judicat communis Peritiorum consensus, indeque nec operæ pretium arbitror, iis immorari. In sequentium



Primo, est ÆTERNITAS IMPERII, cum capitibus Severi & Caracallæ, qualem sub Severo vidimus. *Secundum* & *tertium* ambitiosâ titulorum serie turgent; MATER dicitur Julia, non AUGUSTORUM tantùm, sed & SENATUS, & PATRIÆ. Non sufficit arrogantia: In *quarto* Nummo etiam MATER CASTRORUM audit. Cachinnis hæc excepit ARCHÆOPHILUS, &, Tune, inquit, hæc Juliæ decora arbitraris? At mihi & cum moribus convenire, & nihil nisi dedecus adumbrare videntur. Quæ se *Matrem Senatûs* & *Castrorum* vocat, procul dubio non Augustum tantùm admisit, sed & Populo prostituta fuit: Et quis de Julia dubitatet, cùm *famosam adulteriis fuisse*, vel Spartianus testetur? Dedecora, respondit DULODORUS, in Numismatibus non quæsieris, indeque & MATREM in titulis non de *naturali*, sed de *honorariâ* interpretaberis. Ita Julia Augusti, MATER PATRIÆ dicebatur, teste Dione: Ita Commodus, quanquam ridiculè, PATER SENATUS. MATRIS CASTRORUM appellatione jam Faustina dicta est, uti & MATER MAGNA; Sed ecce! In sequentibus

Eadem



Eadem nostra Julia dicitur MATER, non AUGUSTORUM tantùm, sed & DEUM, vehiturque, in *primo*, quadrigâ Leonum: in *secundo*, sedet inter Leones: in *tertio*, columnâ fulcitur, & tympanum prætendit, gradiente ad pedes Leone: ubiq; habitu Cybeles Deæ, cujus honores cùm recepit, & merita implesse, videri voluit. Merita? perrexit ARCHÆOPHILUS; At illa quæ fuére? FOECUNDITAS, regessit DULODORUS, quæ *quarto* in Numismate adumbratur. Nosti ARCHÆOPHILE, Cybelen arcano sensu Terram esse: Et Terram cernis in hoc, uti in prioribus Cybelen. Terra per quatuor anni tempora, fœcunditatis semina ad maturitatem usque propellit: Et quatuor illa tempora, quatuor Infantulis, globum circumeuntibus, adumbrantur, uti rerum maturitas sub Palmite, Terram procumbentem incumbrante. Ita Julia non *Augustorum* tantùm, Caracallæ & Getæ, *primo* in Numismate: Non *Deûm* tantùm in iisdem, numero Deorum post mortem accessuris; sed etiam *Senatûs*, & *Patriæ*, & *Castrorum* in superioribus, & omnium denique, tota in rerum universitate crescentium, se Matrem jactavit, non quòd omnia procrearet ipsa, sed quòd suæ benignitatis influxu recrearentur & Senatus, & Patria, & Castra, & omnia. Idonea hæc Juliæ apologia est, regessit ARCHÆOPHILUS, quam eò facilius admitto, quò purius elogium in sequentibus



Ei conciliat *Vesta*, & *sancta*, & *Mater*. Vestam, respondit DULODORUS, ideò in Nummis Juliæ expressam, Cel. Vaillantius arbitratur, quòd templum Vestæ, sub

ſtæ, ſub Commodo conflagratum, Juliæ munificentiâ fuerit reſtauratum. Ratio ſatis congrua eſt, quanquam quid prohibet, ut Te monente ſub Veſta hac etiam ipſam Juliam intelligamus? Quæ Cybeles imagine fœcunditatis gloriam affectavit, quid mirum, ſi imagine Veſtæ affectaverit gloriam ſanctitatis? Sanctitatis ſanè apicem poſt mortem credita eſt attigiſſe, cum ab Elagabalo, id quod ultimo Nummo docemur, conſecrata eſt. Ab Elagabalo? excepit ARCHÆOPHILUS; At quis rei Author? Ratio, inquit DULODORUS. Filiis illa ſuperſtes fuit: Sub Macrino quidem obiit, ſed ob inimicitias, quòd Regnum affectantem Antiochia expulit, vix eſt, ut ſub eodem conſecratam aſſerere poſſis; Eſt autem ſub Elagabalo, qui Caracallæ filius videri voluit, cujusque Avia, Juliæ Soror fuit. De Pavone nihil eſt, quod adjiciam. Junoniam avem fuiſſe, & Auguſtarum animas in cœlum deferre creditam, aſſerentibus id Nummis, neminem latere poteſt. DULODORUS his ita deductis, ad Severi filios, Caracallam & Getam, tranſiturus erat; At ARCHÆOPHILUS, annon, inquit,

ALBINUS



Hîc locum ſibi vindicat? Si ritè, non gravaberis rationes præmittere, quas ſuprà pollicitus es. Præmitto, reſpondit DULODORUS, & quidem, cur ego eum huc rejiciam, non alia eſt, quàm fortuita, quæ ſuprà incidit, Juſtitiæ contemplatio. Eâ enim factum eſt, ut caput ſuperius cum Peſcennio claudere, & novum ordiri neceſſe haberemus: Indecorum autem videbatur, Imperatorem eum in capitis primordio ponere, qui infelicitate ſuâ gloriam Auguſtalem adeò non tuitus eſt, ut in hiſtoria Tyranno propior videatur. Magis certè ex Imperii dignitate erat, Severum in fronte cernere, cujus virtus Romanæ Majeſtatis gloriam reſtituit, geſtorumque ſublimitate, imò & temporis prærogativâ ſibi primas vindicavit. Temporis prærogativâ? excepit ARCHÆOPHILUS; At Julius Capitolinus, Uno eodemque tempore, inquit, *poſt Pertinacem, qui auctore Albino interemtus eſt, Julianus à Senatu Romæ, Septimius Severus ab Exercitu in Illyrico, Peſcennius Niger in Oriente, Clodius Albinus in Gallia Imperatores appellati ſunt.* Julius Capitolinus, regeſſit DULODORUS, in ſequentibus ſe ipſum explicat, *Clodium Albinum Severi Cæſarem fuiſſe*, non Herodiani tantùm authoritate, ſed & ipsâ Albini Oratione demonſtrans, quâ declaraverit, *Severi* Augusti *voluntate ſe recepiſſe Cæſareanum nomen.* Fuit ergo Severus jam Auguſtus, antequam Albinus *Cæſar* diceretur, adeoque jure, illô

præpoſitô hic ſubſequitur. Sed ad Numiſmata. Albinus Cæſareum nomen in his præfert, quod jam ante, deferente Commodo, repudiârat. *Cæſar* dicitur, inquit ARCHÆOPHILUS, & tamen in averſa primi, Providentia Auguſti exprimitur: an quòd Severi Providentiam Albinus extolleret? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, ipſe enim in allegata Oratione Severum, *hominem optimum* & *Virum fortem* appellat, aitque, *ſe credere, ſub eo Rempublicam benè poſſe regi*. In ſecundo, Romæ Æternæ gratulatur, procul dubio, quòd ejus quies Virorum fortium virtute foret duratura. Certè voluntatem Senatûs majorem circa Clodium Albinum vidit, & indignatus eſt Severus, quod utique cauſa fuit, ut & Albinus *Romæ æternitati* aſſurgeret. De his ego non dubitem, repoſuit ARCHÆOPHILUS, quid autem eſt, cur COS. II. vel Minervam Paciferam, vel etiam Æſculapium ſignavit? Æſculapium, inquit DULODORUS, ad vota pro Salute retulerim: Minervam Paciferam ad Pacis, & arte & Marte reducendæ, fiduciam. Et bellis & ſcientiis præeſt Minerva, & Albinus non Martiâ tantùm virtute præſtitit, ſed & literis; Nam & Georgica ſcripſit, & ſecundum nonnullos etiam Mileſias. Cautus ſanè fuit, utpote qui melliſſimas Severi inſidias detexerit. In ſequentibus,



Albinus non amplius *Cæſar*, ſed *Auguſtus* cognominatur, apertô indiciô, Numiſmata percuſſa eſſe, cùm aſſumtâ TR. P. Severo ſe non amplius inferiorem ferret, ſed æmulâ virtute de Imperii poſſeſſione decertaturus prodiret. Salus primi Numiſmatis, inquit ARCHÆOPHILUS, procul dubio cum Æſculapio, præcedentis tabulæ coincidit. Quid autem eſt *ſpes*? quid *felicitas* & *Victoria*? cùm tamen conſtet, à Severo victum, vitam cum Imperio amiſiſſe? Spem, reſpondit DULODORUS, quibuscunque in rebus, licet etiam infauſtis, & eventu proſpero carituris fovemus, eaque ſufflatur, ſi primordia feliciter affulgeant. De felicibus Albini primordiis Julii Capitolini teſtimonium proſtat: *Primò*, inquit, *conflictu habitô contra Duces Severi potior fuit. Poſt etiam contra Severum pugnavit, non ſine varietate fortunæ*. Sed fragilis fuit ſpes, inanis felicitas, infida victoria. Eventus rerum ſummam Severo detulit, cujus filius natu major

ANTO-

ANTONINUS



Fuit. Primum Numiſma maximi moduli, & mole conſpicuum eſt, & raritate. *Pythia Alexandria* exhibet, Ludos, & Apollini, & Alexandro M. conſecratos, de quibus videri poteſt Per-Illuſt. SPANHEMIUS in Epiſtola aurea, Andreæ Morelli, Antiquarii conſummatiſſimi, Specimini inſerta. Alexandriam, excepit ARCHÆOPHILUS, Ortelius Thraciæ Urbem fecit. Perperam, reſpondit DULODORUS. Refutatur etiam ab Harduino, qui & ipſe pro ludis ſentit, quos à Communi Thracum Philippopoli celebratos, ex Numiſmatis inſcriptione diſcimus. Quid hoc ad Antoninum? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Multum, regeſſit DULODORUS; Non enim Deo tantùm & Heroi, ſed etiam advenienti Imperatori ea dedicârunt Philippopolitani, idque veſaniæ ejus velificantes, quòd Alexandri gloriam, licet præpoſterâ viâ, affectaret. Elegans locus eſt apud Herodianum. *Ubi milites,* inquit, *ad Danubium ordinavit, & in Thraciam Macedonibus conterminam diſceſſit, continuo* ALTER ALEXANDER *evaſit. Nam & memoriam Regis ejus omnibus modis renovavit, Statuis imaginibusque nullâ non Urbe poni juſſis, Romamque ipſam, Capitoliumque, & templa univerſa referſit Alexandri ſimulacris. Vidimus item imagines nonnullas ridiculè depictas, quæ unô corpore duas facies præferrent,* ALEXANDRI *&* ANTONINI. *Ipſe prodibat habitu Macedonico, Cauſiam geſtans & Crepidas, ac lectiſſimam Juvenum manum in Exercitu Phalangem Macedonicam appellabat, juſſis Ducibus nomina ſibi Ducum Alexandri imponere.* Hæccine non ad rem? Faciunt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quanquam Numiſmati non ſatisfaciant, quid enim Apollo, quem coram Tripode cum patera cerno, ſiniſtrâ geſtat? An plectrum id arbitrer? Plectrum tantæ molis non erat, inquit DULODORUS. Mihi fulmen videtur, figuraque non Apollo, ſed ipſe Antoninus videtur, quem fulmen geſtare quid mirum, cùm & Leonem cum fulmine in Nummis expreſſerit. *Secundum*

Numiſma ex Cimelio Regio laudat & explicat Harduinus. *Chryſanthina* celebrat, Ludos à Sardianis ſub Demetrio Rufo, iterum Pontifice primô, in Caracallæ honorem celebrata; ita enim legenda inſcriptio: ἘΠΙ ΔΗμητρίου ΡΟΥΦΟΥ ΑΡΧΙΕρέως Α. ΤΟ. Β. ΧΡΥΣΑΝΘΙΝΑ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Chryſanthina* vocantur, quòd ex floribus aureis coronæ, ſive ſerta, Victoribus præmii locô darentur. Meminit eorum Martianus JC. L. 24. Dig. de Annuis Legatis, & OX. Marmor. pag. 71. & Gruterus p. CCCXIV, quæ loca, ne quid de deliciis noſtris meritiſſimo detraham, apud Harduinum citata proſtant.

Elegantiſſimum eſt Numiſma, perrexit ARCHÆOPHILUS, & vel hoc nomine memorandum; Sed quid in tertio? an Pallas Byzantiorum fuit? Fuit? reſpondit DULODORUS, & eorundem etiam origines demonſtrat. *Atticorum Coloniam* vocat Ammianus Marcellinus Lib. XXII. Et licet Juſtinus L. IX, à Pauſania Lacedæmoniorum Rege conditam, & per 71. annos poſſeſſam memoret, addit tamen, *deinde variante fortunâ, nunc Lacedæmoniorum, nunc* ATHENIENSIUM *juris habitam.* Ita & Thucydides refert, *Pauſaniam cum ſociis* ATHENIENSIBUS, *occupatum à Perſis Byzantium expugnaſſe.* Agnoſco Palladis rationem, infit ARCHÆOPHILUS, de Imperatoris autem meritò adhuc disquirendum, niſi Urbis adulatio monumentum procuderit. In reliquis, inquit DULODORUS, forſitan adulationem attuleris; ſed in Byzantiis meritum locum fecit. Ita enim Spartianus de Caracalla; BYZANTIIS *interventu ſuô jura vetuſta reſtituit, quibus iratus fuit Severus, quòd Nigrum juverant.* Quartum & quintum Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, à Smyrnenſibus, ut video, percuſſa ſunt; Quartum niſi fallor etiam apud Patinum eſt. Eſt, reſpondit DULODORUS, ſed cum inſcriptione mutilâ; In noſtro enim legitur, ΕΠΙ ΣΤΡ. Κ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. Β. Ν. Rufinus hic Smyrnenſium non Prætor tantùm, ſed & Sophiſta fuit, agitque de eo Per-Illuſtris noſter SPANHEMIUS in Diſſertatione de Veſta & Prytanibus Græcorum, Seguini ſelectis Inſerta p. 339. ſeq. adductis, qui ejus meminére, Smyrnæorum nummis; Imò & ulterius aget in eadem Diatriba à ſe aucta, & ultrajectum ad Celeberrimum Grævium, qui eam petiit, miſsâ.

Smyrnæis, ſubjecit ARCHÆOHILUS, Nemeſes in honore fuiſſe, ſuprà audivimus, quid autem Jupiter? *Acræus* eſt, regeſſit DULODORUS, de quo inter Numiſmata Græcorum docui. Cùm Smyrnæi Caracallam, contra Parthos progredientem, honorare vellent, quô ſchemate id potuére concinnius, quàm Jovis ſui, Victoriolam Principi porrigentis? Verum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS; Nemeſes enim inquinato cædibus, & fraterno ſanguine madenti, non felicitatem, ſed vindictam nunciaſſent. Nemeſis, reſpondit DULODORUS, à Caracallæ Nummis, Smyrnæ percuſſis, non abeſt. Rever. Harduinus eam citat, cum Iſide & Æſculapio ſtantem, eâdem cum inſcriptione, quâ & propoſitorum quintum eſt. ΕΠ. ΣΤΡ. Μ. ΑΥΡ. ΓΕΜΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ. Ex inſcriptione, perrexit ARCHÆOPHILUS, patet, non tam honori Principis, quàm memoriæ fœderis illum Nummum eſſe dicatum, quanquam Nemeſis nec Imperatori defuerit, maturè ſatis ejus ſcelera ulciſcens. Quod ad propoſitum attinet, ejusdem fœderis teſtem agnoſco Smyrnam Amazonem ex Pelta & bipenni: Agnoſco Genium Urbis maritimæ ex corona turrita, & navis roſtro, cui inſiſtit: Imò & ipſam Pergamenorum clientelam ex Æſculapio, quem dextrâ præfert. Ritè hoc, inquit DULODORUS, nec quicquam addendum cenſeo. Sequentium

Primum



Primum apud Triſtanum T. II. jam traditum, etiam in Cimelio Regio eſſe, Rev. Harduini aſſertum eſt. ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ inſcribitur, exhibetque Deum Lunum. Juliopolis, regeſſit ARCHÆOPHILUS, ſi Plinium audis, in Bithynia fuit. Et Deum Lunum, inquit DULODORUS, in Bithynia, non minus ac aliis Orientis Regionibus, Galatia, Piſidia, Caria, Syria, cultum, Numiſmatum fide conſtat. Sed quid Deus Lunus ad Caracallam? interrogavit ARCHÆOPHILUS; Ei in honore fuit, reſpondit DULODORUS, Spartiano enim teſte, *cùm iterum bellum Parthis vellet inferre, atque hibernare Edeſſæ, inde Carras* LUNI DEI *gratiâ venit*. Inde ſanè credibile eſt, Dei Luni præſidio etiam Juliopolitas Imperatorem commendaſſe: Niſi potius, ex ſolito adulationis genio, ſub Deo hoc ipſum Caracallam agnoſcas. Illud notandum, in capite Dei, non Lunam, ut apud Vaillantium, ſed Calathum conſpici. Calathum video, excepit ARCHÆOPHILUS, & niſi fallor etiam facies aliquid ex Caracalla trahit. Sed quid ſecundum Numiſma, quod ΣΕΡΔΙΚΗΣ ΟΥΛΠΙΑΣ inſcribitur, figuramque cum ſceptro togatam exhibet? Serdica ſive Sardica, regeſſit DULODORUS, Urbs Thraciæ mediterraneæ fuit. Cognomen ΟΥΛΠΙΑΣ à Trajano accepit. In Nummis Patinianis, eidem Caracallæ dicatis, exhibet vel Æſculapium, vel Deum, an Imperatorem? ſedentem. Imperatorem in ſuo agnoſcit Rev. Harduinus, in noſtro figura ſtans, quin Serapidis ſit, nihil dubitem aſſerere; Licet enim calathum injuria temporis abſtulerit, idem tamen Serapidis, haſtam tranſverſam tenentis, dextramque elevantis, habitus eſt in Nummis Antonini Pii, Trajani Decii, & Poſtumorum. De Serapidis cultu, vicinæ Mæſiæ Numiſmata teſtantur, & ne fruſtrà dextram attollat, lauream Caracallæ porrigit, in Parthos profecturo, tanquam favore ſuô Victoriam ſponderet, quæ tamen fraude poſtea obtenta eſt. Tertium Numiſma nec Patino, nec Harduino vulgatum, Pruſaënſium eſt, exhibetque templum, Caracallæ honori dedicatum; minore meritô quàm Tarſus, Metropolis Ciliciæ, quæ quarto in Numiſmate duo templa, alterum Severi, alterum Caracallæ, offert.

Unde hoc colligi poteſt? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Ex adjectis Epithetis ΣΕΥΗΡΑΣ & ΑΝΤΩΝΙΝΙΑΝΗΣ. SEVERA dicitur à Severo: ANTONINIANA ab Antonino, quæ nomina, ut & *Hadrianæ*, & *Alexandrinæ*, à totidem Imperatoribus, quorum beneficiô vel reſtaurata, vel ornata fuit, in Numiſmatibus Tarſo dari, jam dudum obſervavit Per-Illuſt. SPANHEMIUS, qui omninò videri meretur in Tertia ad Celeberrimum Morellium Epiſtola, ubi rem luculenter, ut

ſolet, & profundè illuſtrat. At, an Tarſi, excepit ARCHÆOPHILUS, fuerunt aut Severus aut Antoninus? Fuerunt, reſpondit DULODORUS; Severus enim, cùm Taurum ſuperâſſet, Nigrumque ad Iſſum, fatali hoſtibus prælio, invaderet, Ciliciam legitur intrâſſe, Ciliciæ autem Metropolis, ut & in Numiſmate literis M. K. vocatur, Tarſus fuit, quam, credibile eſt, Imperatorem ſibi infeſtum, ſpeciosâ lætitiæ teſſerâ deliniviſſe, veteremque culpam, quâ Nigri partes foverat, ſimul diluiſſe; Sed non Severus tantùm, imò & Caracalla eò penetravit. De hoc enim Herodianus ait; *Decedens Ilio, Aſiaque & Bithynia, Gentibusque reliquis pertranſitis, atque ubique rebus compoſitis, devenit Antiochiam.* Si ubique res compoſuit, certè etiam Tarſi, nam & ipſa inter Ilium & Antiochiam interjacet. Sequentium



Secundum, annô Imperatoris 17. à Cappadociæ Metropoli CÆSAREA percuſſum eſt. Mons in plerisque Argæus, qualis in Nummo Severi fuit; Sed in propoſito Victoria eſt, procul dubio, quòd victoriam advenienti Imperatori vel gratularentur, vel voverent. Si gratulati ſunt, Germanicam intelligas neceſſe eſt, quam ante biennium retulerat: ſi voverunt, involvitur & Parthica, quæ ſecuta eſt. Ego utramque reſpicerem, inquit ARCHÆOPHILUS. At ego, reſpondit DULODORUS, Parthicam potiùs. Si Germanicæ monumentum deſideres, eſt in Numiſmate tertio, id quod ex *Germanici* cognomine intelligis, uti non minus etiam ex COS. IIII. quem eô annô geſſit; Sed hæc Patre jam dudum mortuô, imò & fratre occisô. In primo Numiſmate, Juventas Imperii in ipſo Imperatore effulget, non otioſo, ſed victorioſo. Victoria repoſuit ARCHÆOPHILUS, procul dubio ad Britannicam pertinet, contra quos ipſum cum Exercitu miſſum, Herodianus teſtatur. At ego, excepit DULODORUS, potius ad Parthicam reſpexerim, ad quam cum patre profectus eſt; juvenilior enim ætas, rem ad principia deducit, & tunc ſanè, *cùm hactenus conſenuiſſet*, ut cum Floro loquar, *Imperium denuò movit lacertos, & quaſi reddita* JUVENTUTE *reviruit.* Adhuc alia propono.

Primum



rimum RECTORI ORBIS inſcribitur. Numiſma, licet Cel. Vaillantio teſte ræclarum, minimè tamen obſcurum eſt; At ſecundum, perrexit ARCHÆO-HILUS, obſcurum eſt; Quid enim in eo delineatur? an Conchile? qualiter, rectè auguror, Occoni, & poſt eum Illuſt. Mediobarbo vocatur. Non Conhile eſt, inquit DULODORUS, ſed caput Meduſæ, aut rectius Ægis, capite Meduſæ inſignita, quæ quòd Palladis, Prudentiæ Deæ, pectus munire ſoleat, retisſimè pro ſymbolo Providentiæ ponitur. Notandum autem, ſub Severo unc typum inter elegantiores reponi; Quidni igitur etiam ſub Caracalla, cùm amen ſub eo hactenus non apparuerit? Tertium Ludos Sæculares teſtatur, de uibus Herodianus videri poteſt. Herculem & Bacchum, repoſuit ARCHÆ-OPHILUS, Deos Severi Auſpices fuiſſe, ex Nummis patet. Eosdem ſub *Pariorum* cognomine cultos & Caracallæ & Getæ, eorundem teſtimoniô patet. Non Nummorum tantùm, reſpondit DULODORUS, imò & Xiphilini, qui *Seerum, quamvis in ſumtu parcisſimum, tamen Herculi & Baccho templum maximum memorat ædificâſſe.* Ita & de Ludis Zoſimus: *Severus*, inquit, *cum anni CX. adpetiiſſent, cum filiis Antonino & Geta, Ludos eosdem ordinavit.* Memini oca & Cel. Patino allegata, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Quid autem in quarto Numiſmate CONCORDIA FELIX, cùm tamen adeò non felix fuerit Caracallæ & Plautillæ, qui in Nummo dextras jungunt, Concordia, ut brevi diſſilierit. Votum Concordiæ, reſpondit DULODORUS, ſive Concordiæ umbram ſub his latere, jam inter Gemmas dictum eſt, & plura dici deberent ſub

PLAU-

PLAUTILLA,



In cujus Numiſmatibus non tantùm eadem *Concordia felix*, ſed & votum *Concordiæ æternæ*, imò & ſpes in *propagine Imperii*, & *Pietas* in educando fœtu celebratur. An fœcundum fuit Plautillæ matrimonium? infit ARCHÆOPHILUS. Fuit, reſpondit DULODORUS. Et filium & filiam ex eâ ſuſceptum, Cel. Patinus obſervat: Et cum filiolo Plautillam relegatam, Occo & Mediobarbus; Cum filiolo Plautillam relegatam, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in verſione Herodiani ab Angelo Politiano adornata legitur, ſed falsò; Græca enim non filium, ſed ἀδελφὸν ἀυτῆς ejus *fratrem* ſimul relegatum aſſerunt. Alia ſuccedunt.



Numiſma Corcyræorum, Pegaſo inſignitum, ſub Julia Domna vidimus. Eodem ornatur & propoſitorum primum: Indeque dubium non eſt, originem à Corinthiis Corcyræos, etiam Plautillæ dedicâſſe. Non originem tantùm Numiſmate *primò*, reſpondit DULODORUS, ſed & potentiam navalem *ſecundò*. De navali potentia ſuprà luculenter diſſeruimus, nec quicquam hîc addere neceſſe eſt, quàm neutrum Numiſma, quod ſciam, hactenus vulgatum eſſe.

GETA



succedit. Ærea sunt hæc Numiſmata, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed niſi fallor, raritate pleraque præſtantia. *Primùm* ab Epheſiis percuſſum, Dianam Epheſiam inter Solem & Lunam exhibet, aſſidentibus duobus, an Fluviis? Caiſtro & Cenchrio, juxta alium inſignem Severi nummum, cum Diana Epheſia & duobus Fluviis, inſcriptum ΚΑΙΣΤΡΟΣ ΚΕΝΧΡΙΟΣ ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ? Non Fluvii, ſed infantes in noſtro ſunt, reſpondit DULODORUS. Infantes? reſſit ARCHÆOPHILUS. Ita eſt, ſed quæ ænigmatis ratio? Non alia, ſi rectè auguror, reſpondit DULODORUS, quàm Geta & Caracalla, Dianæ Epheſiæ tutelæ commendati. Eleganter, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cùm æ ſidera, Sol & Luna, eorum Divinitatem arguere poſſint. Solem & Lunam, reſſit DULODORUS, ad Getam & Caracallam non referrem, cùm ſidera hæc diſparitatem involvant, alterumque ab altero lumen ſuum mutuetur, Caracalla autem & Geta pari ſemper honore fuerint. Potius ſub iis Severum & Juliam intellexerim, ſub quorum radiis uterque adolevit. Solem & Lunam in Dianæ Epheſiæ tutela creditos, ex ſimulacris ejus conſtat, quibus Sol & Luna affixi proſtant. Sed hæc utique nota ſunt.

Secundum Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, à Colophoniis percuſſum, Arietem exhibet: An quòd Aries Zodiaci Princeps? An quòd gregis et Dux? Libera de eo, reſpondit DULODORUS, cuique ſit opinio. *Tertium* Numiſma Coloniam Auguſtam *Troada* celebrat, de qua ſuprà dictum eſt. Nunquam ibi vidi, repoſuit ARCHÆOPHILUS, at in propoſito Tripos eſt. Apollinis is honori cedit, inquit DULODORUS, qui cum Neptuno Trojæ muros fertur condidiſſe, unde & Stephano Ἰλιεὺς ὁ Ἀπόλλων ἐν Τροίᾳ dicitur. Sed hæc, & plura eò facientia, apud Cel. Vaillantium videas. *Quartum* Numiſma Deos Getæ PATRIOS, Herculem & Bacchum, oſtendit, lucémque mutuatur ex Numiſmate Severi, in quo iidem, DII AUSPICES vocantur. Memini, inter-

rupit ARCHÆOPHILUS. Sed quid Numiſma *quintum*? An mulier ſtans, dextrâ haſtile tenens, & ſiniſtrâ laciniam frugibus refertam, cum adſtantibus duobus pueris, PONTIFEX & COS inſcribatur, idque ex Senatûs Conſulto? Inſcriptio, regeſſit DULODORUS, ad Getam pertinet; figuram autem muliebrem cum duobus puerulis ad Juliæ honorem retulero, utrumque filium maternâ charitate amplexantis, & omni rerum abundantiâ beantis. Ad ea tranſeo, quæ jam in Theſauro Palatino produxi,



Et raritate & elegantiâ præſtantiſſima. *Primum* aureum eſt, & Getam exhibet cum capite hinc nudo, inde radiato. Nudum caput elogiô *Cæſaris* & *Pontificis* inſignitur: Radiatum, ut noſcatur, SEVERI INVICTI PII FILIUS inſcribitur. Caput radiatum, inquit ARCHÆOPHILUS, Orientis inſigne eſt. Rectè ais, reſpondit DULODORUS, ſignatum enim Numiſma eſt, cum patrem Geta in Orientem comitaretur. At unde hoc probares? excepit ARCHÆOPHILUS. Ex alio Nummo, regeſſit DULODORUS, in quo eâdem planè ſub inſcriptione Geta radiatus, ante tropæum, dextram attollit, ſiniſtrâ autem haſtile tenet; Exſtat id apud Triſtanum T.II. p. 266, ubi plura in hanc rem videri poſſunt. *Secundum* Numiſma ad expeditionem Britannicam pertinere, ex inſcriptione patet, quâ TR. P. & COS. II. inſcribitur, qui honores ſimul cum expeditione Britannica in annum V.C. 961. incidunt. At, infit ARCHÆOPHILUS, Herodianô teſte, *Geta non in expeditiones bellicas à Severo eductus, ſed in parte Inſulæ, Romanis ſubjecta, relictus eſt, ut juri dicundo, rebusque Civilibus adminiſtrandis præeſſet.* Id nihil obſtat, repoſuit DULODORUS, niſi enim ad votum & omen expeditionis bellicæ hunc typum referas, illud omninò conſiderandum, typos rei benè geſtæ non ei tantùm, qui eam re ipsâ patraverat, ſed & aliis, qui eôdem in faſtigiô fulgebant, tribui ſolitos fuiſſe. Idem ſanè Eques Captivum ſupplantans, eôdem annô etiam ſub Caracalla proſtat: Et firmatur opinio etiam *tertiô* Numiſmate propoſitorum, in quo Geta *Britannici* cognomentum præfert. In averſa, inquit ARCHÆOPHILUS, Janum video, an quòd pace partâ ejus templum Geta clauſerit? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, conſtat enim patre mortuô, quod expreſsâ in Nummo *tertio* Getæ Tribuniciâ Poteſtate factum eſt, pacem cum Barbaris firmatam, cineresque Romam relatos fuiſſe: Si tamen opinio minus placeat, poteris ſub Jano hoc concordiam cum fratre, ut videbatur, reductam contemplari, quòd, ut ſuprà demonſtratum eſt, Janus ob concors

concors cum Saturno Imperium, biceps fictus fuerit. Quicquid sit, ad Jani simulacrum quadrat illud Ovidii:

Ille tenens dextrâ baculum, clavemque sinistrâ.

Sed alia succedunt.



In primo, infit ARCHÆOPHILUS, Castor juxta Equum stat, an in memoriam Ludorum Circensium, sub Severo actorum? Castorem sanè Ludis his præfuisse, ex Isidoro constat, ubi de Ludis Circensibus agens: *Itaque*, inquit, Castori & Polluci *deputantur hæ Ludorum species.* Cel. Vaillantii hæc conjectura est, respondit DULODORUS, sanè non incongrua, cùm Getam Equis gavisum, etiam ex lusu Trojæ pateat, de quo alius nummus testatur: Pulcherrimè scilicet Geta hîc Castori comparatur, quòd Castor Pollucis frater, ut Geta Caracallæ, & uterque æquali potestate rebus humanis præessent. De Castoris Equo notat Patinus, *Cyllarum* dictum, acceptumque muneri à Junone, cui Neptunus eum donaverat. *Secundo* in Numismate Nobilitas imaginem præfert, eò quod ex imaginibus Nobilitas æstimari solebat. At Ant. Augustinus, subjecit ARCHÆOPHILUS, non imaginem hanc arbitratur, sed Palladium, & Patinus Victoriolam: Errant, excepit DULODORUS, & Augustinus & Patinus. Ego pro imagine decerno, eò quòd *Nobiles* apud Romanos ii dicebantur, qui Magistratum Curulem gesserant, quorum primus erat Ædilitas Curulis, quâ jus imaginis ponendæ habebant, ut & passim se adeptum gloriatur Cicero. Mihi Nobilis is videbatur, inquit ARCHÆOPHILUS, qui multas Majorum imagines ostendere poterat. Ne sic quidem, respondit DULODORUS, Nobilitas Getæ neganda, licet enim Spartianus, cùm *illatum Majorum sepulchro* dixisset, *hoc est Severi*, addat, eôque Majores non ultrà Severum videatur extendere, idem tamen jam ante, Majores Severi *Equites Romanos*, interque eos, Severi Patruos, M. Agrippam & Severum *Consulares* fuisse, dixerat. Et quis nobilitatem negaret Principi etiam ignobili?

Et Genus & formam Regina pecunia donat:

Donat utrumque & Mars Victor, qui *tertio* in Nummo visitur, ad quem idem dicendum, quod in prioribus de Equite hostem prosternente. Victorias enim etiam Getæ in Nummis tribui, licet præliis non interfuerit, clarius est, quàm ut doceri debeat. *Quartum* Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, Minervam *sanctæ* elogiô honorat, quæ cognomenti ratio? Cel. Vaillantius, regessit DULODORUS, *sanctum* Veteribus pro *propitio* dictum asserit, allegatis illo Tibulli de Junone: *At tu* sancta *fave!* & illo Catulli, de Venere: *Quem neque* sancta *Venus.*

Venus. Forsitan etiam communi usu *sanctam* appellaverit Geta, quasi *impollutam*, quod bellorum & artium Præses, tamen nec crudelitate nec perfidiâ se contaminare soleat. Getæ sanè utrumque elogiô datur, & quòd Herodianô teste, disciplinarum laude celebres circa se frequentes habuerit, & quòd sanguinolentam Severi & Caracallæ crudelitatem, quantum in se fuit, cohibere, & rationibus emollire tentaverit, cujus exemplum apud Capitolinum legimus. Cæterùm non ignoramus, JCtis *sanctum* dici, quod sanctione quâdam ab injuria hominum remotum est, quô sensu Dii etiam ex jure naturæ sancti sunt. Quicquid sit, *sanctus* vocatur & *Jupiter*, & *Mithra*, *Hercules* & *sanctus* & *sanctissimus*, *sanctissimus* & *Sol*, *sanctissimæ Nymphæ*, quæ omnia videri possunt in Inscriptionibus Gruterianis. Succedit

MACRINUS,



Qui Populum annonâ, Milites Largitionibus inescavit. De Largitionibus, Julius Capitolinus testatur: *Ad delendum militum motum*, inquit, *stipendium & Legionariis & Prætorianis dedit solitô uberius, utpote qui extenuare cuperet Imperatoris occisi crimen, profuitque pecunia, ut solet, cui innocentia prodesse non poterat.* Et ipse Macrinus apud Ælium Lampridium: *Habete*, inquit, *Commilitones pro Imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones à se geminatas.* De Largitionibus pecuniariis, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc loquuntur, & non de frumentariis, quales in Nummo exhibentur. Etiam harum, reposuit DULODORUS, apud prædictos Authores mentio est. CONGIARIUM, inquit Lampridius, *etiam per edictum Antoninianum promisit, ut ipsum edictum poterit indicare.* Verba edicti: *Vellem, Quirites, jam præsentes essemus. Antoninus vester vobis* CONGIARIUM *sui nominis daret* &c. Et Jul. Capitolinus: ANNONIS, inquit, *tribuendis largissimus fuit.* Sequentium



Primum, ex ære magno, fidem Militum inter quatuor Signa militaria exhibet, qualiter

qualiter & inter argentea visitur, cùm aliter tantùm inter duo prostet. Fides Militum, subjecit ARCHÆOPHILUS, quàm fragilis fuerit, Macrini interitus docuit. Docuit, perrexit DULODORUS, sed Numismata hæc ad Imperii initium pertinent, quô militibus largitione inescatis, ut apud Lampridium legimus, ab Exercitu acclamatum est: *Macrine Imperator, Dii te servent! Antonine Diadumene, Dii te servent! Antoninum Divum omnes rogamus. Jupiter optime maxime, Macrino & Antonino vitam!* &c. Qui ita acclamârunt, annon fidi crederentur? Annon vota suscepisse pro Imperatoris salute? annon Jovem, Imperatoris, qualiter in *tertio* Numismate audit, Conservatorem adorâsse? Jovem Conservatorem, excepit ARCHÆOPHILUS, à Cel. Vaillantio ad Victoriam Parthicam relatum memini, quòd Jupiter eô prœliô, vel Herodianô memorante, acerrimô, & maximè cruentô, Imperatorem servâsset. Ne sic quidem malè, respondit DULODORUS, licet enim Victoria Parthica in Nummis Tr. Pot. II. præferat, id tamen tempus magis ad Nummum, quàm ad prælium referri debet. In sequentibus autem Nummis,



In quibus Triumphalis gloria, & otium Antiochense præfiguratur, refertur ad utrumque, cùm triumphalis gloria etiam sequenti annô decerni potuerit. An autem quadrigæ ad Parthos? an ad Armenos? an ad Arabes pertineant? dubium est; Capitolinô enim teste, *pugnavit & contra Parthos & contra Armenios, & contra Arabes, quos Eudæmones vocant, non minus fortiter quàm feliciter.* In secundo Numismate, reposuit ARCHÆOPHILUS, sedet Togatus cum globo. Ad otium Antiochense typus pertinet, inquit DULODORUS. Laureatus enim est, ut & hîc hostes devictos intelligas: Est togatus, ut pacificè deinceps Orbem se recturum polliceretur; Sed vana ea fiducia fuit. Militum perfidia etiam nolentem in castra retraxit, brevique non Imperio tantùm, sed & vita spoliavit. Sed eundem cum filio intueri placet; Eodem enim in Nummo junguntur

MACRINUS ET DIADUMENIANUS.



Macrini Nummum, cum Diadumeniano in aversa, exhibet Cel. Patinus in Impp. p. 323. sed duplici à proposito cum differentia; primò enim SC. quod hîc visitur, in Patino abeit, & secundò nomen *Antonini*, quod hîc Diadumeniano postpositum est, ibidem præponitur. Etiam in Nummo à Per-Illust. SPANHEMIO

in Cæſ. p. 95. vulgato, excepit ARCHÆOPHILUS, imò & in Hiſtoricis Ælio Lampridio, qui ejus vitam ſcripſit, Antonini nomen præponitur, ſed diverſitas hæc raritatem elevat, cùm etiam in Numiſmate Maximi moduli, apud Vaillantium poſtponatur. De SC. audire velim, non enim videtur congruere cum inſcriptione Græca. Quidni? reſpondit DULODORUS; ſimiliter enim occurrit in pluribus Antiochenſium Nummis, adeò, ut vel hinc colligas, ibidem & hunc percuſſum eſſe, quod eò credibilius, quò apertius Hiſtorici docent, Macrinum, compoſitâ cum Parthis pace, Antiochiæ voluptatibus indulſiſſe, donec ab Elagabalo everteretur; imò quò apertius Lampridius, poſt datum Diadumeniano *Antonini* nomen, *monetam apud Antiochiam ejus nomine percuſſam eſſe.* In fine inſcriptionis, inquit ARCHÆOPHILUS, adhuc litera C. occurrit. CEBACTON interpretaberis, reſpondit DULODORUS, rectè enim Lampridius Herodianum reprehendit quòd *Cæſarem* tantùm nominâſſet, id quod & Jul. Capitolinus ſtatuit. *Imperatorem* certè & *Auguſtum* etiam Numiſmata Romana appellant. Cæterum ad Numiſma facit, quod Julius Capitolinus de Macrino: *Inſulſit*, inquit, *nomen* SEVERI, *cum illius nullâ cognatione tangeretur, unde jocus exſtitit: Sic Macrinus eſt Severus, quomodo Diadumenus Antoninus:* Facit ad effigiem Macrini, quod de eodem Herodianus memorat. Ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ διέτριβε γένειον, *Antiochiæ morabatur, barbam nutriens:* Et de Diadumeniano eſt Lampridii locus: *Puer fuit omnium ſpecioſiſſimus, ſtaturâ longiuſculâ, crine flavô, nigris oculis, nasô deductô ad omnem decorem, mentô compoſitô, ore ad oſcula paratô, fortis naturaliter, exercitio delicatior. Hic, ubi primum indumenta coccea & purpurea, cæteraque Caſtrenſia Imperii inſignia accepit, quaſi ſidereus & cœleſtis emicuit, ut amaretur ab omnibus gratiâ venuſtatis.* In ſequentibus

DIADUMENIANVS



Diadumenianus ſolus eſt. *Diadumenianum* dictum ab Avo materno volunt, quamvis non multum hoc nomen abeat à *Diademate*, quod inter cætera ei Imperialis faſtigii omen fuiſſe, Lampridio memoratur. Venuſtus eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, & neſcio quid, inter ſigna militaria, heroici præfert, appoſitè ad Numiſmata. Principem Juventutis inter arma video. Non abs re, regeſſit DULODORUS; in Exercitu enim cum Patre electus, quidni inter arma collocaretur? Juvenis in Principali faſtigio, quidni Juventutis Princeps vocaretur? Non hoc tantùm, ſed & Princeps Senectutis fuit, cùm utique Imperium etiam in

in hos extenderet, adeò ut verius, ſuggerente Numiſmate tertiô eum *ſpem publicam* appellares. Sed fefellit illa ſpes. Quem amor publicus ſervare volebat, eum memoria crudelitatis, etiam juvenilis, peſſundedit. Succeſſit


ELAGABALUS.



Ptolemais, apud Celeb. Vaillantium, ſub Elagabalo caput Serapidis ſignavit. Eadem in propoſitorum primo, typum Coloniæ expreſſit, cum ſupervolante Victoriola, inſcriptisque vexillo aut labaro literis TER. Ænigma obſcurum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, quid enim vexillum aut labarum cum typo Coloniæ? Quid inſcriptæ vexillo Literæ? Colonias, reſpondit DULODORUS, vel plebejas eſſe, vel militares, cum Raphaele Fabretto ſtatuit Cel. Vaillant. T. I. pag. 2. Illas agnoſcit, ubicunque Colonus boves agit; Has, ubi ſigna & Aquilæ Legionum conſpiciuntur: Inter duas has, ſunt quaſi mediæ, quæ ub utrisque participant, ubicunque cum Colono boves agente, labarum aut vexillum conjungitur, non futili indiciô, cum Civibus togatis, etiam Veteranos in Coloniam eſſe miſſos. Agnoſcis ARCHÆOPHILE, hujus generis fuiſſe Coloniam Ptolemaida; utrumque enim & Colonus boves agens, & labarum in eo viſitur: Et notari meretur, quod unicum hîc vexillum ſive labarum occurrat, cum tamen in Nummo Claudii, qui eam deduxit, ut ex Plinio Lib. V. c. 19. docemur, apud Cel. Vaillant quinque occurrant. An hinc, inquit ARCHÆOPHILUS, literarum TER, quæ in labaro viſuntur, interpretatio dependet? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, ritè enim tertiæ Legionis Veteranos ſub iis intelligere poteris. Ita in Nummis Sidoniorum LEG. III. CLAS. labaro inſcriptam, apud eundem Vaillantium cernimus; Sed quid ſupervolans Victoriola? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Nihil aliud indigitat, reſpondit DULODORUS, quàm Macrinianos ab Elagabalo devictos; Appoſitè ſanè, Ptolemais enim Urbs Phœniciæ fuit, & in Phœnicia cum matre degebat Elagabalus, cùm ad Imperii ſpem exſurgeret. Sed hæc exordium ſapiunt.

Secundum Numiſma Annô Imperii V. percuſſum eſſe, ex adſcriptis literis L. E. intelligitur. At quatuor tantùm imperavit? excepit ARCHÆOHILUS; Imò, reſpondit DULODORUS, ſed completos. Quintum licet occeperit, tamen ultra aliquot menſes non produxit, & hinc conſtat, ſub vitæ finem Numiſma ſignatum eſſe. Signatum autem eſt in Ægypto, id quod non tam

tam caput Serapidis, quàm Nummi, licet integerrimi, fabrica oſtendit. De Sarapide radiatô, excepit ARCHÆOPHILUS, memini inter Gemmas dictum, ſub radiis Oſiridem latere: & cùm Oſiris Sol fuerit, Elagabalus autem Solis cultum ambitiosè affectaverit, adulatio inſuper Gentium nihil non ſuadeat, non dubitem, quin ipſe Imperator hoc ſchemate adumbretur; Sed quid Caduceus in palmam excreſcens? Pacem indicat, inquit DULODORUS, Victoriam Elagabali ſecutam; Quid enim ſub ignaviſſimo Imperatore, niſi otium, quod honeſto *pacis* involucro hîc venditatur, invaleſceret? Tertium Numiſma Sidone percuſſum, currum Aſtartes exhibet, cum quatuor Lauri ramis, qui apud Vaillantium non viſuntur. Lauri rami, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, procul dubio ad Elagabali victoriam de Macrino pertinent, quid autem in currûs centro? Idem Vaillantius, reſpondit DULODORUS, Aſtartes ſimulacrum arbitratur. Si ſit, minus affabre erit factum, illud autem notandum, non tantùm caput radiatum, ſed & turritum eſſe, quanquam caput globo, quam faciei, ſimilius ſit. In quarto eſt Elagabali Proceſſus Conſulatûs III, quem Romæ ſuſcepit, cùm primum in Syria, alterum Nicomediæ ſibi arrogare auſus fuiſſet. Quidni ad Triumphum quadriga pertineat? perrexit ARCHÆOPHILUS. Nullum egit, inquit DULODORUS; neque enim ad Adventum retuleris, hunc enim, ut ex ſequentium



Primo liquet, non in quadrigis Triumphans, ſed Eques celebravit. De adventu ita Herodianus: *Ut in Urbem*, inquit, PERVENIT, *nihil novum Romani viderunt.* Idem Author etiam de Deo Elagabalo docet, qui in ſecundo Numiſmate figurâ lapidis, in conum deſinentis, inter quatuor cymbala, quadrigis inſiſtit. Cymbala tu hæc arbitraris? infit ARCHÆOPHILUS; at hactenus vexilla credebantur. Vexilla, repoſuit DULODORUS, figura amovet. Mihi Cymbalorum aliquod genus, vel ideò ſtatuere lubet, quòd dependentes campanulæ procul dubiô ad ſonitum edendum affictæ ſunt; Cymbala etiam in Elagabali cultu Herodianus memorat: *Choros*, inquit, *circum aras agitabat, nullis non organis conſonantibus, unaque mulieribus Phœniſſis curſitantibus in orbem*, CYMBALAQVE *inter manus habentibus aut tympana.* Perſuades, inquit ARCHÆOPHILUS, & ſi de quadrigis, & Dei forma, Author aſſiſtat, quæsô & hîc verba adjicias. De forma, ſubjecit DULODORUS, ſunt ſequentia: *Lapis eſt maximus, ab imo rotundus & ſenſim faſtigiatus, propemodum ad Coni figuram.* Ita & de curru: *Fecit in Suburbano templum maximum & magnificentiſſimum, in quod annô vertente Deum ſuum, adultâ jam æſtate, deducebat. Ipſum Dei ſimulacrum, impoſitum vehiculo, quod eſſet aurô pretioſiſque lapidibus exornatum, deducebat ex Urbe in Suburbanum, trahentibus Equis ſejugibus, emaculatô candore ac magnitudine præcellentibus, aurôque multô & phalerarum varietate conſpiciendis; neque enim quiſquam mortalium eum inſcenderat currum, ſed circumſtabant omnes, quaſi aurigantem Deum.* Hæc ad Elagabalum. Uxor ejus fuit

JULIA

JULIA PAULA,



Julii Pauli, Prætorio Præfecti filia, quam ideò duxisse, Dioni memoratur, quo fieret pater, sicut dicebat, celerius. Ex his, inquit ARCHÆOPHILUS, patet sensus Numismatis tertii, in quo *Venus Genitrix* sedet; Vel enim ipsa Augusta, Veneris honores usurpavit, vel certè Deam de fœtu sollicitavit. Quid autem *Concordia* Numismatis primi? Quid secundi *Æterna?* cùm tamen Julia Paula brevi repudiata fuerit, quòd maculam haberet in corpore. Eadem in his ratio est, respondit DULODORUS, quæ & in fœderibus Regum, quæ & ipsa ex voto & intentione *æterna* vocantur, licet eôdem interdum annô rumpantur, quô fuére sancita. Nuptias Paulæ certè Elagabalus magnô apparatu celebravit: Dione teste, *nonnulla largitus est, non solum Senatorio & Equestri Ordini, sed etiam Senatorum Uxoribus. Plebs autem sex epulata est viritim, milites hoc amplius quatuor. Præterea facti sunt Ludi gladiatorii, in quibus ipse indutus erat veste purpureâ, ut in ludis Votivis fecerat. Ibi multæ bestiæ cæsæ sunt, sed præsertim Elephas & Tigres ad quinquaginta unam, quod nunquam ante simul factum erat.* Quis ex his non *concordiam* præsumeret? quis non *æternam* speraret? Non Imperatorem tantùm cum Conjuge dextram jungere, sed & ipsam Concordiam, quod in secundo Numismate facit, insolubili nexu, & manus & animas vincire, tunc & nos credidissemus. Quô eventu? Paulæ repudiatæ subiit

JULIA AQVILIA SEVERA,



Nefario scelere, ex Vestalium numero rapta. Hæc quid in Numismatibus ostenderet, quàm *Pietatem*, cui ante matrimonium votum dederat? quàm *Concordiam*, quam in matrimonio optabat? Sed utraque diffluxit: Illa matrimoniô,

 licet

licet Elagabalus Divinos inde Liberos ſperaret: Hæc mariti levitate, qui eam diu non retinuiſſe, ſed *aliam poſt, deinde aliam atque aliam duxiſſe*, Dioni memoratur, licet tandem ad Severam redierit. Mirum! excepit ARCHÆOPHILUS, tot Uxores Elagabalum duxiſſe, tribus annis, menſibus novem & diebus quatuor; tot enim Imperio eum præfuiſſe, ex Dione conſtat. Sed ecce! ejusdem & Avia & Mater ſe ſiſtunt. Avia fuit

JULIA MÆSA,



Regeſſit DULODORUS. In primo Numiſmata Juno Conſervatrix cernitur, an Mæſa? an Mæſæ? dubium eſt. Si *conſervatricem Mæſæ* intelligas, Deam credideris: ſi *Mæſam ipſam*, non abſurdè conſervatricem Elagabali interpretaberis. Mæſa Elagabalo Imperium paravit, & conſervâſſet, ſi monitis ejus is paruiſſet. Res ex Herodiano patet, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, & memoriâ recolo, quid ſuprà ad ejus Gemmam dixeris. Quid autem *felicitas temporum* ſecundo in Numiſmate per navim expreſſa? Navis, inquit DULODORUS, procul dubio ad Mæſæ maritimum iter pertinet, quod eâ Romam feſtinaverit, adventuque ſuô felicitatem temporum ſtabiliverit. Navi eam adveniſſe, nemo arbitror dubitabit; breviſſimus enim hic eſt ex Oriente in Italiam trajectus; & Mæſam temporum felicitatem in adventu ſuo poſuiſſe, ex ejus feſtinatione intelligas, cùm Herodiano teſte, Elagabalus profectionem edixerit, *feſtinante* imprimis *Mæſa* ad Romanam aulam, cui tam diu inſueverat. Sed Aviæ ſuccedit Mater Elagabali

JULIA SOÆMIAS,



Quæ *primo* in Numiſmate JUNONEM REGINAM, in *ſecundo* & *tertio* VENEREM COELESTEM ſignavit, non tam, ut mihi quidem videtur, Deas veneratura, quàm Dearum

Dearum honores ſibi vindicatura. Juno cœli regimen credebatur obtinere, & Soæmias Regiminis Romani habenas tractavit; Ita enim Lampridius: *Ubi primum*, inquit, *diem Senatus habuit, Elagabalus* Matrem suam *in Senatum rogari juſſit.* Si hæc ita ſint, petrexit ARCHÆOPHILUS, facilè etiam ſub Venere Coelesti Soæmiada intellexero. Id eô lubentius facies, reſpondit DULODORUS, quô clarius ex hiſtoria patet, Veneris opera eam naviter exercuiſſe; Elagabalum enim ex furto cum Caracalla concepit: Et Elagabalus, Lampridio teſte, appoſitè ad utrumque Numiſma, *tantùm matri deditus fuit, ut ſine illius voluntate nihil in Republica faceret, cùm ipſa, meretricio more vivens, in aula omnia turpia exerceret.* Soæmiadis Soror fuit

JVLIA MAMMÆA,



Quam in *primo* Numiſmate, à Boſtrenis Arabiæ Petrææ, imagine Iſidis cultam, Cel. Vaillantius aſſerit, idque ideò, quòd ab Alexandro Severo, ejus filio, Boſtra Colonia fuerit deducta. Illud autem notandum, in noſtro non tam calathum Iſidis, quàm coronam turritam cerni, ut etiam apud Cel. Patinum, niſi utrumque tibi imagineris. Cum calatho enim cornucopiæ, tergo affictum, convenit. Plura de his, repoſuit ARCHÆOPHILUS, laudatus Vaillantius. Quid autem in *ſecundo* Nummo Fortuna cum adjecta palma? Rerum abundantiam & victorias, ex felici Mammææ regimine, oriundas deſignare, videtur; Ita enim de Alexandro Lampridius: *Cùm puer ad Imperium*, inquit, *perveniſſet, fecit cuncta cum matre, ut & illa videretur pariter imperare*; Sed non Fortunæ tantùm ſimulacrum Mammæa obtinet, imò & *Cereris* nomen in adverſa præfert, quod & ipſum arguit, Annonæ beneficium, quod in filio hiſtoria celebrat, etiam huic acceptum ferri. Literæ L. I. annô Imperii decimô Nummum ſignatum evincunt. In ſequentibus



Eſt Foecunditas Augustæ, & felicitas publica. Jure fœcunditatem jactat Mammæa; ſat enim fœcunda eſt, quæ unum frugi hominem Reipublicæ dedit: Jure jactat felicitatem publicam; eam enim procuravit, & ſtabilem ſibi viſa fuit reddidiſſe, juveniles Imperatoris mores ad omnem & juſtitiam & temperantiam

efformando. Hæc ex Thesauro Palatino patent, inquit ARCHÆOPHILUS. In sequentibus ipse

ALEXANDER SEVERUS



Prodit, Numismatibus, ut video, vel Sami, vel Nicææ percussis. Quid autem mulier armata navem ingrediens? Quid mulier gradiva Lauream præferens? Quid signa militaria? Signa militaria, respondit DULODORUS, media Aquila, Legionum insigni, Legionem arguunt apud Nicæenses substitisse, adeòque ipsos Alexandro fideles fuisse. Mulier gradiva, Lauream ferens, victoriam gratulatur, uti navim ingrediens, quam Amazonem ex cultu agnoscimus, ad bellum proficiscenti videtur accessura. Si rectè memini, inquit ARCHÆOPHILUS, Junonem Martialem hanc arbitratur Patinus. Scio, respondit DULODORUS, imò nec Harduini sententiam ignoro, qui pro Eurysthea Sacerdote pronunciat; sed hos refutat Nobilissimus de Wilde, Amazonem statuens, arma Bacchi fugientem, idque ex Plutarcho docet. Ego de Amazone quidem assentior; An autem arma Bacchi fugiat, fateor me nondum videre. Quid enim fugiens, gloriæ Samiis attulerit? Potius ut Amazones Insulam tenuisse, ex dicto Plutarchi loco patet, ita antiquam gloriam ideo Alexandro videntur renovâsse Samii, ut suam simul fortitudinem, & pro gloria Romana militandi promptitudinem, ei probarent. Adhuc aliud, excepit ARCHÆOPHILUS, nisi fallor, in Specimine, quod Lipsiæ sub prælo sudat, Celeberrimus Morellius statuit; respici scilicet hoc Numismate Samiorum, ad ΗΡΑΙΑ, seu festum Junonis apud Argivos, & eorum exemplo apud Samios celebratum, in quibus ΗΡΑΙΟΙΣ certamen erat *de Clypeo* avellendo. Magnum Nobilioris Antiquitatis lumen Morellius est, respondit DULODORUS, ideoque opinioni non refragabor, præsertim cùm rationes nondum plenissimè perspexerim. Res in medio sit. In sequentium

Primo



Primo sunt Thermæ Alexandrinæ, de quibus Lampridius: *Opera veterum Principum*, inquit, *instauravit ipse, nova multa constituit, in his* THERMAS *nominis sui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerant, aquâ inductâ, quæ* ALEXANDRINA *vulgò nunc dicitur*. Et paulò ante: *Braccariorum, Linteonum, Vitreariorum, Pellionum, Plaustrariorum, Argentariorum, Aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit, ex eoque jussit* THERMAS, *& quas ipse fundaverat, & superiores, Populi usibus exhiberi. Sylvas etiam Thermis publicis deputavit, addidit & oleum luminibus Thermarum, cùm antea non ante auroram paterent, & ante Solis occasum clauderentur*. In secundo Numismate, excepit ARCHÆOPHILUS, RESTITUTOR MONETÆ Alexander audit. An & hîc Authores suffragantur? Ejusdem Lampridii, regessit DULODORUS, se sistit authoritas, sed eum producere piget, non tantùm quòd locus longior est, sed etiam quod Nummi argentei, restitutionem non arguunt. In tertio, reposuit ARCHÆOPHILUS, sunt Quadrigæ Triumphales, an de Persis? de quo idem Author: *Romam venit*, inquit, TRIUMPHOQVE *pulcherrimô actô, apud Senatum verba fecit*; *Persas, Patres Conscripti, vicimus* &c. Triumphum hunc, respondit DULODORUS, Tribunicia Potestate X. egit, cùm autem in Numismate TR. P. VIII. legatur, omninò ad Processum Consularem Nummus pertinebit, quem hôc annô celebravit. In quarto Numismate, subjecit ARCHÆOPHILUS, Indulgentiam video, Spei simulacrô expressam. Spes, inquit DULODORUS, Principum Juventutis symbolum solet esse, cùmque Alexander non *Augustus*, sed *Cæsar* hoc in Nummo appelletur, clarum est, inscriptionem aversæ ad Elagabalum referendam esse quod scil. ejus indulgentiâ Alexander *Cæsar* declaratus, *publica P.R. spes* esset. Videri potest Seguin. Ed. Sec. p. 170. Quintum & sextum Numismata LIBERALITATEM III. & V. adumbrant, quarum illam ob initum Consulatum II, hanc ob Victoriam Persicam exercuit. Prius ex Nummis intelligas, quòd in æreis sub Tr. p. V. occurrit: De hac ex Lampridio docemur, ubi Ipse: *Quirites, vicimus*

Perſas, milites divites reduximus, vobis CONGIARIUM *pollicemur.* Et paulò poſt: *Deinceps* CONGIARIUM *Populo Romano dedit.* In ſequentibus



PERPETUITAS, & PROVIDENTIA ſe ſiſtunt. Perpetuitatem Imperii conſtantem, inquit ARCHÆOPHILUS, ex globo & columna agnoſco, an verò eam optaverit, an jactaverit? non video. Jactare non potuit, repoſuit DULODORUS: Optâſſe, perſuadet Senatûs acclamatio apud Lampridium: *Dii Te ex manibus impuri eripuerunt! Dii Te* PERPETUENT! Secus eſt in *Providentia*; Hanc enim qualis in Nummo exprimitur, per *Annonam* ſcil. diligenter curavit. Ita enim idem Author: COMMEATUM *Populi Romani ſic adjuvit, ut cùm frumenta Heliogabalus evertiſſet, vicem de propria pecunia locô ſuô reponeret.* Et alibi: ANNONAM *militum diligenter inſpexit.* Uxor ejus fuit

SALUSTIA BARBIA ORBIANA.



Nihil in Numiſmate novum. Concordiam cum marito exprimi, non ex inſcriptione tantùm, ſed etiam ex duplici cornucopiæ patet. Alexandrô occisô Imperium arripuit

MAXIMINUS,



Cujus *primum* Numiſma, Nicomediæ percuſſum, Urbis Genium ſub muliere turrita exhibet. Secundum victoriam Germanicam, de qua Capitolinus: *Ingreſſus Germaniam trans Rhenanam, per trecenta vel quadringenta millia Barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, Barbarorum plurimos interemit, militem divitem reduxit, cepit innumeros, & niſi Germani per amnes, & paludes, & ſylvas*

ſylvas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet. Sequentium



Primum, Sami percuſſum, Imbraſum, ſive Parthenium, eorum fluvium præfert. *Secundum* fidem militum, & *tertium* Victoriam Auguſti adumbrat. De victoria, excepit ARCHÆOPHILUS, modò audivi, neque de fide militum dubitaverim, cùm milites præmiis & lucris ſui amantiſſimos feciſſe, Capitolino memoretur. Tam diu, reſpondit DULODORUS, duravit ea fides, quamdiu præmia. Cùm in Italia commeatus deficeret, murmurare cœperunt. Inde ad Aquilejam crudelitate magis adhuc exaſperati, cùm Orbem terrarum in ejus odium viderent conſenſiſſe, medio fortè die, cùm à prælio quieſceretur, & Maximinum & filium, in tentorio poſitos, occiderunt. Filius fuit

MAXIMUS.



Hoc eſt illud Numiſma, infit ARCHÆOPHILUS, quod & apud Occonem, & apud Erizzum, & apud Patinum me vidiſſe memini, ſed diverſimodè inſcriptum. Occo ΕΠΙ ΡΕΥΤΙΚΟΥ: Erizzo, ΕΠΙ ΡΕΤΤΙΧΟΙ: Patinus, ΕΥΤΥΧΗ legit, quaſi *bonam fortunam* diceres. Quid in re dubia ſequar? Quod Numiſma noſtrum ſuggerit, reſpondit DULODORUS, ΕΠΙ ΓΡ. ΕΥΤΥΧΟΥ *ſub Scriba Eutycho Nyſæenſium.* Harduinus ΕΠΙ ΓΡ. ΤΥΧΙΚΟΥ legit, *ſub Scriba Tychico,* an diverſo Numiſmate adductus, an verò conjecturâ, non auſim decernere. Si poſterius, ſecurè nobiſcum ΕΠΙ ΓΡ. ΕΥΤΥΧΟΥ leget. Duo ſunt, repoſuit ARCHÆOPHILUS, quæ aſſenſum cohibent; *primò* literam Γ. poſt ΕΠΙ non video. Sola litera Ρ. proſtat, quæ annon ad ſequentia pertineat, dubium eſt: *Deinde* ſecundum literaturam Græcam, non Εὐτύχου, ſed Εὐτύχους ſcribendum foret, quod nomen in Numiſmatibus Μειλητοπολίτων, Φωκαέων, Αἰγαέων, &

& Laodiceæ Cariæ, apud allegatum Harduinum habetur. Facilis eſt reſponſio, excepit DULODORUS, Literam Γ. ſcil. in litera P. quærendam; apertè enim, ſi modò penitius eam inſpicere velis, linea, ſuprà rotundam, recta viſitur, adeò ut vocem Γραμματέως, monogrammate duarum literarum ΓP. expreſſam agnoſcas. Ita & vox Εὐτύχους eſt ab Εὐτυχὴς, vox autem Εὐτύχου ab Ἔυτυχος: Fuiſſe autem non Εὐτυχὴς tantùm, ſed & Ἔυτυχος, nomina propria, vel ex Sacris conſtat. De his acquieſco, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed de bove puerorum humeris incumbente adhuc audire velim. Ad ſacrificium eum ferri, reſpondit DULODORUS, communis Antiquariorum vox eſt, & fateor, nec mihi aliud quid ſuccurrere. Nyſam Urbem Cariæ fuiſſe, ex Plinio & Stephano conſtat. In ſequentibus,



Licet raritate inſignibus, nihil tamen obſcurum eſt. In *primo* PIETAS AUG. per ſigna Pontificalia exprimitur: in *ſecundo* PRINCEPS JUVENTUTIS ante ſigna militaria viſitur. Ita pacis bellique artibus hic Maximus radiat, non *Cæſaris* tantùm, ſed & *Germanici* cognomine inſignis. Sequitur

GORDIANUS AFRICANUS PATER,



Aureum Numiſma Tu denuò producis? infit ARCHÆOPHILUS; An neſcis Te hôc nomine Celeberrimo Vaillantio vapulaſſe? Scio, reſpondit DULODORUS, ſed an jure? an injuria? ſub Judice adhuc lis eſt. Nummos aureos Gordianorum recentiores arbitratur, ſi autem ex eorum numero noſtros, quos artificiô priſci æmulô, recentiorum quorundam ſolertia procudit, valdè errat Vaillantius ipſe; Horum enim exempla nobis præſtò ſunt, ſed ab antiquorum Genio diverſiſſima. Sunt duo aurea, quorum unum *capita Gordianorum*, hinc ſenioris, inde junioris; alterum *Romam æternam* ſedentem exhibet: Eſt argenteum cum *Concordia Auguſtorum* ſedente, planè qualiter etiam in ſecundo propoſitorum viſitur, ſed antiquitatis & novitatis tam apertis utrinque ſignis, ut in antiquitate hoſpes ſit oporteat, qui differentiam non illicò deprehendat. Eandem novitatis hederam etiam in argenteo *Virtus Augg*. Eandem & *Pietas Auguſti* cum ſignis Pontificalibus præferunt, longiſſimè autem abſunt à notiſſimo illo, qui

qui in propoſitorum *primo*, imò & in ſequentium *ſecundo* fulget, antiqui artificii genio, adeò ut hactenus non videam, cur iis locum negare debeamus. Fortaſſis, inquit ARCHÆOPHILUS, ad antiqua prototypa fuerint fuſa? Authoritas Vaillantii, repoſuit DULODORUS, etiam me impulit, ut huc reſpicerem; Alii tamen, qui Nummos inſpexére, judicium ſuſpendendum arbitrati ſunt, cùm nec hujus rei aperta ſint veſtigia. At, excepit ARCHÆOPHILUS, annon Gordianos Africanos aureos non exſtare, tam certum Antiquariis videtur, ut etiam Author Gallicus, qui nuper rudimenta vulgavit, inter indubia Scientiæ effata id ponat? Hoc mirum eſt, reſpondit DULODORUS, cùm tamen quotidie quædam in lucem protrahantur, quæ antea exſtare ne cogitabantur quidem. Eadem in his ratio eſt, quæ de Othone æreo fuit. Etiam hunc exſtare negabant; Quot autem hodiè in Cimeliarchiis viſuntur? Quicquid ſit, liberam cuique judicandi poteſtatem facimus, ſed & nobis ſervamus. Res expreſſas intueri volupe eſt. In *primo* togatus ramum prætendit: In *ſecundo* Concordia Auguſtorum, cum duplici cornucopiæ ſedens, pateram prætendit. Concordes fuiſſe Gordianos, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium non eſt. *Pater filium* legitur *ultrà morem amâſſe*; Sed quod togatus ramum præferat, non placet. Quin potius virtute militari ſolium ſtabilire debuiſſet. Ritè ſentis, inquit DULODORUS, Gordianus, oſtentatione pacis, dum Orbem terrarum ſe credidit ſubacturum, metu Capelliani, qui cum exercitu appropinquabat, ad deſperationem actus eſt.

GORDIANUS AFR. FIL.













Qui in *ſecundo* Numiſmate, & ipſe imbelli & ſecurâ, ut ſibi videbatur, providentiâ Orbem temperat, in *primo* tamen virtutem militarem jactat, non ſuam tantùm, ſed & Parentis. Ex SCto Numiſma percuſſum eſt, & eleganter illuſtratur voto Conſulis, quod apud Julium Capitolinum legimus: *Dii*, inquit, *faciant*, *ut Gordiani ſenis felicitatem atque prudentiam*, JUVENIS VIRTUTEM *ac conſtantiam læti experiamur!* Ita ad Victoriam Numiſmatis tertii, Senatus, *Imperatores*, exclamavit *nobiles* VICTORES *videamus!* Incaſſum; Gordianus, licet contra Capellianum in prælium deſcenderit, victus tamen, & in ipſo pugnæ ardore interemtus cecidit. Contra Maximinum Imperatores dicti ſunt

M. CLOD. PUPIENVS MAXIMUS,



Et Cælius Balbinus: Hic bonitate, Ille virtute ac ſeveritate clarus. Bonitas & ſeveritas, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, non benè conveniunt; Quî igitur, quòd in *primo* Numiſmate Caritas Augg. mutua celebratur? Si Numiſmata audis, reſpondit DULODORUS, in his Imperatoribus convenére: Balbinus enim bonitate rem Civilem, Pupienus autem ſeveritate rem militarem rexit, tantô uterque ſucceſſu, ut & pacem publicam *tertii* Numiſmatis reduxerint, & felicitatem *quarti* ſtabilierint, meritôque encomiô, uti ex Numiſmate *ſecundo* diſcimus, Patres Senatus fuerint appellati. In *ſecundo* Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, non *Pupienus* tantùm, ſed & *Maximus* vocatur. Id Julio Capitolino dubium eximit, regeſſit DULODORUS; Is enim, cùm in quibusdam *Pupienum*, in aliis *Maximum*, Balbini collegam fuiſſe, legeret, non niſi per conjecturam ſe expedire potuit, cùm tamen Numiſma noſtrum apertè doceat, eundem fuiſſe *Pupienum* & *Maximum*. In ſequentium



Primo, Victoria Augustorum procul dubiô ea celebratur, quâ Maximinus occubuit; Licet enim non præliô, ſed ſuorum inſidiis is perierit, fructus tamen & lætitia

lætitia ejus cædis tanta fuit, ut Capitolino teste, *Maximo etiam* Victoria *decerneretur.* Quid autem in *secundo*, excepit ARCHÆOPHILUS, togatus ramum porrigens, qualem modò sub Gordiano vidimus? quid in *tertio* Liberalitas Augg.? An hæc cum Maximi severitate conveniunt? Conveniunt, respondit DULODORUS; necessitati enim cessit, & cùm milites Maximinô cæsô mœrerent, quòd eum Imperatorem perdidissent, quem ipsi elegerant, eos autem haberent, quos Senatus dedisset, Maximus & *oblivionem præteritorum* memoratur *vulgâsse*, & Stipendia magna *donâsse*.

BALBINUS



Eosdem ferè cum Pupieno typos præfert. Fides Augustorum mutua in *primo:* In *secundo* eorundem Victoria: In *tertio* autem Deorum providentia legitur. Deorum providentia, perrexit ARCHÆOPHILUS, orbem temperat, & rerum abundantiam inducit, eamque quidni agnosceret Balbinus, Orbis imperio, solô Dei nutu, sibi & Collegæ firmato? Sed victoria quid ad hunc pertineat, non video, cùm non nisi hoste dejectô Urbem exierit? Non video, quid fides Augustorum mutua in Numismate primo, cùm gloriæ Collegæ memoretur invidisse, modicasque inde dissensiones fuisse ortas? Eas intellectas, potius respondit DULODORUS, quàm visas, Capitolinus author est. Et quid si hæc ipsa in Numismatibus monumenta, eum in finem expressa statuamus, ut Balbini ambitio communicatis honoribus satiaretur, uterque autem sub elogii umbra fidei mutuæ admoneretur? Ita etiam in sequentibus



Concordia Augustorum, ac Pietas mutua Augustorum, quin eòdem tendant, vix videtur dubium. *Tertium* Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam ſub Pupieno vidimus, ſed Balbino magis videtur deberi, victoria autem Pupieno. Et quidni utrique? inquit DULODORUS, cùm tamen ex Senatu Principes ritè *togati* appareant, & pacis conſervandæ gratia electi, ritè *Oleam*, pacis ſymbolum, præferant? Quicquid ſit, nec Victoriæ gloria, nec pax à militum furore eos tutos præſtare potuit, ſucceſſitque, qui hactenus Cæſar fuit,

GORDIANUS III.



Tria vides maximi moduli ſub Gordiano Numiſmata: Illud *Sidetanorum* Pamphiliæ, & *Pergæorum* Ciliciæ, *Concordiam* adumbrat, jungentibus ſuper aram dextras Dianâ Pergaſiâ, & Sidetanorum Minervâ. De Diana Pergaſia, inquit ARCHÆO-

CHÆOPHILUS, suprà dictum est; de Minerva Sidetanorum memini Te ex Strabone docuisse, cujus verba: Σίδη Κυμαίων ἄποικος, ἔχει δὲ Ἀθηνᾶς Ἱερόν, SIDE, inquit, *Cumæorum Colonia, ubi* MINERVÆ *est ædes.* Ita nec de malo Punico dubitem, cùm Σίδην *malum Punicum* denotare, in confesso sit. An autem Sidetani, an Pergenses Numisma signârint, id verò dubium est. At, respondit DULODORUS, annon utrorumque authoritate poterit esse signatum? Si tamen alteri id tribuere mavelis, quidni Sidetanos præferas, quos non nomen tantùm, non tantùm superior locus, sed & malum punicum eligendos suadet? Secundum Numisma Orbem Romanum, imò Orbem terrarum Victoriis peragratum, Gordiani in manu ostentat. *Odessitæ* id signaverunt. *Odessus* Civitas Mœsiæ inferioris fuit. Cel. Patinus, inquit ARCHÆOPHILUS, Urbes Mœsiæ in Gordiani Nummis frequenter, ait, occurrere, arbitraturque percussos, cùm, ut Capitolinus narrat, *per Mœsiam Gordianus iter faceret.* Rectè sentit, respondit DULODORUS, licet enim Victoria Sphæræ insistens Orbem Victoriis subactum, adeòque Persas devictos arguere videatur, ratio tamen esse potest, quòd ex itinere, & apud se actis, etiam reliqua Odesseitæ vel conjicerent vel voverent. In Mœsia certè Victorias orsus est. *Fecit iter in Mœsiam*, inquit Capitolinus, *atque in ipso procinctu, quicquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit atque summovit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnavit & vicit.*

In tertio Nummo *Marcianopolis*, ejusdem Mœsiæ Urbs, Gordiano togato super aram fidem jurat. Marcianopolim à Trajani Sorore conditam, Ammianus testatur, L. XXVII. A Trajano ædificatam in Sororis honorem, quòd ei Vas aureum, eò loci in fluvium delapsum, rursus emersisset, Jornandes de Rebus Geticis cap. XVI. memorat. Hæc ad Numisma nihil, excepit ARCHÆOPHILUS, quin potius de Genio Urbis doces, quem stolatum & turritum, & à tergo Cornucopiæ ornatum cerno. Nihil utique hîc obscurum est, respondit DULODORUS. Caput turritum Urbis munitiones: Corpus stolatum, pacificam mentem: Cornucopiæ, Regionis ubertatem designat. *Metropolis* Jornandi dicitur: Et Metropolis quidni munita sit? Gordiano homagium præstat, quidni igitur pacifica? De Mœsiarum fertilitate est locus Virgilii Georg. I.

— — *Hyberno lætissima pulvere farra*
Lætus ager. Nullo tantum se MOESIA *cultu*
Jactat. — —

Ad quem locum Servius: *Constat*, inquit, *Mœsiam circa culturam esse diligentem: Sed non ei cultus suus tantùm prodest, quantum hyberna serenitas & humidum Solstitium. Mœsia autem provincia est Thraciarum, vicina Scythiæ.* Coronam Gordiani in posterioribus radiatam video, excepit ARCHÆOPHILUS, in primo autem Lauream. Lauream respondit DULODORUS, victoriæ meruère, quas procul dubio jam contra Persas obtinuerat, cùm Numisma percuteretur. Corona radiata in Orientem proficiscenti Solis fulgorem circumposuit, quòd tanquam oriens Sol, quocunque procederet, subjectas terras collustraturus esset. Sed alia subeunt.



Ad *primum* Numiſma plura veniunt obſervanda, & primò quidem, non legi ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, ut apud Patinum & Harduinum; ſed cum copula, ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, adeò, ut duas Urbes in Nummo celebrari, jam dubium non ſit: Obſervandum, celebrari Alexandriam Ægypti, & non Trojanam; Ægyptiam enim apertè evincit Serapis, uti Epheſum Diana: Obſervandum, OMONOIAN, *Concordiam*, utriusque Urbis legi, non autem KOINONIAN, *Communitatem*, uti apud Patinum habetur. *Secundum* Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, obſcurius eſt, licet inſcriptio ſatis clareſcat. Figuræ in cenſum veniunt, quas intra Lauream neſcio quid præfigurare? Erizzo, reſpondit DULODORUS, Numiſma hoc vulgavit, ſed duplici errore. *Primò* enim, non Sardianos Neocoros, ſed Rufinum Neocorum arbitratur: *Secundò*, de templi cujusdam dedicatione ſchema explicat, figuras *Caput Bovis* & *Cornucopiæ* interpretatus. Caput Bovis agnoſco, ſed mactati & coriô detractô. Cornucopiæ non apparet, ſed potius Fax, quæ à ſacris aliena non fuit. Hinc facilis conjectura eſt, Victimas à Sardianis Neocoris ſub Rufino cæſas hoc Numiſmate indicari, & ſi rationem quæras, evidentiſſimam in Laurea habes, Victoriarum præmio. Scil. pro victoriis Gordiani, vota Sardianos ſuſcepiſſe, hoc Numiſma teſtatur. In *tertio*, quod nec apud Patinum, nec apud Harduinum habetur, Roma ſedens Dianam Epheſiam præfert. Dianam Epheſiam non Epheſi tantùm, ſed & aliis Aſiæ Urbibus cultam, Numiſmata abundè teſtantur. Ita *Coloëni* ſub Domitia, *Hierapolitani* ſub Trajano, *Phaneenſes* & *Ancyrani* ſub Fauſtina, *Abydeni* ſub Vero, *Magnetes ad Sipylum* ſub Criſpina, *aliique* ſub aliis apud Patinum, Numiſmata ejus ſimulacro ſignârunt. Accedit Nummus *Philadelphenſium* Regius ſub Hadriano percuſſus, cujus Harduinus meminit. Quorſum hæc? infit ARCHÆOPHILUS; Ut demonſtrem, reſpondit DULODORUS, Romæ tutelæ, Deam ſuam & ejus cultum, hoc in Nummo Philadelphenſes commendâſſe; Quid enim aliud

aliud Diana, Romæ manu, protensa, significet? Conjectura verisimilis est, perrexit ARCHÆOPHILUS, inscriptio autem ΦΛ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ habet; Id *Flaviorum Philadelphensium* si interpreteris, Numisma ego non ad Philadelphenses Lydiæ referrem, sed ad Philadelphenses Syriæ; Cùm in Judæa bellanti Vespasiano ea utique propior fuerit. Etiam aliorum hæc opinio fuit, inquit DULODORUS, sed Rev. Harduinus rem alio Numismate convellit, ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΚΑΙ ΦΛ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ inscriptio; indè sanè cùm Julienses haud procul à Philadelphensibus Lydiæ positi, fide Geographorum constet, indubium utique est, vicinarum Urbium concordiam spectari, adeòque Philadelphenses Lydiæ potiùs, quàm Syriæ, *Flaviorum* prænomen tulisse.

Quartum Numisma ΜΗΤ. ΚΟΛΩ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ, & apud Tristanum, & apud Patinum, & apud Vaillantium prostat. Tristanus & Patinus figuram columnæ insistentem, *ipsum Imperatorem:* Vaillantius autem *Cabirum* interpretatur. In nostro *Diana* videtur, sinistrâ arcum præferens, dextrâ autem telum ex dependente à tergo pharetra extrahens. Diana certè etiam in Trojanorum Nummis columnæ insistit: Et apud Carrhenos cultam, ex aliis Nummis constat, in quibus Luna occurrit. Tutius, excepit ARCHÆOPHILUS, fortassis *Deum Lunum* arbitrabimur, idque secundum Spartianum in Caracalla: *Quoniam Dei Luni*, inquit, *fecimus mentionem, sciendum, doctissimis quibusque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque, à* CARRHENIS *præcipuè, haberi, ut qui Lunum fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper inserviat: at verò qui marem Deum esse crediderit, dominetur Uxori.* Carrhas certè Mesopotamiæ metropolim à Gordiano receptam, testatur ipse apud Capitolinum: CARRHAS, inquit, *cæterasque Urbes imperio Romano reddidimus.* Hoc equidem verum, inquit DULODORUS; Locus Spartiani autem Dianæ non contradicit, cùm Venatricis ea habitu sit, ferè qualiter & in Nummo Edessæorum apud Vaillantium, sub eodem Gordiano percusso. *Quintum* subit, Nicomediæ origines Imperatori ostentans. Tristanus id vulgavit, vulgavit & Patinus. Verba rem illustrantia ex Libanio citat Harduinus, ita ille Orat. VI. De Nicomedia terræ motu eversa: Ὀυχ ὁ μὲν πρῶτος οἰκιστὴς ἑτέρωθι πολίζειν ἐπιχειρῶν, ἀπαντικρὺ τῆς νῦν ὄυσης, μᾶλλον δὲ τῆς ὀυκετ᾽ ὄυσης, ἀφ᾽ ὑμῶν ἤρχετο τοῦ ἔργου; καὶ ἦν ἱερεῖα τε ἐπὶ βωμοῖς, καὶ περὶ τοὺς βωμοὺς ὅμιλος. ὑμεῖς δὲ μετεστήσατε τὴν σπουδὴν ἐπὶ τὸν ὄχθον, σὺν ΑΙΕΤΩ τὲ καὶ ΘΡΑΚΟΝΤΙ, ὧν ὁ μὲν, ἱερείου κεφαλὴν ἐκ τοῦ πυρὸς τοῖς ποσὶν ἁρπάσας. Ὁ δὲ ἐκ γῆς ἀναδὺς μέγας τὲ καὶ ὁπόσων ἡ Ἰνδῶν λέγεται βόσκειν. Ὁ μὲν τὸν ἀέρα τεμῶν. Ὁ δὲ τὴν θάλατταν, συγκατάιρουσιν ἐις τὸν λόφον, ὅιδε ἕιποντο, Θεὸς ἕπεσθαι χειραγωγοῖς ἡγούμενοι. *Nonne primus Urbis Conditor, alio in loco civitatem condere conatus, ex adverso illius, quæ nunc est, imò potius quæ non amplius est, à vobis operis initium duxit? Ac victimæ quidem in aris erant, & circa aram populus frequens: Vos autem studium vestrum ad collem proximum transtulistis, cum* AQUILA & DRACONE, *quorum illa caput Victimæ pedibus ex foco sustulit: Hic vero è terra emersit ingens, & quantus qualesque Indorum Regio nutrire solet. Illa quidem aerem permeans, ille trajiciens Mare ad collis verticem se contulere. Conditores verò secuti sunt, se Deos sequi ductores opinati.* Hæc Libanius. Sextum Numisma ΣΑΜΙΩΝ, non Junonem Martialem, ut Patinus: Non Eurystheam Sacerdotem: ut Harduinus; sed Amazonem exhibere videtur, uti Jacob de Wilde ex Plutarcho docet. Addi potest & Cel. Morellii sententia, de qua suprà. In sequentibus



Est Herculea Gordiani virtus. Herculea? excepit ARCHÆOPHILUS; cum tamen Gordianus juvenili admodum ætate fuerit, adeoq; Herculem æquare non potuerit? Si non æquavit, respondit DULODORUS, at æmulatus est. Expeditio Persica abundè testatur, eôdem virtutis stimulô eum exundasse, quô & Hercules; Ut enim Hic ad monstra profectus, plures intermedios in via labores exantlavit, ita & Ille, ut modò audivimus, proficiscens in Persas, iter per Mœsiam fecit, atque in ipso procinctu, quicquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit atque submovit. An hoc in *quarto* Numismate designatur? subjecit ARCHÆOPHILUS. Fortassis, respondit DULODORUS, quanquam etiam ad devictos Persas typus pertinere possit, quæ victoria, licet re ipsâ *æterna* non fuerit, est tamen æterna ejus gloria. In Numismatibus, *secundo* & *tertio*, est Providentia Augusti, quâ Orbi Romano feliciter prospexit. Providentia, inquit ARCHÆOPHILUS, non tam Gordiano adscribenda, quàm Socero ejus Misitheo, *cujus viri*, Capitolino teste, *tanta in Republica dispositio fuit, ut nulla esset unquam Civitas limitanea potior, quæ non posset Exercitum Populi Romani ac Principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento & Larido, atque hordeo & paleis condita non haberet* &c. Rectè hæc observas, regessit DULODORUS, sed juxta considerandum, ut ministrorum vitia, ita & virtutes & merita, Principibus adscribi. Id tamen Gordiano laudi dandum, quòd prudentiæ Soceri locum fecerit: Et Misitheo, quòd gloriæ Principis operam suam sacraverit. Uxor Gordiani fuit

TRAN-

TRANQVILLINA



Tria hîc damus Tranquillinæ Numiſmata. Duo priora Sami percuſſa ſunt, tertium percuſſum eſt Smyrnæ. Illi vel Fortunam expreſsére, vel Amazonem: Hi, ſi ex clava & Leonina pelle judicare licet, Herculem. Herculi, inquit ARCHÆOPHILUS, nec caput, nec ſucculenta artuum gracilitas conveniunt. Quid ſi Omphale hæc ſit, Lydorum Regina, quæ Tranquillinæ utique propior foret, quàm Hercules? Integrior Nummus rem docebit, reſpondit DULODORUS. De Amazone dictum eſt ſub Alexandro Severo. Gordianum ſuſtulit

M. JUL. PHILIPPUS,



Cujus in *primo* Nummo, Dea Syria Leoni inſidet, ſimulque arguit, Numiſma non Hierapoli Phrygiæ, ſed Hierapoli Syriæ, percuſſum eſſe. *Secundum* Numiſma Antiochiæ ſignatum eſt. Inſcriptio obſcurior videtur, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quid enim ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝ? Quid literæ Δ. Ε. S. C? Vox ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝ dividi debet, reſpondit DULODORUS, legendumque ΜΗΤΡΟπόλεος ΚΟΛΩΝίας. Literæ Δ. Ε. Δημαρχικὴν ἐξουσίαν, S. C. *Senatus Conſul-*

tum innuunt. Cæterùm Muſa in Numiſmate, aut ſi mavis Apollo ipſe, ex Cithara noſcitur, ſacrificansque ad aram Salutis pro ſalute Imperatoris, ſimul innuit, Antiochiam ad Daphnen intelligi debere. *Tertium* Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, à Cyrreſtenſibus ſignatum, ſolitum ΔΙΟΣ ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ, *Jovis deſcenſoris* templum præfert; Quid autem in *quarto*, templum monti impoſitum? Numiſma, regeſſit DULODORUS, ſignâſſe Zeugmatenſes, ex inſcriptione patet. Templum in monte Triſtanus à Veſpaſiano, ſub titulo *Pacis Latinæ*, conjicit eſſe ſacratum, adductis Statii ad Domitianum verſibus:

Tu rapidum Euphratem, & Regia Bactra, ſacrasque
Antiquæ Babylonis opes, & Zeugma LATINÆ
PACIS *iter.* — —

Sed noſtrum Numiſma apertè Jovem, cum haſta in templo ſedentem, exhibet, adeòque evincit, non Paci, ſed Jovi ſacrum, non minus ac templum Διὸς Καταιβάτου Cyrreſtenſium. Sub templo, perrexit ARCHÆOPHILUS, adhuc ſignum quoddam expreſſum video. Caduceum, reſpondit DULODORUS, arbitratur Patinus, ſed in noſtro Nummo apertè Capricornus eſt. Alia ſubeunt.



Primum, ex primo ſuperiorum lucem mutuatur: *Secundum*, Virtutem Philippi, Patris & filii, bellicam: *Tertium*, Pacem cum Perſis fundatam: *Quartum*, Sæculum Novum: *Quintum* Sæculares prædicat. Nihil in his obſcurum eſt, inquit ARCHÆOPHILUS; memini enim, ſub capite turrito ipſam Ottaciliam latere videri: Memini ex Cel. Vaillantio, in ſecundo Numiſmate Auguſtos ad bellum Carpicum proficiſcentes intelligi debere: Succurrit & locus, tam Zoſimi, quàm Zonaræ, de pace cum Sapore Rege Perſarum fundata. Ut taceam Sæculum Novum, & Sæculares, quos centeſimo ab V. C. annô, celebrando, Caſſiodoro in Chronico teſte, *innumerabiles in Circo beſtias interfecit.* Inde ſanè planum eſt, Templum Romæ, in Numiſmate exhiberi: Planum eſt, Leonem, qui in Numiſmate viſitur, ex eorum numero eſſe, qui in Circo interfecti ſunt. Rectè judicas, ſubjecit DULODORUS, neque enim Leo tantùm, ſed in ſequentibus

Etiam



Etiam Cervus,& Alce, visuntur: Ille, subscriptô numerô V: Hæc III. uti Leo I. ut intelligas ordinem, quô pugnârunt. In *tertio* est Cippus in Ludorum memoriam positus: In *quarto* Lupa cum Romulo & Remo, ut Romæ infantia ob oculos ponatur. Hæc vulgaria sunt, inquit ARCHÆOPHILUS. In *quinto* Numismate, perrexit DULODORUS, Augg. adventum in Urbem contemplamur, post Gordianum sc. in Oriente occisum, factamque cum Persis pacem. In *sexto* Spes Felicitatis Orbis graditur, quòd scil. conciliatis sibi Populô Militibusque, eam fuerit & procuraturus & tuiturus. Philippi Uxor fuit

OTACILIA SEVERA,



Quæ & ipsa, non Pudicitiam tantùm, & Junonem Conservatricem, sed & Sæcu-

 lares

lares expressit, idque Hippopotami schemate, quem quartum in Circum inductum fuisse, ex adjecto in argenteis numero patet. Filius fuit

M. JUL. PHILIPPUS,



Numisma hoc à Nicomediensibus percussum est, excepit ARCHÆOPHILUS, Cerere insignitum, procul dubio ob annonam, quæ Patris artibus sub Gordiani exitum evanuerat, restitutam; Id enim ex Zonara Te deduxisse memini. Addendum, inquit DULODORUS, Cererem Nicomediensium Præsidem videri, id enim arguit Numisma aliud apud Rev. Harduinum, in quo ΝΙΚΟΜΗΔΕΟΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΟΜΟΝΙΑ, *per Cererem Nicomediensium, & Jovem Laodicenorum Præsidem adumbratur.* Philippos evertit

TRAJANUS DECIUS,



Cujus in Nummis Panponiæ occurrunt, quòd eò à Philippo missus, Imperium arripuerit: Occurrit Adventus, quòd Philippô occisô Romam advenerit: Uberitas, quòd largitionibus solium stabiliverit: Virtus Militaris, quòd & hanc securitatis suæ sponsorem crediderit. Nihil in his novi est, perrexit ARCHÆOPHILUS. Idem, respondit DULODORUS, de reliquorum plerisque judicabis, interim autem volupe erit, seriem pertexere. In sequentibus

Est



Eſt ΔΗΜΑΡΧΙΚΗ ΕΞΟΥΣΙΑ, & Liberalitas, quarum Illa Trib. Poteſtatem, ſub Aquila Lauream roſtro ferente, adumbrat: Hæc Uberitatis uſum oſtendit. Sed ad alia pergimus. Uxor Decii fuit

ETRUSCILIA.



Numiſmata à Rheſaineſiis, ſub Trajano Decio, percuſſa exhibet Triſtanus. Cel. Patinus eundem honorem etiam Etruſcillæ habitum, unicô exemplô demonſtravit; Sed Cel. Vaillant in Coloniis quinque protulit, inter quæ primum à propoſito in pauciſſimis abit. Et in quibus? inquit ARCHÆOPHILUS. *Primò*, reſpondit DULODORUS, Sculptor Vaillantii ſpicas omiſit, quas Urbis Genius dextrâ præfert, licet eas adfuiſſe Laudatiſſimus Author memoret: *Secundò*, Genius Urbis non à latere in noſtro conſpicitur, uti apud Vaillantium, ſed corpore tantùm non directo, pedibus ſub ſtola divaricatis. *Tertiò*, apud Vaillantium adhuc literæ numerales adduntur, quæ in noſtro deſunt. Hæc minuta ſunt, inquit ARCHÆOPHILUS, quin potiùs res ipſas aggrederis. Res in Numiſmate expreſſæ, reſpondit DULODORUS, Triſtano & Vaillantio lucem ſuam debent. Figura ſub fœmina ſedente, natantis inſtar eluctans, fluvium *Chaborum* adumbrat, ad quem Rheſaina ſita, ex Stephano noſcitur. Mons, cui fœmina inſidet, montem *Maſium* denotat, cujus in clivo Urbs jacebat. Ipſa fœmina turrita eſt, ut munitiones: Spicas præfert, ut agri fertilitatem agnoſcas. Sed quid Aquila? excepit ARCHÆOPHILUS, quæ capiti turrito inſiſtit? Romanorum Coloniam indicat, reſpondit DULODORUS, quæ, quòd à Septimio Severo deducta fuit, *Septimiæ*, uti ex Nummo videre eſt, etiam prænomen aſſumſit. Et hinc facilè patet, Lauream, quam Aquila præfert, non Urbi porrigi, ſed Imperatrici, declarante Nummo, Rheſainenſes & viribus & commeatu Romanæ Gloriæ famulaturos. Numiſma *ſecundum* ſolitum typum Col. Viminacii

minacii exhibet, de quo Cel. Vaillantius videri poteſt: *Tertium* & *quartum*, Pudicitiam, & Junonem Reginam præferentia, per ſe patent. Succedit

Q. HERENNIUS,



Decii filius, cujus in Numiſmatibus, ſoliti Cæſarum typi exhibentur. Talis Spes, talis Pietas, talis Princeps Juventutis. Princeps Juventutis paludatus eſt, ut fortitudinem agnoſcas, quâ in bellum progreſſus occubuit. Pietas & ſignis Pontificalibus & Mercurio radiat, quòd Hic Religiones inveniſſet, Illa Sacris faciundis inſervirent: Spes publica, quòd Cæſarum incrementum, futuro Imperio deſtinatum, ad publicam felicitatem pertineret. In *quinto* Numiſmate, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, adhuc Concordia Augg. per dextras junctas adumbratur, an Decii & Herennii? An Herennii & Hoſtiliani? Prius prætulerim, reſpondit DULODORUS, ideò potiſſimùm, quòd titulum Aug. nactus Herennius, ad bellum cum patre profectus eſt; Hoſtilianus autem Romæ manſit, Auguſtusque demum poſt Decii mortem dictus eſt. Sed ecce

HOSTILIANVS



Præſtò eſt. Numiſma hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, Cel. Vaillantius protulit, templum, *Genii Urbis* ex Appiano: Fluvium ſub Genio emergentem, *Oron-*

tem ex Euſtathio: Montem cui Genius Urbis inſidet, *Sylpium* eſſe, ex eodem Euſtathio in Dionyſium probat. Quid præterea notandum? Nihil, reſpondit DULODORUS, niſi raritas Nummi, & Arietis templo impoſiti ſignificatio, de qua ad Antiochenſium Nummos dictum eſt. In ſequentibus



Eſt PANNONIA, cujus ratio ex ſuperioribus patet, quòd ſcil. Decius iis in Regionibus Imperiale culmen aſcenderit: In *ſecundo* PUDICITIA viſitur, Juvenilis ætatis virtus: In *tertio* MARS PROPUGNATOR: Et in *quarto* CONCORDIA. Martem Propugnatorem, infit ARCHÆOPHILVS, Vaillantius ad bellum Germanicùm refert, typo, & Herennio & Hoſtiliano, communi. Ad Nummum à Cæſare adhuc percuſſum id facit, regeſſit DULODORUS; In noſtro autem non *Cæſar*, ſed *Auguſtus* dicitur, idque arguit, poſt Herennii mortem Nummum percuſſum eſſe. Si unquam Marte propugnatore opus fuit, certè tunc fuit, duobus Auguſtis in prælio cæſis. Si hoc ita ſe habeat, perrexit ARCHÆOPHILUS, quò referam manus junctas & Concordiam, nam & hæc *Auguſtorum* inſcribitur? Ad Hoſtilianum & Gallum, reſpondit DULODORUS; Hunc enim Deciô occiſô, reſiduæ in Mæſia Legiones Imperatorem ſalutârunt.

GALLUS



In his celebratur. *Primum*, ab Antiochenſibus percuſſum, jam ſub Hoſtiliano vidimus. *Secundum* ob deletam inſcriptionem obſcurius eſt. Latinis autem chara-

characteribus inſcriptum, ex reliquiis patet. Integrior Nummus, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, rem patefaciet. *Tertius* Nummus ROMÆ ÆTERNÆ dicatus eſt, & per ſe patet; At in *quarto*, an PAX ÆTERNA, ea credatur, quam à Scythis redemit? Ea ipſa, regeſſit DULODORUS, quanquam ne ad modicum quidem duraverit. In ſequentium



Primo, error Monetarii accuſandus videtur; SÆCULUM enim NOVUM ſub Philippo fuerat, ſub Gallo autem, poſt exactos jam aliquot annos, novitas deferbuerat. In *ſecundo* Numiſmate JUNO MARTIALIS eſt, cujus templum Romæ fuiſſe, ex S. Rufo conſtat. Junonem Martialem, excepit ARCHÆOPHILUS, ut Gallus invocaret, ratio utique ſufficiens fuit, deficientibus in Europa, à quibus pacem redemerat Scythis, irrumpentibusque in Aſiam Perſis. Fortaſſis, inquit DULODORUS, hunc ſenſum admiſeris, quanquam fortaſſis ſub hac Junone Martiali etiam Galli Uxor lateat, ſpicas præferens, quòd militibus annonam præbuiſſet. *Tertium* Numiſma adulationis monumentum eſt, vel falsò præſagientis, vel impudenter mentientis. Quam enim victoriam Gallus obtinuit? Peſte nobilitatum eſt ejus Imperium, quâ neceſſitate quid mirum, ſi APOLLINI SALUTARI aſſurrexerit? Idem fecit &

VOLUSIANUS,



Cujus in *primo* Numiſmate, COLONIA VIMINACIUM legitur. Quid autem
ſubſcr.

fubfcr. Ann. XII. quæfivit ARCHÆOPHILUS, cùm conftet, Volufianum anno tertiô cum Gallo effe occifum? An errori monetali rem acceptam feras? Errorem monetalem, repofuit DULODORVS, Numifma *tertium* videtur innuere, Trib. poteftatem quartam præferens. De Tribunitia poteftate, fubjecit ARCHÆOPHILVS, annon aliter erit judicandum, cùm conftet, eam interdum ante Imperium fufceptam fuiffe? De Cæfaribus id Magnus nofter SPANHEMIUS oftendit, refpondit DULODORVS, antequam *Augufti* appellarentur, Volufianus autem tertiô annô à dignitate Cæfarea occubuit. Quod autem ad Viminacium attinet, Provinciæ Mæfiæ fuperioris Coloniam, ejus numeri non annos Imperii, fed annos Coloniæ, fub Gordiano deductæ, indicare, Cel. Vaillantius docet, qui & Bovem & Leonem ad populi ferociam per Colonos lenitam refert, fecundum illud D. Paulini:

Sic tuo mitis Lupus eft ovili:
Pafcitur concors VITULUS LEONI.

Eleganter hoc, perrexit ARCHÆOPHILUS. Elegans eft & *fecundum* Numifma, VOTORUM DECENNALIUM teftis. Ea irrita fuiffe, refpondit DULODORUS, obfcurum non eft. In fequentium



Primo, Junonis Martialis templum eft, de quo fub Gallo vidimus: In *fecundo*, Pietas: In *tertio*, Salus. Illam peftifera lues expreffit, Hæc Dea fuit, quam votis Augufti fatigarunt. Sed mille funt mortis viæ. Cui peftis pepercit, Is Æmilianum debellaturus, fuorum perfidiâ cecidit.

ÆMILIANVS



Nihilo felicior fuit. Cùm paucos menſes imperaſſet, ſurgente contra eum Valerianô, & ipſe à Suis cæſus eſt. *Primum* Numiſma Herculem Victorem vocat, quod ſcil. Scythas, ſub Gallo Græciam devaſtantes, ut Zoſimus memorat, egregiè viciſſet. Eandem victoriam, excepit ARCHÆOPHILUS, procul dubio etiam *tertium* Numiſma concernit. Quid autem Mars Pacifer, & Roma æterna? De Roma, reſpondit DULODORUS, jam ſuprà dictum eſt: Mars pacifer, Cel. Vaillantio docente, pacem etiam Æmilianum cum Scythis feciſſe arguit, ut ſcil. eô ſecurius contra Gallum & Voluſianum progrederetur, niſi Romanis martiô ſuô apparatu pacem videatur fuiſſe allaturus, & vel ſic Æternitati Romæ proſpecturus. Eum excepit

VALERIANUS,



Cujus *primum* Numiſma à Nicomedienſibus, tertiùm Neocoris, percuſſum eſt, cùm ludos trium Principum, Valeriani ſcilicet & filiorum, honori edidiſſent. Tres Principes in adverſa vides, Valerianum & Gallienum Auguſtos, tertiumque Valerianum juniorem Cæſarem. Ludorum memoriam ſuggerunt Palmæ ex Urnis prominentes. Typus idem, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor

lor apud Patinum sub Gallieno prostat. Ita est, si aversam intuearis, inquit DULODORUS; Numisma totum autem, Idem recenset in Indice. *Secundum*, Concordiam Augustorum, Valeriani scil. & Gallieni, eorundemque Liberalitatem adumbrat. Hoc sub Gallieno Patinus produxit, procul dubio, quòd Gallienus, à dextris positus, Numisma sibi vindicare videretur; Sed patris ratio potior est. Liberalitas ad eam videtur pertinere, quam ob Gallienum, *Augusti* titulo exornatum, exercuit. *Tertium* Numisma, excepit ARCHÆOPHILUS, *Nysæ* signatum est, *sub Scriba Ælio Proculo*. Nysa, regessit DULODORUS, Cariæ Urbs fuit, percussitque Nummum Hadriani honori, cum inscriptione ΝΥΣΑΕΩΝ ΔΙΟΝΥΣΟΣ Nysæorum Bacchus, ex quo Numismati nostro lux non exigua affulget. Illud monendum, uti sub Maximo, ita & in hoc Nummo, vocem ΓΡΑΜματέος per literas ΓΡ. in monogramma contractas scribi. De Baccho, ex vasculo Pantheræ liquorem fundente, sufficienter jam ad Gemmas dictum est, uti & de Samiorum fluvio sub Maximino. In sequentium



Primo, Vota Orbis proponuntur, duabus Victoriis clypeum, ex S.C. ei decretum, Palmæ affigentibus. Victorias, regessit ARCHÆOPHILUS, Orbis Romani vota fuisse, cùm Barbari, inter ludibria Imperatorum, ejus quietem turbarent, facilè persuades. An autem Valerianus iis clypeum meruerit, vix adducor ut credam, quis enim Historicorum earum meminit? De Valeriano, respondit DULODORUS, fateor, res obscura est; sed de Ducibus Valeriani non est. Aurelianum Gothos sub eo vicisse, ex Fl. Vopisco patet, ubi Valerianus ei gratias agit, quòd Gothorum potestate Rempublicam liberâsset. Sed quid huc delabor? cùm tamen ex ipso Nummo constet, ad vota hæc pertinere? Ad eadem certè etiam Numismata *tertium* & *quartum* referes, quorum alterum Restitutorem Orbis, alterum Restitutorem Orientis appellat; Licet enim, ut Trebell. Pollio ait, *jam antea sub Deciis, totius Orbis humani censuram meruerit, pudet tamen Virum extollere, qui fatali quâdam necessitate superatus, nec* Orientem *nec* Orbem *restituit, sed indignâ servitute apud Persas consenuit.*

Et tamen hic, inſit ARCHÆOPHILUS, in *quinto* Nummo cum filio Orbem tenet? & quidem ſagatus? & Virtus Augg. inſcribitur, quaſi militari manu eum tuerentur? Ea tempora, reſpondit DULODORUS, hoc Numiſma reſpicit, quibus Valerianus in Orientem progreſſurus, Gallienum Europæ reliquit, ut ſcil. hanc tueretur filius, dum illam à Perſis vindicaret pater. Id inde patet, quòd non uterque in Numiſmate globum; ſed alter globum, alter victoriolam teneat. Sed eventum intercepit alterius ſegnities, alterius infelicitas. *Secundum* Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, prætereundum non eſt. Dianam Luciferam exhibet, qualis in Imperatricibus prodire ſolet. Eadem, regeſſit DULODORUS, etiam in Gordiano, Poſtumo, Claudio, & Quintillo viſitur, eôdem procul dubiô ſenſu, quô Gallienus *Dianam Conſervatricem* veneratus eſt. Sed alia ſuccedunt.



In *primo* eſt Pietas, non Valeriani tantùm, ſed & Gallieni, procul dubiô, quâ erga Deos uſi ſunt, id enim media Ara evincit. Pietatem, excepit ARCHÆOPHILUS, de Valeriano facilè præſumſerim, de Gallieno autem non item; Conſtat enim, diſſolutiſſimum fuiſſe. Id Pietatis encomio nihil obſtat, repoſuit DULODORUS, cùm vel unicô ſacrificiô id obtinere potuerint & Pater & Filius: Et quid ſi ob initum Conſulatum id fecerint, quem Scipio Aquilifer demonſtrat? Fuit autem Valerianus COS. II. cum filio, anno V. C. 1007. & COS. III. cum eôdem II, annô V.C. 1008. In *ſecundo* Nummo, perrexit ARCHÆOPHILUS, eſt Apollo, qualis ſuprà *Salutaris* inſcribebatur, ſed hîc *Conſervator* audit. Meritò, reſpondit DULODORUS; qui enim ſalutaris eſt, is & conſervat, adeò ut Valerianum peſti ſuperſtitem, ſalutem ſuam Apollini acceptam tuliſſe, vel hoc monumentô diſcamus. In *tertio* Numiſmate idem Deo Volcano templum exſtruxiſſe memoratur. In *quarto* Auguſtorum victoria celebratur, ſed qualis hæc fuerit, modò dictum eſt. Uxor Valeriani fuit

MARINIANA.



Consecratio hîc est, insit ARCHÆOPHILUS, cùm autem duas Valerianus Uxores habuerit, alteram Gallieni, alteram Valeriani junioris matrem, id quod ex Trebellio Pollione constat, procul dubio hæc posterior fuerit, consecrataque à Valeriano vel marito vel filio; neque enim de Gallieno, principe dissolutissimo, & qui ne patrem quidem, nisi coactus, inter Deos retulit, eam pietatem præsumserim. A Marito consecratam, excepit DULODORUS, & Marini, qui sub Philippis Imperium degustavit, filiam fuisse, Patinus arbitratur. De Pavone animas Augustarum in cœlum ferente, res obscura non est. Pavonem Junoni sacrum, quòd in Junonis Samiæ templo primum editi & educati, indeque genus in alias Regiones propagatum sit, ex Athenæo observat Cel. Vaillantius. Sequitur

GALLIENUS.



Primum Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, à Smyrnensibus percussum, *Isidem* & *Nemesin* præfert. Illius, respondit DULODORUS, Sacerdotem Smyrnæ fuisse, ex Aristide probat Harduinus: Hanc Smyrnæ cultam, ex Pausania jam suprà diximus. Hîc observandum, non tantùm Rotam, sed & Gryphum cum rota, Nemesi huic affictum esse, adeòque confirmari id, quod Per-Illust. SPANHEMIUS monuit, Gryphum in Smyrnensium Nummis, non tam ad Apollinem, quàm ad Nemesin pertinere. In secundo Nummo est Diana Ephesia, non Polymammia illa, sed venatrix. Hæc obscura non est, inquit ARCHÆOPHILUS, uti nec tertio in Numismate Urnæ. Iis enim, sub Valeriano vidimus, Ludos trium Principum honori, indicari celebratos. In sequentium



Primo, est ΕΦΕΣΙΩΝ ΤΥΧΗ Ephesiorum fortuna. Fortuna, regessit DULODORUS, est etiam in *secundo* ΓΟΡΔΗΝΟΝ, qui Lydiæ populus fuerunt. Utrique rerum abundantiam Gallieno Principe jactant. In *tertiô* est Castor cum Equo. Numisma à Cumæis percussum est, Urbe Æolidis, quô in tractu Castores in honore fuisse ex Nummis Phocæensium patet, in quibus uterque fulget. *Quartum* Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, Ægyptium est, annô Gallieni decimô percussum, procul dubio in memoriam victoriæ cujusdam, id enim & palma & Aquila Lauream porrigens innuunt. An victoria ad occupatum Byzantium? an ad Macrianos occisos referenda? Potius ad Æmilianum, respondit DULODORUS, in Ægypto à Theodoto captum, & Gallieno missum, respexerim, eò quòd Nummo Ægyptio victoria quadret. Succedunt



Vota, & Decennalia, & Orbis. Hæc, qualia sub Valeriano vidimus: Illa, vel in

in Laurea, vel ſub Victoria clypeo inſcribente. Decimô Imperii annô hæc ſoluta ſunt: Memorante Pollione, *Scythas Romanorum Ducum virtute vaſtatos, Gallienumque militibus apud Byzantium interfectis Romam curſu rapido convolaviſſe, convocatisque Patribus*, DECENNIA *celebraſſe, novo genere Ludorum, nova ſpecie pomparum, exquiſito genere voluptatum*, &c. In *quarto*, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, *quinto* & *ſexto*, ut & in ſequentibus,



DEOS Gallieni CONSERVATORES video, animalium pleroſque ſymbolis expreſſos: An ideò, quòd animalia hæc in Decennalibus intra Circum exhibuerit? Id non dixerim, reſpondit DULODORUS, neque enim Gryphos, Pegaſos & Centauros, niſi ſimulatos, exhibere potuiſſet. Potius ad expreſſam cladibus, peſtilentiâ, & terræ motu pietatem hæc retuleris, de qua Treb. Pollio: *Gallieno & Fauſtino Conſulibus*, inquit, *inter tot bellicas clades, etiam terræ motus graviſſimus fuit, & tenebræ per multos dies; auditum præterea tonitruum, terra mugiente, non Jove tonante: quô motu multæ fabricæ devoratæ ſunt cum habitatoribus; Multi terrore mortui, quod quidem malum triſtius in Aſiæ Urbibus fuit. Mota eſt & Roma, mota & Lybia: Hiatus terræ plurimis in locis fuerunt, cùm aqua ſalſa in foſſis appareret.* MARIA *etiam multas Urbes occuparunt.* PAX *igitur* DEUM *quæſita, inſpectis Sibyllæ libris, factumque* JOVI SALUTARI, *ut præceptum fuerat, ſacrificium. Nam &* PESTILENTIA *tanta exſtiterat, vel Romæ, vel in Achaicis Urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari modo perirent* &c. Vides ARCHÆOPHILE, cùm tanta pericula Gallienus effugiſſet, fuiſſe cauſam, cur *Jovem Conſervatorem* veneraretur; Nam huic, ut ſacrificium fieret, libris Sibyllæ præceptum fuerat. Fuiſſe cauſam, cur *Neptunum*; Nam & Maria in Orbis interitum conjuraverant: Fuiſſe cauſam, cur *Apollinem, Dianam*, & *Solem*; Nam peſtis ſævitiam credebantur & immittere & compeſcere: Cur *Liberum Patrem*; Nam credebatur anxios curis liberare. Solidè hæc deducis, infit ARCHÆOPHILUS, ſed rationem non addis, cur Animalia Diis ſacrata potius, quàm Deos ipſos in plerisque Gallie-

Gallienus expresserit? Si conjecturæ locus, respondit DULODORUS, Gallienum, animalium Diis sacratorum, qualia in Nummis exhibentur, simulacra gratitudinis ergo arbitrer dedicâsse. Jovi quidem Capram, quòd is Amaltheam suxisset: Neptuno Equum marinum, quòd hos à curru religare solebat: Apollini Centaurum & Gryphum, quorum Ille ex Manilio, Hic ex Fulgentio Apollini sacer est. Libero Patri Pantheram, quæ ad munera Bacchi mitescit. Dianæ Cervam, quæ Venationum Deam arguit. Adeò scil. superstitioni vacavit Gallienus, ut & in sequentium



Primo, CONSERVATOR PIETATIS audiat, quod elogium nulli alii Imperatorum hactenus datum est: Ut *secundo* in Nummo HERCULO COMITI Aprum Erymanthium: In *tertio* JOVI VICTORI Statuam in Cippo erexerit, Jovemque PACATOREM ORBIS, in *quarto* celebret. De Hercule dubium est, inquit ARCHÆOPHILUS. Cel. Vaillantius *Herculi* legit, & Aprum *Calydonium* vocat. De Apro fallitur, respondit DULODORUS; Hercules enim Apri Calydonii venationi ne quidem interfuit, Erymanthium autem, humeris impositum, ad Eurystheum memoratur apportasse. Quod inscriptionem attinet, alio fortasse Numismate Vaillantius usus est, in nostro certè non Herculi, sed *Herculo* legitur, an rectè? de eo Grammatici digladientur. In sequentium



Primo, celebratur FIDES MILITUM, quæ quàm fragilis fuerit, immensa Tyrannorum

rum ſeges, docet. Dubium tamen non eſt, quin ii, qui fidi mansére, coronam hanc Imperatori vel obtulerint, vel meruerint: Niſi potiùs cum Vaillantio ideò Numiſma ſignatum arbitreris, ut fidem militum extollendo, eos magis Imperator ſibi conciliaret. Eundem fortè in finem, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam Æquitatem expreſſit. Id leve eſt, reſpondit DULODORUS. Numiſmata *teritum* & *quartum* majoris momenti ſunt. Illô GERMANICUS MAXIMUS: Hôc RESTITUTOR GALLIARUM audit. De utroque eſt teſtimonium Aurelii Victoris: *Licinius Gallienus*, inquit, *cùm à* GALLIA GERMANOS *ſtrenuè arceret* &c. Victoriam Germanicam jactat & ſequentium



Primum, vel ideò memorandum, quòd Gallieni non caput tantùm, ſed & pectus, & manum exhibeat, averſaque Victoriam globo, inter duos Captivos, inſiſtentem præferat; ſed etiam, quòd ex argento puro conflatum, magnitudinem Quinarii vix excedat. Rarum & elegans eſt hoc Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILVS, quid autem *ſecundum?* Coronam continet, reſpondit DULODORUS, Gallieno INTROEUNTI URBEM S.C. oblatam, idque ideò, quòd, ut in adverſa legitur, GENIUS P.R. fuerit. At radiatus eſt, inquit ARCHÆOPHILUS. Eſt, repoſuit DULODORUS, qualis, Pollione teſte, ſæpè proceſſit, qualique ſibi Statuam fieri præcepit. *Statuam*, inquit ille, *ſibi majorem coloſsô fieri præcepit*, SOLIS *habitu*, &c. In duobus reliquis ſunt LEGIO II. ADIUTRIX, Sextùm Pia, Sextùm Fidelis: & LEGIO IIII. Flavia, Sextùm Pia, Sextùm Felix. Illa per Pegaſum, qui velocitatis; Hæc per Leonem, qui fortitudinis ſymbolum eſt. Pegaſum, excepit ARCHÆOPHILVS, ad Africam ſpectare, Cel. Vaillantius ait. Ne ſic quidem malè, inquit DULODORVS, Pegaſum enim Africæ ſymbolum eſſe, conſtat; Quanquam, quòd in aliis Pietas per Ciconiam, Felicitas per Capricornum, adumbretur, fortaſſis nec noſtræ opinioni ratio deſit. Gallieni Uxor fuit

SALONINA.



Primum Numisma, sub Rufo Asiarcha, à Sardianis percussum, ad cultum Proserpinæ pertinere, ex spica & papavere intelligimus, quæ figuræ, in Numismate expressæ, utrinque affictа sunt. De figura ipsa res obscurissima est. Obscurissima? inquit ARCHÆOPHILUS; At Seguinus similem ferè, ipsam Proserpinam arbitratur, egregieque depictam in Selectis dedit. Quid Seguini Numisma exhibuerit, excepit DULODORUS, de eo non laboro: quanquam, ut non aliud sentias, quàm etiam in nostro, similis utriusque habitus satis evincat. Inspice Numisma; Pars superior figuræ, ad oculum patet; Sed ubi caput, quod satis affabrè depictum Seguinus dedit? Nullum hîc est. Imò capitis locum tres columnæ occupant, longiores, quàm ut collum credi possint, eæque nodô quôdam in summitate colligantur, sed tenuiore, quàm ut credi possit esse Caput. Diligenter figuram examinavi, dubitans, annon duæ exteriores columnæ veli partem constituant, interior autem faciei vicem gerat, uti nodus, quô colligantur, serti. Sed ne sic quidem à me impetrare potui, ut Deam potius, quàm Tabernaculum quoddam, Proserpinæ honori erectum, crederem. Verè ratiocinaris, subjecit ARCHÆOPHILUS, quocunque rem detorqueam, nihil tamen Proserpinæ simile invenio. Etiam infrà columnas nodum, an potius circulum video, & quæ post hæc in latitudinem vergunt, Seguinoque humeros velo involutos constituunt, tertiô circulô includuntur, & ab eo dependent circum circa globuli, sive Nolæ sint, sive aliud quid. Tabernaculo certè aut Tentorio cuidam figura propior est, quàm Deæ; Dependentes enim veli utrinque laciniæ, medium spatium tenui lino contectum, cæterùm vacuum esse, ingressurisque aditum concedere, satis arguunt. Quicquid sit, etiam in tentorio hoc Proserpinam agnoscere licet, ne enim temerè tres in summitate columnas arbitrer repositas, ejus de se ipsa responsum facit, quòd Lil. Gyraldo teste, Porphyrius Philosophus, & Eusebius attulere. Ita se habet:

Naturæ TRIPLICIS *dicor, Lucina, puella*
Taurica, itemque triceps, missa è cœlo aurea Phœbe,
Quam multæ variant formæ, quam TRINAQVE *signa,*
Quæ TERNA *& simulacra fero, terræ, aeris, ignis;*
Quippe meis atris terrarum est cura molossis.

Probabiliter hæc dicuntur, inquit ARCHÆOPHILUS; Minimùm, respondit

dit DULODORVS, & caufa Doctis erunt, figuræ rationes ulterius inquirendi. *Secundum* Numifma Beryti percuffum eft. Mirum Te hoc producere, regeffit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen luculenter id & fæpius, & defignatum dederit, & explicaverit Cel. Vaillantius in Coloniis. Imò multum nobis refiduum fecit, refpondit DULODORUS, figuram Aftartem ftatuit, quam tamen Urbis Genium, corona turrita luculenter oftendit: Ut taceam reliqua infignia, quæ non tam Deam Regionis, quàm Urbem maritimam evincunt. Acroftirium ais, excepit ARCHÆOPHILUS, quod figura hæc finiftrô pede pede premit. Ita Vaillantius, inquit DULODORUS, in Nummo autem non acroftirium, fed navis roftrum cernimus. Acroftirium ex lævo bracchio, nifi fallor, prominet. Hæc utique Urbi maritimæ quadrant, perrexit ARCHÆOPHILUS, quem autem dextrâ præfert, fcipio cum cruce non quadrat, fed Deam potiùs arguit, fanctâ & apud Gentiles Crucis figurâ. Novum argumentum pro σταυρολατρία! exclamavit DULODORUS. Scio Cel. Vaillantium & ipfum fcipionem cum cruce his in Numifmatibus ftatuere; fed quæfo Archæophile! Oculos aperi! non crucem, fed omninò tridentem deprehendes, qui utique Urbi maritimæ apprimè quadrat. Tridens Neptuni infigne eft, Dominatoris maris: Et hoc fceptrum fibi vindicando, Berytus quidni potentiam maritimam credatur jactâffe? Quidni & victorias maritimas fuâ ope obtentas? cùm tamen Victoria columnæ impofita Genio Urbis Lauream porrigat? An fub Genio Urbis ipfam Imperatricem agnofcere velis, liberum efto; Confueta enim Urbium adulatio nihil non fuadere videtur. Numifmata *tertium* & *quartum* Ægyptia funt, illud anno 12. hoc anno 14. percuffum: Illud Aquilam avem Regiam præfert, Hoc fpem Victoriarum, id quod ex Palma agnofcimus. Nihil in his tantoperè æftimandum, excepit ARCHÆOPHILUS; At eft in fequenti, refpondit DULODORUS.



A Metropolitis in Jonia fignatum, Saloninam Χρυσογόνην appellat. Χρυσογόνην, Saloninæ nomen fuiffe, antequam Gallieno nuberet, uti Domna, Mæfa, Soæmias, &c. Juliarum, antequam ad Principale culmen eveherentur, Triftanus arbitratur: Cujus judicio & Græca fuit, filia Attali, potentis in Jonia viri, qui & poft Valeriani captivitatem, Gentes ejus tractûs Gallieno fervaverit. Si res ita fe habeat, Genius Urbis Gallieni, fuper aram, Statuam præferens, procul dubio Urbem, partes Gallieni fanctè foventem, fignificabit, uti Cornucopiæ rerum abundantiam, ejus imperio obtentam. Admitto placitum, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem in fequentibus



Junonis Conservatricis Cerva? & Deæ Segetiæ templum? an Cerva Junoni sacra? Tristanus, regessit DULODORUS, rem ex Callimacho docet, Dianam memorante, in Thessalia venantem, ad fl. Anaurum quinque Cervas, aureis cornibus, Tauris majores invenisse: quatuor cepisse, curruique suo alligasse: quintam ope Junonis evasisse, & interjecto tempore ab Herule superatam esse. Verba Poëtæ hæc sunt;

Τὴν δὲ μίαν Κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν
Ἥρης αἰνεσίῃσιν ἀέθλιον Ἡρακλῆϊ,
Ὕστατον ὄφρα γένοιτο, πάγος Κερύνειος ἔδεκτο.
Unam verò (quæ Celadontem ad fluvium effugerat,
Junonis *consilio, certamen Herculi*
Ultimum ut esset) Collis Cerynæus recepit.

Hæc, subjecit ARCHÆOPHILUS, Cervam quidem illam Junonis consilio servatam, non autem Junoni sacram, docent. At docent, Junonem Cervam hanc servâsse, reposuit DULODORUS, id quod inscriptioni perquàm convenit: Et quàm pulchrè Cerva *aureis cornibus*, ad Saloninam χρυσυγόνην alludit? Quod ad Deam Segetiam attinet, ea Dea frugum fuit, earum scil. quæ suprà terram jam excrevissent. Simulacrum ejus in Circo fuisse, ex Plinio constat. Ædificasse Saloninam etiam ejus templum, ex nostro Numismate docemur. Succedit

VALERIANUS, GALLIENI FRATER.



Quem Valerianus pater *Cæsarem:* Patre captô, Gallienus frater *Augustum* memoratur vocâsse. In *primo* Numismate, infit ARCHÆOPHILUS, Pietas Augu-

AUGUSTORUM, procul dubiô ad Patrem & Fratrem pertinet, ipse enim adhuc *Cæsaris* cognomine insignitur. Pertinet, respondit DULODORUS. In *secundo* autem res secus est. PRINCEPS JUVENTUTIS audit, solitô Cæsaribus typô. In *tertio*, perrexit ARCHÆOPHILUS, non *Cæsar*, sed *Augustus* dicitur, aversaque AUGUSTORUM VICTORIAM celebrat. Vel ex his intelligas, reposuit DULODORUS, non Patris & Fatris, sed duorum fratrum, Gallieni & Valeriani, de quo loquimur, hanc victoriam fuisse: Quæ autem victoria intelligatur, cùm Pollione teste, modò feliciter, modô infeliciter Gallienus rem gesserit, incertum est. Quartum Numisma à Samiis percussum, Imbrasum, sive Parthenum, eorum fluvium exhibet, quem & suprà sub Maximino vidimus. Sequitur

SALONINUS,
GALLIENI FILIUS,



Qui in *primo* Numismate JOVI CRESCENTI assimilatur, in *secundo* & *tertio* Deorum numero fertur adscriptus. Nihil in his novi est, excepit ARCHÆOPHILUS; constat enim, Saloninum Postumo creditum, à Gallis Coloniæ interemtum, & à Patre consecratum esse. Sed ecce! Etiam

POSTUMI



Prodeunt. Postumorum Numismata aurea, subjecit DULODORUS, rarissima esse,

esse, Cel. Vaillantii judicio constat. Quatuor hîc cernis. *Primum* VIRTUTEM, *tertium* FELICITATEM, *secundum* VICTORIAM GERMANICAM, *quartum* VICTORIAM AUGUSTI gradientem exhibet. Primum & tertium etiam Tristanus dedit, qui illic Postumos, ob robur & fortitudinem, Marti & Herculi comparatos: hîc autem belli pacisque felicitatem, sub Victoria & Pace arbitratur adumbratam, & benè; *Fuit* enim, si Treb. Pollionem audias, *in bello fortissimus, in pace constantissimus.* Imò & illud conjecturâ sperat se assecuturum, sub Victoria scil. hâc, Victoriam, Victorini matrem, latere. Simplicius, inquit ARCHÆOPHILUS, Victoriam intellexerim, quæ & secundo & quarto Numismate radiat, hîc gradiens, ut Victoriarum cursum intelligas, illic Imperatorem coronans, ut Victoriæ Germanicæ Gloriam. Optimè hoc, respondit DULODORUS, nam *Postumum submotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in pristinam securitatem revocâsse Imperium,* idem Pollio tradit, id quod globum tenenti apprimè convenit. Sed quid his immoramur? Etiam ærea se sistunt.



Quæ tamen ob solam typorum elegantiam iteranda censeo. *Primum*, inquit ARCHÆOPHILUS, maximi moduli est, propositum etiam nisi fallor, à Cel. Vaillantio. Rectè meministi, respondit DULODORUS, sed novi nihil in eo occurrit. Virtus Postumi ex superioribus intelligitur. Idem & de Numismate *secundo* dixerim, quod Lætitiam Augusti adumbrat, idque sub figura Navis, quam Tristanus bellicam arbitratur, & ad expeditionem Britannicam refert. *Tertium* Numisma Rhenum PROVINCIARUM SALUTEM inscribit, nec concinnius illustrari potest, quàm allato, quem Tristanus citat, Egesippi loco: *Improvisò adventu consedisse montes, Germania credidit, Rhenum exaruisse, qui magnitudine corporum, & contemtu mortis cæteris validiores, qui retinaculum ante suum,* RHENUM *putabant, nunc* SALUTIS DEFENSIONEM. *Itaque jam non Copiis Germanorum replentur, sed Romanorum liburnis, quæ pererrantes tot, usque ad mare bicornis*

amnis, quondam liberas Gentes servitiô premunt. Ad Rhenum hæc apposite, inquit ARCHÆOPHILUS, sequentia HERCULEM DEUSONIENSEM exhibent. Numismata excepit DULODORUS, elegantissima sunt, sed Tristanus nec in his aliquid reliquum fecit. Deusoniensem arbitratur dictum, à Deusone, loco in Regione Francorum, ubi Saxones à Valentiniano cœsos, ex S. Hieronymo, Ammiano Marcellino, & Cassiodoro probat, sive templum Ipse exstruxerit, sive exstructum suæ gloriæ vindicaverit. Sed alia adhuc se sistunt.





Primum Serapidi, Augusti Comiti, statuam positam testatur; Serapidi? mirabundus excepit ARCHÆOPHILUS. Quid Numen Ægyptium ad Imperatorem Galliarum? Jam dudum, respondit DULODORUS, ejus cultus Romam migraverat; Quid igitur mirum, si Romanus eum coluerit? *Secundum* Numisma Consulatum IIII. & Victoriam exhibet, procul dubio de eadem Victoria Germanica explicandam. *Tertium* Trib. Potestatem X. cum Consulatu V. conjungit. VOTA. XX. Victoriâ clypeo inscribente. Numisma hoc Tristano pluribus aureis pretiosius æstimatur, idque ob raritatem, & res eô expressas. Tribuniciam Potestatem decimam video, inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen septem tantùm annos Postumum imperâsse, Historici testentur. Ita Treb. Pollio, subjecit DULODORUS. Eutropius autem pro Nummo est; *Postumus*, inquit, *in Gallia obscurissimè natus purpuram sumsit, & per annos* DECEM *ita imperavit, ut consumtas ferè Provincias ingenti virtute & moderatione reparaverit.* Idem testatur & Paulus Orosius, adeò, ut rectè hinc Fasti corrigantur. Cœterùm Victoria, quæ in Nummo visitur, non tam ad Germanicam pertinet, quàm ad eam, quam contra Lollianum retulit, quanquam Vota, quæ in Vicennium concepit, non in annum unicum rata fuerint. Ita sanè Aurelius Victor: *Primus omnium Postumus, qui fortè Barbaris ereptum ierat, per Galliam possidebat Imperium, explosâque Germanorum multitudine, Lolliani bello excipitur, quô non minus feliciter fusô, suorum tumultu periit, quòd flagitantibus Moguntiacorum direptiones, qui Lollianum juverant, abnuisset.* A Postumo contra Gallienum, aliosque, in Imperium assumtus est

VICTO-

VICTORINUS



Cujus in Numiſmatibus VIRTUS & PAX apparent. Pax? inquit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen ad bellum electus fuerit? Pacem, regeſſit DULODORUS, procul dubio præferebat, ne belli author videretur, eâdem ſanè ratione & Virtutem habitu quietô, armatô tamen, expreſſit, procul dubio, ut pacem, ſi turbaretur, ſe armatâ manu tuiturum, oſtenderet. Magnum eſt ejus præconium, quod ex Ateriani verbis Pollio vulgavit; Magnum, ſed cùm libido id offuſcaverit, non magnoperè jactandum. Poſtumis ſublatis, ab Exercitu electus eſt

MARIUS.



Marium ex Fabro ferrario militem, & interemtis Victorino, Lolliano, & Poſtumo, Auguſtum, triduô tantùm imperâſſe, Trebellius Pollio tradit. Triſtanus noſter, ut reliquam ejus hiſtoriam, ita & Imperii brevitatem fabuloſam arbitratur, nec abs re. Numiſmatum multitudo, quæ ſupereſt, neſcio an triduô potuerit procudi. Triſtanus quatuor diverſa exhibet: Nos duo tantùm, quorum *primum* MILITUM CONCORDIAM, *ſecundum* autem AUGUSTI VICTORIAM exhibet: Victoriam, inquit ARCHÆOPHILUS, an trium dierum Imperator referre potuerit, dubitem. Si Triſtanum audias, reſpondit DULODORVS, Victoriam hanc non de obtentâ, ſed de obtinenda interpretaberis, quanquam quâ energiâ id credi poſſit, non videam, quaſi verò Victoria gradiens non potiùs Victoriarum continuationem ſignificet? In aliis ſanè Numiſmatibus ſub Severo & Caracalla præcipuè, non de obtinenda, ſed de obtenta, ejusmodi ſchema intelligitur. In Grutero p. 436. Inſcriptio talis legitur

M. MARIUS C. F. AUG.
VIVUS SIBI ET C. MARIO
FRATRI.

Et Cambdeno teſte, Monumentum ejus in Magna Britannia vidit Malmesburienſis, MARII VICTORIÆ inſcriptum; adeò ut & hinc conſtet, non tantùm in Gallia electum, ſed & Victoriarum gloriâ etiam in Britanniam Imperium extendiſſe. Mariô ſublatô, Imperium ſuſcepit

TETRI-

TETRICUS,



Cujus in Nummis VICTORIA COMES, & HILARITAS AUGG. visitur. An sub Victoria, Dea? an Victorini mater lateat? anceps disquisitio foret. Hâc suadente, suscepit Imperium: Et Illâ Comite pleraque feliciter gessit. Non hoc me angit, excepit ARCHÆOPHILUS. De Hilaritate quæsierim, quorum Augustorum ea fuerit? Pollio enim, filium ejus non *Augustum*, sed *Cæsarem*, testatur factum, unde fortassis ad Aurelianum hoc Numisma respicere arbitraberis. Nullô modô, respondit DULODORUS. Pollionem jam dudum rejecit Tristanus, idque vigore Numismatis, in quo Junior Victorinus non *Cæsar*, sed *Augustus* inscribitur. At in sequentibus,

TETRICUS FIL.



Excepit ARCHÆOPHILUS, non nisi *Cæsar* vocatur? Id ideo, regessit DULODORUS, quòd Augusti titulô nondum fulgeret, quanquam nec in his virtutis documenta desint. In *primo* PRINCEPS JUVENTUTIS non *puerulus*, ut eum Pollio vocat, sed jam armis maturus noscitur. In *secundo* Victoriam, AUGUSTI, scil. patris, COMITEM jactat & ipse, procul dubiô, ut ejus memoriâ se in patrias laudes exstimularet; Sed in Orientem migramus. Ibi Valerianô à Persis captô, Imperator appellatus est

FL. JUL. MACRIANUS.



Omnia Macriani, quæ hactenus prodiére, Numismata, non *Flavium Julium*, sed *M. Fulvium* nominant; At nostrum, integerrimum sanè, non *M. Fulvium*, sed *Fl.*

Julium appellat. Illa videri possunt apud Tristanum, Patinum, & Mediobarbum Biragum: Et ne de nostro dubitari possit, ad tribunal Per-Illust. SPANHEMII id detuli, Nummumque, quem integerrimum vides, indubiæ antiquitatis ejusdem judiciô, omni exceptione majore, didici. Nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, non Φ. ΙΟΥΛ, sed Φ. ΙΟΥΝ legitur, ultima enim litera N. est & non Λ. Rectè vides, respondit DULODORUS, cùm autem in Macriani Junioris Numismate, ut mox videbimus, non N. sed L. hoc loco occurrat: L. etiam eorum opinionem videatur fovisse, qui *Fulvium* dictum credidére, deniq; in Græcis litera, N. literam Λ. contineat, hæcque re ipsâ in Numismate, adjectâ illa virgulâ, quæ Λ. in N. mutat, evidentior sit, malim *Flavium Julium*, quam *Flavium Junium* hîc legere, non difficulter cessurus, si certius quid demonstretur. At miror, excepit ARCHÆOPHILUS, quî duplici ex Gente, *Flavia* scil. & *Julia* prænomina Macrianus trahat. Id insolitum non est, respondit DULODORUS. Illud potius in Græcis observes, quod E. ΣΕΒ id est Συσεβὴς Σέβαστος, *Pius Augustus* dicatur: Et in Capite, quòd *Laureatus* in nostro Nummo sit, qui apud Tristanum & Patinum *radiatus* visitur. Lauream, subjecit ARCHÆOPHILUS, ab aversæ Victoria videtur accepisse, hæc enim sinistrâ Palmam tenens Lauream porrigit, & cui? si non Macriano? Quanquam rei basis mihi obscura sit, Victoriam enim Macrianus nullam obtinuit, utpote qui Trebellio Pollione teste, *statim, ut Imperator est factus, rebus in Oriente utcunque derelictis, contra Gallienum venire cæpit, & ab Aureolo in Illyrico victus occubuit.* Ipsissima hæc Pollionis verba, respondit DULODORUS, Numismati famulantur. Macrianum ait, *rebus* in Oriente *utcunque derelictis* contra Gallienum processisse. Non reliquit ergo deperditas, quales erant Valerianô captô: sed aliquatenus restitutas, ita ut à Balista & Odenato, quos reliquit, eas absolvi, & in integrum restitui posse, confideret. Quis ex his non colligat, Macrianum aliquâ victoriâ contra Persas potitum, antequam Oriente decederet, suffragante conjecturæ tam rarô Numismate? Antequam ab Oriente decederet, Numisma percussum esse, adeòque ad victoriam quandam contra Persas obtentam pertinere, ex adjectis L. A. patet, quibus annus Imperii primus designatur; secundô enim à Domitio Aureoli duce demum occisus est. Patinus, excepit ARCHÆOPHILUS, quadraginta quinque militibus stipatum asserit, cùm vinceretur. Typographi is error est, respondit DULODORUS; tot enim *millia* memorant Authores; sed habitum Macriani notes velim. Thorace indutus est militari, nullâ Chlamyde Imperatoriâ eam inumbrante. Egregiè hoc suffragatur Zonaræ, qui *purpuram Imperialem nunquam Macrianum*, scripsit, *gestâsse, sed eam in filiis videre contentum fuisse.* Filiorum alter fuit

MACRIANUS JUNIOR.



Numiſmatis hujus Inſcriptio, præter unicum prænomen, evidentiſſima eſt. IMP. C.... VL. MACRIANUS P. F. AUG. & in averſa INDULGENTIÆ AUG. legitur. Si defectum ex ſuperiore ſuppleas, etiam hic F. JUL. leges. Certè veſtigia huic lectioni propiora ſunt, quàm ei, quæ *Fulvium* venditat. Diligenter Numiſma contemplor, ait ARCHÆOPHILUS, & fateor, *Fulvium* dici non poſſe, duæ enim lineolæ inter IMP. C. & VL. interjiciuntur, eæque tranſversâ quâdam quaſi in literam N. conjunguntur. Litera N. reſpondit DULODORVS, locum habere non poteſt, ego omninò virgulam primam cum tranſverſa ex litera F. reliquam, ſecundam autem ad ſequentes VL. pertinere, & ut dictum *F. JULium* intelligi, crediderim. Quicquid ſit, quod Nummi ſuppeditant, ſervare licebit, donec certius quid appareat. Averſa, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi fallor apud Triſtanum in Numiſmate Quieti occurrit. Rectè recordaris, reſpondit DULODORUS, cùmque eadem & in Numiſmate Macriani videatur, evidens utique eſt, indulgentiam utriusque fratris, Orientem, cujus ſidus affictum eſt, ſenſiſſe. Et quid ſi patrem his jungas? Si hiſtoria taceat, teſtem ſe ſiſtit Numiſma Occoni memoratum, in quo pater & filii, in ſugeſtu ſellis curulibus inſidentes, cum aſsiſtente à tergo Pallade, MACRIANUS OPTIMUS PRINCEPS, inſcribuntur. Sed valeat Tyrannorum ſeries? Gallienô interemtô ſucceſſit

CLAUDIUS GOTHICVS,



Cujus primum Numiſma, annô Imperii III. in Ægypto percuſſum, Aquilam, Lauream roſtro ferentem, exhibet. An ob devictos Gothos? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Omninò, reſpondit DULODORUS, *hôc enim factô, ut Pollio ſcribit, Ægyptii omnes ſe Romano Imperatori dediderunt, in abſentis Claudii verba jurantes.* Secundum Numiſma, perrexit ARCHÆOPHILUS, celebrat UBERTATEM AUGUSTI, quæ autem potuit fuiſſe, in Principe, ne triennium quidem Imperiô potito? Victoriis, reſpondit DULODORUS, eam Claudius paravit: Et fuiſſe, non Auguſti tantùm, ſed totius Reipublicæ Romanæ, ejusdem Authoris ſuffragiô conſtat: *Claudius*, inquit, *& ſecuritate Rempublicam, &* OPULENTIÆ NIMIETATE *donavit.* Sed alia ſubeunt,



Et Claudii Virtutem, & Spem Publicam adumbrantia. Spem publicam, excepit ARCHÆOPHILUS, acclamatio Senatûs oſtendit: *AUGUSTE CLAUDI, Dii Te nobis præſtent! Claudi Auguſte, Principem Te, aut qualis Tu es, ſemper optavimus! Claudi Auguſte, Te Respublica requirebat! Claudi Auguſte, Tu Frater, Tu Pater, Tu Amicus, Tu bonus Senator, Tu verè Princeps! Claudi Auguſte, Tu nos à Zenobia, & à Victoria libera! Claudi Auguſte, Tetricus nihil fecit!* Non fefellit Populum Romanum hæc Spes, ſubjecit DULODORUS. Claudius, tanquam alter Mars, Aureolum à Reipublicæ gubernaculis depulit: Gothorum, ut ipſe ſcripſit, CCCXX. millia delevit, II. millia Navium merſit, adeò ut jure meritò Mars Ultor in Nummo tertio vocetur; ultus enim eſt injurias Romanis Provinciis, totique adeò Imperio illatas: Jure meritò, in Numiſmate quartô, Jupiter Stator audiat; per eum enim Romana gloria ſtetit: Jure meritò ramum Oleæ præferat; bellis enim & victoriis pacem reddidit. In ſequentium



Prioribus,

Prioribus, inquit ARCHÆOPHILUS, ANNONA, LIBERALITAS, & VICTORIA se sistunt. De victoria, respondit DULODORUS, modò audivimus. Liberalitas & Annona, Victoriæ subsidia sunt, fortitudinisque fomes. *Quartum* Numisma MEMORIÆ DIVI ÆTERNÆ dicatum est: CONSECRATIONEM in *quinto* & *sexto* cernimus. De morte ejus Pollio ita scribit: *Finito bello Gothico, gravissimus morbus increbuit. Tunc etiam Claudius affectus morbo mortales reliquit, & familiare virtutibus suis cœlum petiit.* Frater ejus fuit

QVINTILLVS.



Quid veri his Nummis subsit, inquit ARCHÆOPHILUS, non video. VICTORIAM jactat; qui nullum hostem vicit: MARTEM PACIFERUM se fert, qui nullô præliô pacem vel quæsivit vel stabilivit: Et quid de PROVIDENTIA loquar? Quid de LÆTITIA? ejus, qui ultra septendecim dies non præfuit? Fateor, regessit DULODORUS, infausta fuit lætitia, cùm primordia Imperii fatalis de electo Aureliano nuncius turbaverit: Fragilis Providentia, cùm globum, sceptro suo subjectum, primis sub Imperii primordiis fortuna extorserit: In Marte pacifero intueor Imperatorem Exercitu quidem succinctum, sed pacem latè ostentantem: Sub Victoria, reliquias Barbarorum, Provincialium virtute obtritas, de quibus Pollio: *Quintillus Vir sanctus & sui fratris, ut ita dixerim, verè frater, delatum sibi omnium judiciô suscepit Imperium, non hereditarium, sed meritô Virtutum: Qui factus esset Imperator, etiamsi frater Claudii Principis non fuisset. Sub hoc Barbari, qui superfuerant, Anchialô vastatô conati sunt Nicopolim etiam obtinere. Sed illi Provincialium virtute obtriti sunt.* Secutus est

AURELIANVS.



Martem in *primo* Invictum legimus, novâ omninò in Numiſmatibus Inſcriptione, qualis ſub nullo adhuc Imperatore prodiit. Typus eò rarior eſt, quò apertius Mars invictus, cum Oriente, gloriam Orbis & devicti & conſervati partitur. Aurelianum Martis merita impleſſe, victoriæ teſtantur per Orbem celebratiſſimæ, & cum Sole victoriarum gloriam partitum, teſtantur & Hiſtoria & Numiſmata. Fl. Vopiſcum conſule, hiſtoria non deerit: Et ſi de Numiſmatibus quæras, non tantùm ea ſe ſiſtunt, quæ in Cimeliarchio El. Brandenb. fulgent, ſed & id, quod Triſtano Tom. III. p. 245. vulgatur, Sol Dominus Imperii Romani inſcriptum. Ambitioſa hæc ſunt, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & devota Ethnici Imperatoris lemmata. Suſpicio Numiſma, tam quòd Martios Aureliani ſpiritus dignô ſchemate expreſſit, quàm etiam, quòd epithetô Martem in Nummis hactenus incognitô efferat; Quid autem in *ſecundo* Concordia Aug. figuris ſtolatâ & ſagatâ dextras jungentibus, mediôque Solis capite? an ſtolata ipſam Concordiam, ſagata autem Aurelianum denotat? Fortaſſis, inquit DULODORUS; quanquam, & quidem potiore jure, figuram ſtolatam Severinam arbitrarer, adeò ut Concordia conjugalis hîc adumbretur; Ut tamen nec alteram opinionem rejiciam, facit Numiſma *tertium*, in quo togatus Imperator Concordiæ militum dextram porrigit. In *quarto*, excepit ARCHÆOPHILUS, majus dubium eſt. Virtus Augusti inſcribitur, & tamen duæ in eo figuræ haſtatæ viſuntur, quarum altera Victoriolam, altera globum tenet. Nummum hunc, repoſuit DULODORUS, ex *quinto* interpretaberis, in quo idem planè ſchema, Virtus Militum inſcribitur; Altera ſcil. figura, & quidni ea, quæ globum tenet, Imperatorem: altera autem, quæ Victoriolam præfert, Exercitum ſignificat, cujus virtuti Victoriæ debentur. In ſequentium

Primo



Primo eadem Aureliani Virtus per Martem gradivum cum captivo præfiguratur. Idem Mars gradivus, eſt etiam in Numiſmate *ſecundo*. Id me torquet, perrexit ARCHÆOPHILVS, video enim Trib. Pot. VII. cùm tamen ex hiſtoria certum ſit, Aurelianum ſextam Tribunitiam poteſtatem non excesſiſſe? Scio etiam Illuſtrisſimum Mediobarbum Biragum hoc dubium movere, ad Nummum Tr. P. VII. COS. III. ab Occone inſcriptum, putatque, aut in deſcriptione Occoni tranſmiſſa erratum, aut à Typographo minus diligenter annotatum; Sed Nummus noſter Occoni ſuffragatur, adeò ut nimis violenter Mediobarbum ad Tr. P. V. redegiſſe, vel hôc noſtrô conſtet. At Mediobarbus, regeſſit DULODORUS, non nudâ conjecturâ, ſed indubiis antiquæ ſuppellectilis monumentis aſſertum fulcivit. Inſcriptionibus, inquam, & apud Panvinium, & apud Gruterum exſtantibus; In iis enim expreſsè Tr. P. V. cum COS. DES. III. IMP. III. Et iterum, Tr. P. V. cum COS. III. conjungitur, quibus poſitis utique Tr. P. VII. cum COS. II. conjungi nullô modô potuit. Firma baſis eſt, ſubjunxit ARCHÆOPHILUS, & niſi fidem derogem vel Numiſmati, vel Inſcriptionibus, non video, quî rem conciliare valeam. Numiſma, id quod oculô judice conſtat, indubiæ antiquitatis eſt. Quid ergò, ſi eâdem audaciâ, quâ Nummum Mediobarbus mutiliavit, etiam Inſcriptiones truncâſſe & Panvinium, & Gruterum, arbitreris: idque ideò quòd & ipſi de ſeptima Aureliani Trib. Poteſtate dubitarent? Ne ſic quidem dubium ſolveris, reſpoſuit DULODORUS. Non tantùm enim ex Inſcriptionibus, ſed etiam ex hiſtoria patet, Tribuniciam poteſtatem VI. Aurelianum non excesſiſſe. Quid igitur? infit ARCHÆOPHILUS; Non Tribuniciam Poteſtatem VII. ſed IIII. hoc Nummo arbitrer ſignatam; Hanc enim cum Conſulatu ſecundo concurrere, nemo dubitat. Quî hoc fieri poteſt? quæſivit ARCHÆOPHILVS. Si primas duas unitates, reſpondit DULODORUS, Sculptoris incuriâ, inferioribus apicibus ſibi invicem paulisper approximantes, in V. coaluiſſe arbitreris, quod tamen reverâ non

non sunt. Quicquid sit, sub Marte victorias adumbrari, non minus ac in *tertio* planum est. Victorias Aureliani, excepit ARCHÆOPHILUS, ex Fl. Vopisco remetior: *Privatus adhuc erumpentes Sarmatas in Illyrico cum trecentis præsidiariis solus attrivit. Apud Maguntiacum Tribunus Legionis sextæ Gallicanæ, Francos irruentes, cùm vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemtis, sub corona vendiderit. A Valeriano* LIBERATOR ILLYRICI *&* GALLIARUM RESTITUTOR *appellatus est. Sub Claudio, Gothos à Thraciis submovit, contra Suevos & Sarmatas vehementissimè dimicavit, ac florentissimam* VICTORIAM *retulit. Imperator Marcomannos superavit. In Thracia & Illyrico Gothorum ducem Cannabum sive Cannabaudem interemit; in Oriente Zenobiam & Zabam Elagabali ope superavit: Firmum in Ægypto oppressit, Tetricum in Galliis perterruit, Triumphumque duxit, non tam de Oriente, quàm de toto terrarum Orbe.* Ex his omnibus non de Victoriis tantùm, sed & de *Genio Illyriciano*, & *Restitutore Orientis* docemur. Genius Illyricianus, regessit DULODORUS, non tantùm res in Illyria gestas, sed & acceptum ibidem ab Exercitu Imperium in memoriam revocat. Ad Solem notandum, Solis Sacerdotem fuisse Aureliani Matrem: Notandum, Solem pateræ insculptum, quam à Persarum Rege acceperat, Imperii præsagium fuisse. Sed non Orientis tantùm, imò quod ex sequentibus



Patet, etiam ORBIS RESTITUTOR Aurelianus audiit. Idem Vopiscus suffragatur: *Divum Aurelianum*, inquit, *Clarissimum Principem, severissimum Imperatorem, per quem totus Romano nomini* ORBIS *est* RESTITUTUS, *posteri nescient?* Et alibi: *Princeps igitur totius Orbis Aurelianus, pacatis Oriente, Gallis, atque undique terris, Romam iter flexit, ut de Zenobia & Tetrico, hoc est de* ORIENTE *&* OCCIDENTE *Triumphum Romanis oculis exhiberet.* Et tandem: *Quicquid scelerum fuit, quicquid malæ conscientiæ, vel artium funestarum, quicquid denique factionum Aure-*

lianus

lianus Toto *penitus* Orbe *purgavit.* Succurrit & Inſcriptio Gruteriana, inquit ARCHÆOPHILUS, quam Cel. Patinus citavit, cujus in Numiſmate Victoria Imperatorem coronat In propoſito fœmina ſtolata eſt, locô cujus Triſtanus Fortunam ſubſtituit; Sed in noſtro quid obſtat, ut ipſam Terram ſive Terrarum Orbem arbitremur, quæ & ſub Hadriano, ſtolatæ mulieris inſtar, Reſtitutorem ſuum veneratur? Quicquid ſit, inquit DULODORUS, Romæ æternitati Aurelianum laborâſſe, Numiſma *tertium* arguit. Non vano id titulo; Muros enim Urbis Romæ ſic ampliavit, ut quinquaginta propè millia, murorum ejus ambitus teneat, referentibus Vopiſco, Victore, aliiſque. In *quarto* Nummo eſt Genius Exerciti, antiquô loquendi modô pro *Exercitûs:* In *quinto* Militum Fides, duabus figuris medium globum tenentibus, apertô modeſtiæ Imperatoriæ indiciô, quâ Orbis Imperium non tam ſibi, quàm militum fidei acceptum fert. Ritè hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, quanquàm & Dii in partem veniant. In *ſexto* Numiſmate Jupiter, Imperatori globum porrigens, Conservator inſcribitur, an Orbis? an Imperatoris? Utriuſque, reſpondit DULODORUS. Sed ad alia tranſimus. Aureliani Uxor fuit

SEVERINA.



Hæc in *primo* Numiſmate Junonem Reginam, in *ſecundo* Concordiam Militum, & in *tertio* Providentiam Deorum exhibet. Sub Concordia, inquit ARCHÆOPHILUS, ipſam Severinam latere, Triſtanus ait. Imò, reſpondit DULODORUS, etiam *Concordiam* appellatam, arbitratur Cel. Patinus, qui & ſub Sole Numiſmatis *tertii*, Aurelianum agnoſcit. Sed Pietas opinionem, ſi non rejicit, tamen dubiam facit. Aurelianum certè Victorias & Imperium, non ſibi, ſed Diis acceptas tuliſſe, ſatis evincit templum Solis, quod magnificentiſſimum conſtituit: Evincit Epiſtola, quâ Marcomannis urgentibus, fatales libros inſpici juſſit, adeò ut Ulpius Crinitus, tantam Principis virtutem arbitrantibus, ut opus non eſſet, Deos conſuli, jure reſponderit: *quaſi & ipſe Vir Magnus non Deos colat, non de Diis immortalibus ſperet?* Quorſum hæc, excepit ARCHÆOPHILUS. Ut pateat, reſpondit DULODORUS, nec Aurelianum ſub Sole, nec Severinam ſub Concordia militum latere, ſed verè ſub Diis non alios intelligendos, quàm Solem & Concordiam, quorum ille Imperium Aureliano portendit & victorias peperit, hæc militum animos conciliavit. Si ſub Concordia,

ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Severina non lateat, multò minus latebit ſub Junone Regina, quam tamen & ipſam Majeſtatis indicem Nobl. Patinus ſtatuit. De Majeſtate non dubitem, regeſſit DULODORUS, quidni autem, ut ſuprà Aurelianus Jovem Conſervatorem coluit, hîc Junonem coluiſſe credatur Severina? Sub Aureliano floruit

VABALLATHVS,



Quem Odenathi filium, ex priore Uxore, Patinus prodit. Triſtanus Herodis filium facit, adeoque Odenathi nepotem, ratione, ut quod ſentio, fatear, incertâ; Quid enim obſtat, ut Odenathi & ipſe ex priore matrimonio filius, Herodiani autem frater natu minor fuerit? Hâc ratione non opus erit Vopiſcum corrigere, ſed plana erit lectio, quando ait: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Balbati* (Vaballathi) *filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani, Imperium tenuiſſe, quod tenuit.* Si Numiſma ſuffragaretur, inquit ARCHÆOPHILUS, aſſentirer, cùm autem nec *Odenathi*, nec *Herodis* aut *Herodiani*, ſed *Athenis* filius in eo legatur, cum hoc potius ſentirem. Numiſma nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, duo enim nomina Orientalibus fuiſſe, idem Triſtanus docet, indeque facilè colligas, alterum Odenathi Hiſtoriis, alterum Athenis Numiſmatibus ſervari, reverâ autem & Odenathum & Athenem, non niſi unum fuiſſe. Imò & alia adhuc conjectura ſubit, quæ ſi valeat, Vaballathum Odenathi filium apertè demonſtrabit. Quid ſi nomen *Odenathus* ab Αθῆνος formatum ſit? Si literas initiales Od. auferas, reliquasque transponas, utique Αθῆνος clariſſimè prodibit. Ingenioſè hoc, excepit ARCHÆOPHILUS, an verè, dubitem, cum in Græcis Odenathi Nummis non ΑΘΗΝΟΣ, ſed ΟΔΕΝΑΘΟΣ legatur. De duplici nomine magis placet, video enim etiam Vaballathum duplex nomen *Hermiæ* ſcilicet & *Vaballathi* habere. Ita hactenus Celeberrimi Antiquariorum, reſpondit DULODORUS; ſed pace horum dixero, in Numiſmate noſtro non ΕΡΜΙΑΣ, ſed ΕΡΩΙΑΣ legitur; Non enim litera M. ſed Ω. in medio viſitur: Et quid ſi hinc alia pro Odenathi filio conjectura ſubeat? Si enim filius natu major vel Herodes, vel Herodianus dictus eſt, quidni minor diceretur Heroias? additô & alterô *Vaballathi*, quod Syris *Solem* notare, Triſtanus ex Photio docet? Quicquid ſit, triennio ante Aurelianum Vaballathum regnâſſe, ex numeris adjectis conſtat, quibus Αυτοκράτωρ deſignatur. Aureliani partibus eum faviſſe, capita utriusque juncta evincunt. Apud Triſtanum eſt & diverſus capitum ornatus: Ubi Aurelianus radiatus, ibi Vaballathus eſt Laureatus: Ubi ille Laureatus, hîc Diadematus apparet. In noſtro res ſecus ſe habet, uterque enim Laureatus viſitur. Plura hauriri poſſunt ex allegato Triſtano. Aureliano ſucceſſit

TACI-

TACITUS.



Ambitiosa *primi* Numismatis inscriptio est, & sub Tacito hactenus ignota. RESTITUTOREM ORBIS coronat Victoria, eôque ipsô indicat, non tam ob correctos Reipublicæ mores, quàm ob rejectos, qui à Mæotide eruperant, Barbaros, Numisma percussum esse. An hoc factum, reposuit ARCHÆOPHILUS, lemmati respondeat, valdè dubito. Imperator in Nummo habitu militari fulget; *Tacitus autem*, ut apud Vopiscum legimus, *non fortia facta, sed Imperatore digna consilia se fassus est allaturum.* Indè fortassè non abs re, aversam hanc ad Aurelianum pertinere, conjicias, utpote in quo inscriptio hæc jam suprà apparuit. De Aureliano, inquit DULODORUS, res indubia est, sed idem elogium pluribus interdum datum esse, quis nescit? Aureliani hanc aversam non esse, ex Nummorum collatione patet. Quod meritum Taciti concernit, licet Orbem omni ex parte non restituerit, restituit tamen ex parte ea, quâ periclitabatur. In *secundo* Numismate MARTIS PACIFERI schema, in *tertio* CLEMENTIÆ TEMPORUM inscriptum, Pacificum Taciti ingenium exprimunt, quòd vires militum non ad bella ferenda, sed ad pacem parandam contulerit. Imò & tuendam, subjecit ARCHÆOPHILUS, id enim collegeris ex SECURITATE PERPETUA Numismatis *quarti.* Securitatis fulcrum, regessit DULODORUS, est PROVIDENTIA non DEORUM tantùm, sed & AUGUSTI, quæ *quinto & sexto* Numismate fulget.

fulget. Providentiæ autem, Princeps is demum satisfacit, qui ÆQVITATEM colit, quæ *septimo* in Nummo radiat. Æquitatis autem amantem Tacitum fuisse, testimoniô Vopisci constat. *Cavit*, inquit, *si quis auro argentum, aut si quis æri plumbum miscuisset, capitale esset: Cavit, ut servi in Dominorum capita non interrogarentur*, &c. Hæc ut ut se habeant, Tacitum tamen nec Marti defuisse, etiam ex sequentium



Primo colligas, in quo Mars armatus VIRTUS AUGUSTI inscribitur: Patet ex *secundo*, in quo FIDEM MILITUM jactat: Et ne omnes Taciti statuas Togatas arbitreris, audi quæ Vopiscus in Floriano: *Imago Taciti posita est in Quintiliorum, in una tabula quintuplex, in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel venatorio habitu.* Lepida senis mutatio? exclamavit ARCHÆOPHILUS, & digna, in quam Epigrammatarius: *Non agnosco senem armatum, non chlamydatum, sed agnosco togatum!* Quicquid sit, respondit DULODORUS, Felicitatem tamen temporum, & Pacem publicam, & Virtute & Fortunâ suâ Tacitus, quoad licuit, stabilivit. Testes sunt Numismata *tertium* & *quartum*: Testis & Senatûs lætitia, quâ, electô Tacitô, in antiquum statum rediisse Rempublicam, memoratur gloriatus. Sed brevis illa felicitas fuit. Sexto Imperii mense, sive insidiis militum, sive morbo Tacitus exstinctus est, Imperiumque non Senatûs authoritate, sed suô motu arripuit Taciti frater,

FLORIANUS.



Etiam Hic, excepit ARCHÆOPHILUS, Virtutem jactat, & bellicam quidem, & Imperio tutando, id quod imposita globo hasta, ad oculum monstrat. Eam sub fratre ostenderat, respondit DULODORUS, cùm irruentes Gothos & ipse reprimeret; In Imperio autem Numismatibus dignum quid egit? Tempora

pora felicia non fuére, quibus affulgens etiam Senatûs Lætitia, & Imperii juventas concidit. Et quid de Clementia dicam, cùm nec Imperatoribus pepercerint? Succeſſit

PROBUS,



Licet diuturnioris ſimul, & glorioſioris Imperii, exitûs tamen non felicioris Imperator. Virtutem militarem etiam Hic jactat, & verè quidem; Non enim armatus tantùm caſtris præfuit, qualiter in *primo* Numiſmate; Sed & hoſtes proſtravit, qualiter in *ſecundo:* Trophæa retulit; qualiter in *tertio:* Pacem reſtituit, qualiter in *quarto* præfiguratur. Virtutibus fulſit etiam juvenis, Valerianô teſte: Virtutibus ejus manere Capitolinam palmatam, Tacitus ſcripſit: Ubique vigere Probi virtutis inſignia, vox Manlii Statiani in Senatu fuit, cùm eligeretur: Et ſi hoſtes devictos deſideres, Germani ſunt, quos cæſis quadringentis millibus ultra Nicrum & Albim rejecit: Sarmatæ ſunt, quos in Illyrico contudit: Getici Populi omnes, quos per Thracias incedens preſſit. In Oriente Iſauriam à Palſurio latrone liberavit: Blemmyas ſubegit: Copton & Ptolemaidem Barbarico ſervitio eripuit: Ut taceam Gepidas, Gautunnos, Vandalos, quos fidem frangentes variis victoriis oppreſſit: Taceam Saturninum, Proculum, & Bonoſum, Tyrannos, quorum illum in Oriente ſuperavit, hos in Gallia vicit. Egregia hæc, excepit ARCHÆOPHILUS, dignaque, quæ Numiſmate *quinto* ſub Martis Victoris elogio conſecrarentur, in *ſexto* autem Romæ Æternæ dedicarentur. Ritè judicas, inquit DULODORUS; Vopiſco enim teſte, Quinquennio Imperii ſui, per totum Orbem terrarum, tot bella geſſit, & quidem per ſe, ut mirabile ſit, quemadmodum omnibus occurrerit præliis. Glorioſa fuit tumuli ejus inſcriptio, quâ *Victor Omnium Gentium Barbararum, Victor etiam Tyrannorum* ferebatur. Hinc ſanè & conſtat, quid in ſequentium



Primo, Victoria Augusti Quadrigis invehatur. Triumphum denotat, quem de Germanis & Blemmyis duxit, omnium Gentium Drungas, usque ad quinquagenos homines, in triumpho ducens. Hæc cum ita sint, inquit ARCHÆOPHILUS, nihil mirum, quòd in *secundo* Numismate Felicitatem Temporum jactaverit; At mirum quòd Temporum Clementiam in *tertio* & *quarto*, cùm tamen ipsius Imperium adeò rigidum fuerit, ut & in Satyra Juliani, Silenus eum hac de causa redarguat. Rigor Probi, respondit DULODORUS, non sæviit, sed vitia correxit: Otiosum militem passus non est, & hoc Silenus in eo reprehendit, ex eventu rem dijudicans. Sed Clementia temporum, rigore hôc non excluditur, sed promovetur. Quæ enim tempora clementiora, quàm quibus militaris licentia coërcetur? Hâc sub Imperio quiescente, & Pax refloreſcit & Securitas, quarum illa Augusti, hæc Perpetua in Numismatibus *quinto* & *sexto* vocantur. In sequentium

Ultimo



Ultimo, SECURITAS, non temporum, ſed SÆCULI inſcribitur: Nec mirum, cùm Minerva in primo, AUGUSTI COMES vocetur: Et ipſe in *quinto*, HERCULIS PACIFERI ſchemate ramum Oleæ prætendat. Unica Probi vox ſufficienter hæc illuſtraverit: *Brevi milites neceſſarios non futuros*, Victorioſus Imperator jactavit. Is, inquit ARCHÆOPHILUS, qui milites in Numiſmate *ſecundo*, & mole & metallo fulgidiſſimo, alloquitur? Qui in *quarto* tropæum Germanorum capivitate, & in *tertio* Adventum ſuum ſtrage hoſtium nobilitavit? Is ipſe, repoſuit DULODORUS, ideo enim id pronunciavit, quod hoſtes victoriis ſubactos, contra nominis ſui terrorem nunquam reſurrecturos confideret. Quanquam interim, ut ex aliis patet,

Militum



Militum nec Fidem, nec Concordiam neglexerit; sed omni, & Abundantiâ beaverit, & Providentiâ foverit. Nec Milites tantùm, imò & totum terrarum Orbem, id quod ex Providentiæ globo patet. In *quinto* & *sexto*, infit ARCHÆOPHILUS, etiam Æquitas & Pietas fulgent. Æquitatem, regessit DULODORUS, præcipuè in dividundis prædis ostendit; Nihil enim sibi, præter tela & arma, servavit. Ad Pietatem notandum, vocem præter genium Latinitatis per diphthongum scriptam esse. Et quis de Pietate dubitaret? si in sequentibus



Non

Non tantùm Salutem Deam, *Salutem Augusti:* non tantùm Solem Deum, *Conservatorem Augusti* & *invictum*; sed & Jovem ipsum, *Probi Augusti Conservatorem* inscriptum legerit? Sed ad alia transimus. Probum excepit

C A R U S.



Primum Numisma, Carum Romam venisse, etiam tacente historiâ, docet. Imperii initiô id factum crediderim; Postquam enim in Sarmatas movit, Romam reversus non legitur, sed in Persidem perrexit, ibique interiit. Adventum Cari video, inquit ARCHÆOPHILUS, an autem Romam? an ad Exercitum advenerit? in dubio est. Adventum ad Exercitum, respondit DULODORUS, in Nummis nullibi intelligimus, & quî id fieret in Caro, cùm Præfectus Prætorio Probum comitaretur, & eô occumbente Exercitui interesset? Credibilius sanè, consuetô Imperatoribus more, ut Solium firmaret, eum Romam contendisse, eumque adventum Numismate signatum esse. Id vel inde patet, quòd Sarmatæ, morte Probi auditâ, invasuros se non Illyricum solùm, sed Thracias quoque, Italiamque, memorantur minati; Quomodo enim hoc fuissent ausi, nisi per absentiam Imperatoris? Quicquid sit, Herculeam Cari virtutem experti sunt & Sarmatæ & Persæ. Illorum sedecim millia occidit, viginti millia diversi sexûs cepit. Horum fines ingressus, Ctesiphontem usque pervenit: Adeò non vanum est, quòd *invictus* audiat: non vanum, quod ejus Victoria bigis insistat. Non hoc mihi dubium movet, subjecit ARCHÆOPHILUS, sed pacem miror, quæ *quarto* in Numismate, *Augusti* vocatur & graditur, cùm tamen totum Cari Imperium bellicis expeditionibus defluxerit. Eâdem ratione, regessit DULODORUS, posses etiam mirari, quî in sequentium



Primo, Pax Augg. & in *ſecundo*, Pax Exerciti prodeat, inſcriptione in aliis Numiſmatibus inſolitâ; Sed Auguſti inter ſe concordes, licet cum exteris bellum gerant, quidni Pacem Augg. jactent? Ita & Exercitus nullis ſeditionibus, nullô diſſidiô agitatus, quidni *Pacem Exerciti*? Rem capio, excepit ARCHÆOPHILUS, de Auguſtis autem non liquet. Annon Carus ſolus eâ dignitate fulſit? Carinus, niſi fallor, & Numerianus poſt Cari mortem *Auguſti* appellati ſunt. Ita Authores, & tamen Numiſmata vivente adhuc Caro, non Carinum tantùm, ſed & Numerianum docent *Auguſtos* eſſe dictos; Non enim tantùm Augg. ſed Auggg. ſub Caro leguntur: Neque tamen Triſtani aſſertum locum meruerit, qui Carum ſtatim in Imperii initiô filios *Cæſares*, devictis autem Sarmatis, *Auguſtos* appellâſſe ſcribit; Ex Numiſmatibus enim conſtat, Carinum *Auguſti* appellationem ante Numerianum accepiſſe; Aliâs enim non Augg. ſed ſemper, Auggg. in Nummis ſcribendum fuiſſet, cùm tamen hoc rarius fiat, apertô teſtimoniô, non niſi vergente ad occaſum Caro, id nominis Numeriano fuiſſe delatum. Carinum autem id accepiſſe, cùm Galliis à Patre præficeretur. Qua neceſſitate hoc ſtatuamus, inquit DULODORUS, non video, geminatum enim G. etiam Cæſares comprehendere ſolet. Philippi Junioris Numiſma aureum, licet ipſe *Nobilis Cæſar* appelletur, nec quiſquam præter patrem *Auguſtus* eſſet, tamen in averſa Pietas Augg. inſcribitur, eôdem modô, quô & Carini Numiſma, aliaque plura apud Illuſt. Mediobarbum. Ut ita non videam, quâ neceſſitate Cari filios, patre vivente adhuc *Auguſtos* dictos, ſtatuere debeamus? Quicquid ſit, utrinque tamen lux affulget & Numiſmati *tertio*, in quo Victoria globo inſiſtens, aſſidentibus utrinque Captivis, Victoria Augg. inſcribitur; Quid enim ſub ea intelligeres, ſi non Victorias tam in Oriente à Caro, quàm in Occidente à Carino relatas? Si de Carino conſtaret, perrexit ARCHÆOPHILUS, aſſurgerem placito. De Carino videbimus, repoſuit DULODORUS, ubi Cari conſe-

Consecratio innotuerit, quæ *quarto* & *quinto* in Numismate habetur. Consecrationem, infit ARCHÆOPHILUS, apud Authores non legi, nisi tonitrua ejus speciem arbitreris præbuisse; Constat enim, tanta sub ejus mortem incidisse, ut & fulminibus absumtus quibusdam crederetur. Quicquid sit, regessit DULODORUS, consecratum Numismata ostendunt, & *Divum*, etiam post mortem, Nemesianus Poëta appellat, ubi ad Carinum & Numerianum:

Divi *fortissima pignora* Cari!

CARINUS



Subit, cujus Virtus in *primo* Numismate per Herculem signatur. Quid Herculis habuit, quæsivit ARCHÆOPHILUS, si non stupra & libidinem? Imò & Victorias, respondit DULODORUS, de iis enim, non minus ac de victoriis Numeriani, idem Nemesianus canit:

Mox vestros meliore lyrâ memorare triumphos
Accingar, Divi *fortissima Pignora* Cari!
Atque canam nostrum geminis sub finibus Orbis
Litus, & domitas fraterno numine Gentes,
Quæ Rhenum Tigrimque bibunt, Ararisque remotæ
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.

En Gentes domitas, quæ Rhenum & Ararim bibunt, Galliæ fluvios, cui Carinus præfuit! En Triumphos, qualis & in Nummo *secundo* visitur! Ad Triumphum Tu has Quadrigas? infit ARCHÆOPHILUS. Ego ad Processum Consularem referrem; Consulatus enim ex Inscriptione patet. Si ad Processum Consularem hæ Quadrigæ pertinerent, inquit DULODORUS, fortiore argumentô Carinum vivo adhuc parente jam *Augustum* fuisse evinceres. Sed ego ad Triumphum Numisma pertinere, ex ramo colligo, quem prætendit: Nam in processu Consulari utplurimum scipionem eburneum cum insidente Aquilâ præferebant: Nisi utrumque & Processum & Triumphum, hîc conjunctum arbitreris, qualiter juncti sunt in Numismate Maxentii apud Per-Illust. SPANHEMIUM in Diss. p. 705. In sequentium



Primo, Pietas Augg. Carinô adhuc Cæſare expreſſa, etiam Cæſares ſub Augg. appellatione latere evincit, id quod etiam ad Numiſma quintum aſſerueris. Signa Pontificalia Carinum in Collegia Pontificum oſtendunt cooptatum. In *ſecundo* Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, Pietas Augg. per Mercurium exprimitur. Id ideo, regeſſit DULODORUS, quòd, uti jam ſuprà docui, Mercurius Religionum inventor fuiſſet. Ita & in *tertio* Numiſmate Felicitas Publica columnâ nititur, quòd firma crederetur: Et in *quarto* Felicitas Sæculi, per Imperatorem, haſtâ Orbem protegentem, adumbratur, quòd ipſam Carini virtutem & victorias reſpicit, quæ in *quinto* & *ſexto* radiant. De virtute, inquit ARCHÆOPHILUS, eſt locus Fl. Vopiſci. *Non ei defuit ad vindicandum ſibimet Imperium vigor mentis, nam contra Diocletianum multis præliis conflixit.* Sed alia adhuc ſubeunt,

Quorum



Quorum in *primo* & *secundo* PRINCEPS JUVENTUTIS, vel ſignum militare & haſtam, vel globum & haſtam tenet. Illud, reſpondit DULODORUS, ad militiam pertinet, hoc ad regimen Orbis; Alterum MILITUM FIDE nititur, quæ *tertiô* in Nummo viſitur, Alterum ÆQVITATE, quæ in Numiſmate *quarto:* Utroque ÆTERNITAS Auguſtis conciliatur, quæ in *quinto* radiat, Phœnice globo inſiſtente. De Phœnice, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, plura Per-Illuſt. SPANHEMIUS, quâ ſolet Eruditionis ἀκριβεία & profunditate congeſſit, ubi & Claudiano *æternam avem* notat dictam: Procul dubio, quòd poſt funera reviviſcere crederetur. Inde certè clarum eſt, Carinum & Numerianum, ut ipſi, poſt funera Parentis, in Auguſtam dignitatem ſucceſſére, etiam in Poſteris ſuis eam felicitatem ſperaſſe. Optimè hoc, excepit DULODORUS, figura enim muliebris in Nummo *Spes* eſt, id quod ex ſtola intelligis, quam Spei inſtar à tergo dependentem tollit. Sed eventus rem deſtituit, in Carino quidem dignô, in Numeriano autem indignô moribus fatô. De illo vidimus: Videamus & de hoc!

NUMERIANUS.



In *primo* Numiſmate, & ipſe PIETATEM expreſſit, ſed jure, quàm frater, potiore. Mercurius, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam Eloquentiæ ſymbolum eſſe poſſet; Mercurius enim interpres Deorum fuit: Et Numerianum publicè declamâſſe, Statuæque ejus:

NUMERIANO CÆSARI
ORATORI TEMPORIBUS SUIS POTENTISSIMO.

Subſcriptum fuiſſe, ex Fl. Vopiſco conſtat. Laudes ejus, reſpondit DULODORUS, Calpurnius Poëta luculenter expreſſit, cujus, ad PACEM Numiſmatis *quarti*, & CLEMENTIAM TEMPORUM Numiſmatis *quinti*, addi poſſent, quæ pluribus vaticinatur Faunus; Sed apertius Corydon:

Mihi, qui noſtras præſenti Numine terras,
Perpetuamque regit juvenili robore PACEM,
Lætus, & Auguſto felix arrideat ore!

De Numeriano fatur, cujus Calpurnius ab Epiſtolis erat. Non Pax tantùm & Clementia temporum, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed & VIRTUS AUGG. in *ſecundo*, & MARS VICTOR in *tertio* viſuntur. Et Virtus quidem, cum Statua Numeriani, Victoriolam Orbi inſiſtentem fratri porrigentis: An quod Orbem deviciſſet? Orbem fortaſsè Perſicum aut Orientem intellexeris, regeſſit DULODORUS; Patre enim mortuô Numerianus Perſas perſecutus eſt, hoſtes devicit, & Babylonem cepit, id quod ex Nemeſiano diſcimus, de Carino canente:

— — *Utque intima Frater*
Perſidos, & veteres Babylonis ceperit arces
Altas, Romulei violata cacumina Regni;

Quan-

Quanquam, quod notandum, Martis Victoris elogium ad Victorias paternas potius pertineat, cùm in Numiſmate non Auguſtus, ſed Nobilis Cæſar audiat, ſecus ac in ultimo Nummo, UNDIQVE VICTORES inſcripto, id quod ad Numerianum & Carinum pertinet, Hôc in Occidente, Illô in Oriente, hoſtes vincentibus, quò captivi utrinque aſſidentes pertinent. In ſequentibus



Eſt ORIENS AUGUSTORUM, quod non mirum eſt, ſive Principis ætatem reſpicias, ſive Virtutis theatrum. In Oriente gerebat bellum, & novus ipſe, poſt patris occaſum, quaſi *Oriens*, Orbem tractabat, cùm Numiſma percuteretur. In *ſecundo* eſt FIDES EXERCITUS AUGUSTORUM, & in *tertio* JUPITER VICTOR. Fidem Exercitûs jure jactat Numerianus; Non enim, quod fieri iis temporibus ſolebat, Imperium venale expoſuére, ſed Imperatoriæ ſtirpi adhærentes, Numerianum non tantùm vivum Victoriis mactârunt, ſed & è vivis ſublatum, acriter ulti ſunt. Ad Jovem quidni ſubjiciam Calpurnii ad Numerianum verſus?

Tu quoque mutatâ, ſeu JUPITER, *ipſe figurâ*
Cæſar ades! Seu quis Superum ſub imagine falsâ,
Mortaliq́ue lates! vivas, atq́ue hunc precor Orbem,
Hos precor æternis populos rege! Sit Tibi cœli
Vilis amor, cæptamq́ue pater ne deſere terram!

Nimis maturè, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, terram deſeruit Numerianus. In *quarto* Numiſmate video CONSECRATIONEM, quâ Gentilium ex perſuaſione cœlum occupavit. Succeſſit

DIO-

DIOCLETIANUS,



Inquit DULODORUS, cujus in Numiſmatibus quid communius, quàm Jupiter? Propoſitorum *Primum & Secundum*, Jovi Augg: *Tertium*, Jovi Tutatori Augg: *Quartum* Jovi Conservatori: *Quintum & Sextum*, Jovi Conservatori Augg: *Septimum*, Jovi & Herculi Conservatoribus Augg. inſcribuntur. Id video, infit ARCHÆOPHILUS, & miror hominis arrogantiam, qui non dubitaverit, ipſi Jovi ſe æquiparare. Vulgata hæc, reſpondit DULODORUS, Antiquariorum ad hæc Numiſmata ratio eſt; Sed dubitari poteſt, an res ubique procedat? Dubitari? excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen non Numiſmata tantùm, in quibus Jovi Aug. ſive *Jovi Auguſto* legitur, ſed & ipſum *Jovii* cognomentum, quod aſſumſit, eam indubiè evincant. In Numiſmatibus, reſpondit DULODORUS, non tam *Jovi Auguſto*, quàm *Jovi Auguſti* legendum arbitrarer; Id enim ex propoſitis clarum eſt, in quibus Jovi Augg. utique non *Jovi Auguſtis*, ſed *Jovi Auguſtorum* legi debet, eâdem ferè ſignificatione, quâ in reliquis plenius *Jovi Tutatori* & *Jovi Conſervatori Augg.* Cognomen *Jovii*, non tam Diocletiani arrogantiam notat, quàm Zelum pro Jovis cultu, quem effuſus Chriſtianorum ſanguis abundè teſtatur. Sanè, qui ne Collegis quidem ſuis ſe ſuperiorem tulit, ſi Juliano fides: Qui Deorum providen-

tiam


tiam, ſuam quietem putavit, uti mox videbimus: Qui tandem faſtigio Romani Imperii ſuâ ſponte deceſſit, privatusque ad finem uſque vitæ duravit, vix eſt, ut Jovem de Monarchia Cœli voluerit deturbare: Potiùs in Jovis tutela, non ſuam tantùm, ſed & Collegæ ſui, Maximiani Herculei, ſalutem eum repoſuiſſe, ex Numiſmatibus, *tertio, quinto* & *ſexto*, clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit. Hæc ut ut ſe habeant, Jovis tamen figurâ eum in Nummis quibusdam effictum, non negaverim; Quid enim ſi in *quarto* Reſpublica Romana Diocletiani, ſub *Jovis Conſervatoris* elogio & habitu, Statuam credatur poſuiſſe? Quid ſi in ſequentium



Primo, eidem ſub ſchemate Jovis Conservatoris Orbis? Id eo credibilius eſt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quò apertius Sextus Aurelius Victor, & Caſſiodorus, & Jornandes teſtantur, *Diocletianum adorari ſe, ut Deum, præcepiſſe*. Sed quid in Numiſmate *ſecundo?* an eidem Diocletiano Statua ſub Jovis Fulgeratoris elogio credatur erecta? Et quid ad pedes Jovis? An homo proſtratus Serpentinis pedibus innititur? Omninò, inquit DULODORUS. An neſcis Typhœum terræ filium, qui ſerpentinis pedibus Jovem, de Cœli poſſesſione cùm conaretur detrudere, ab hoc fulmine percuſſus, & ſub Nerinen Inſulam, ut quidam, ſub Siciliæ Ætnam, ut alii, detruſus eſt? Videri de eo poteſt Virgilius, Ovidius, Lucanus, Aliique. Si hunc in Numiſmate intelligas, excepit ARCHÆOPHILUS, utique ſub Jove hoc ipſe Diocletianus latebit, Tyrannum aliquem, & quid ſi Achilleum? Imperium ſibi vindicantem deturbans? Opinio fulcitur ſanè Pomponii Læti teſtimoniô, cujus hæc ſunt: *Jupiter Gigantes, ut cœli Regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, ut Orbis terrarum Regiam tueretur, tyrannos ſurgentes, ut Centimanos diligenti curâ perdidit ac delevit: Et ut Jupiter turbata pacavit elementa, ſic Diocletianus, domitis ac cæſis ſeditioſis hominibus, Imperium turbatum tranquillum reddidit.* Quid clarius dici poteſt? Opera Jovis Diocletianum imitatum, reſpondit DULODORUS, jam ſuprà faſſus ſum, & ſi eô ſenſu Jovem Typhœo infeſtum expreſſum arbitreris, non habeo, quæ opponam. Quanquam & alia ratio ſe ſiſtat. Penitius Diocletiani genium conſiderans, vix dubitarem, Jovem Typhœo infeſtum ideò expreſſum eſſe, ut Chriſtianos, qui verè Jovem Ethnicum de cœli poſſeſſione detrudere conabantur, non minus ac Typhœum, fulminibus oſtenderetur perituros. Arguta conjectura eſt, perrexit ARCHÆOPHILUS; Sed quid *tertium* Numiſma, Herculi Conservatori dicatum? Idem, regeſſit DULODORUS,

 quod

quod præcedentis tabulæ Numiſma ultimum, *Jovi & Herculi Conſervatoribus Augg.* inſcriptum. Non Jovem tantùm, ſed & Herculem colebat Diocletianus, non minus ac Apollinem, & Serapidem, uti ex ipſius Nummis patet: quanquam Hercules præcipuum, non Diocletiani, ſed Maximiani fuerit Numen. In ſequentium



Primo & *tertio*, Conſulatus, vel quartus, vel ſeptimus, cum Pro-Conſulatu junctus eſt, ipsô Imperatore togato, & Κοσμοφόρῳ, vel ſedente, vel ſtante. Proconſules, inquit ARCHÆOPHILUS, dicebantur, qui Conſulatum geſſerant; Quomodo igitur Conſulatus & Proconſulatus poſſunt jungi? Non à geſto Conſulatu, reſpondit DULODORUS, ſed ob Proconſulare Imperium, cum reliquis Majeſtatis inſignibus conceſſum, Cæſares *Proconſulares* vocari, *Magnus* noſter SPANHEMIUS probat, Diſſ. VIII. p. 708. ſeqq. Dicebantur autem *Proconſules*, authore Dione, quoties extrà pomerium erant. Numiſma *ſecundum* PROVIDENTIAM AUGG. ſub figura ædificii cujusdam adumbrat. Ædificium hoc, infit ARCHÆOPHILUS, quale ſit, libenter ſcirem. Non una, regeſſit DULODORUS, Authorum hîc ſententia eſt. Dn. du Cange Caſtra Prætoria interpretatur. Si fidem ei habeas, Providentia hîc militaris adumbrabitur. Patinus providentiam in muniendis Civitatibus, condendisque Theſauris intelligit, additque, aliis Conſtantinopolim videri. Conſtantinopolis, in Nummo Diocletiani, an intelligi poſſit, dubito; Eô enim nomine nondum appellabatur: Unde potius eſt, ut portam hanc vel alicujus Urbis, vel etiam Caſtrorum afferas, apertâ utrinque Providentiæ gloriâ, cùm ſecundum Pomponium Lætum *Diocletianus, quamvis uno eſſet in loco,* SUA *tamen* PROVIDENTIA *præſens ubique eſſe videretur.* In quarto Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, PROVIDENTIAM non ſuam, ſed DEORUM jactat, eamque AUGG. QVIETEM aſſerit eſſe. Non hoc tantùm, repoſuit DULODORUS, imò & FELICISSIMUS, & SENIOR AUGUSTUS vocatur, quod Triſtanus ad eam felicitatem referendum arbitratur, quâ depoſitô Imperiô, privatus vivebat: Et rectè; Licet enim omnibus in Nummo Imperialis faſtigii decoribus fulgeat, *Senior Auguſtus* tamen dici non poſſet, niſi Auguſtis Conſtantio & Gallerio, qui tamen, Diocletiano & Herculeo abdicantibus demum tales facti ſunt. Notandum autem, in noſtro Numiſmate non *Beatiſſimo*, ut in aliis, ſed *Feliciſſimo* legi. Sequentium Numiſmatum

Primum



Primum, inquit ARCHÆOPHILUS, minutiſſimum & pulcherrimum eſt. Etiam hoc QVIETEM exhibet, reſpondit DULODORUS. Quietis Romæ templum fuiſſe, Triſtanus ex Livio L. IV. & S. Auguſtino L. IV. de Civ. Dei c. 16. obſervat. Sed uti Diocletianus & Maximianus in Providentia Deorum felicitatem ſuam poſuêre, ita Carthago ſuam in Auguſtorum & Cæſarum ſalute, id quod ex *ſecundo* Numiſmate patet. Quinam ſignificentur AUGG., quinam CÆSS., obſcurum non eſt; Diocletianô enim & Maximianô Herculeô Auguſtis, Cæſares fuére Conſtantius Chlorus, & Galerius Maximianus: Et ne de Carthagine mireris, *tertium* Numiſma Auguſtorum adventum in Africam jactat. Adventum video, perrexit ARCHÆOPHILUS, ſed Africam non video. Annon ejus ſimulacrum vides? inquit DULODORUS. Caput, Elephanti proboſcide ornatum, & Leo ad pedes, & Elephanti dens, eam utique ad oculum demonſtrant. Maximianum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, bellum in Africa geſſiſſe arbitrabar, & non Diocletianum. Annon rectius Adventus hic Romanus deſignabitur, id quod Illuſt. Mediobarbum video ſtatuere? Si Romanus deſignaretur, reſpondit DULODORUS, Africa non labaro inſtructa, Regionis ſuæ divitias oſtentaret; Sed captivæ inſtar, Triumphi magnificentiam ſequeretur. Cùm ſecus id in Numiſmate fiat, utique planum eſt, Africam adventu Auguſtorum lætabundam hoc typo adumbrari. Sequitur

MAXIMIANUS HERCULEUS.



Vir ferus, & immitis ingenii, qui aſperitatem ſuam, ut Eutropius loquitur, etiam vultûs horrore prætulit. *Primum* Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, ex ſuperioribus lumen mutuatur, quô Proconſulatum, non de Conſulatu acto, ſed de Pro-Conſulari Poteſtate intelligendum, adeoque cum cæteris honoribus concurrere poſſe, docente Per-Illuſt. SPANHEMIO, dictum eſt. Reliqua, reſpondit DULODORUS, Herculem præferunt, ſub quo ſive Deum, ſive Maximianum intelligas, perinde eſt: Modò, ſi Maximianum, id non in contemtum Dei trahas; hunc enim religiosè coluit, *Herculeique* inde cognomen meruit, uti ſub Diocletiano dictum eſt. Maximianum intelligere vereor, inquit ARCHÆOPHILUS; ſecundum enim Numiſma HERCULI CONSERVATORI inſcribitur, procul dubio quòd Maximianus ab eo conſervatus, erectâ Statuâ ei gratias retulerit. Fortaſſis etiam, regeſſit DULODORUS, quòd Exercitus, aut Urbs, aut tota Provincia, à Maximiano conſervata, ſub Herculis habitu Imperatorem coluerit? Idem ſanè & de *tertio* dixeris, ubi *Herculi Pacifero* Statua dicatur, & clarius eſt ex *quarto*, ubi Hercules Cervam aureis cornibus æripedem domans, VIRTUS, non *Herculis*, ſed AUGG. inſcribitur. Idem judicium eſt & de ſequentium



Primo, ſecundo, & tertio, in quibus Hercules vel Leonem Nemæum ſuffocat, vel INVICTUS Victoriam prætendit, vel denique VICTOR quieſcit. Numiſma hoc, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, elegantiſſimum eſt. Imò & eò rarius, reſpondit DULODORUS, quò evidentius Imperator Leonis pelle indutus in eo viſitur, ut ſcil. intelligas, has Herculis imagines non tam Herculis Dei, quàm ipſius Maximiani gloriæ cedere. Non minus ac HERCULEM *quarti*, & MARTEM PACIFERUM *quinti* Numiſmatis, quibus Virtus, & Herculea & Martia, tam Diocletiani, quàm Maximiani, adumbrata, ex inſcriptione noſcitur. In *ſexto*, excepit

cepit ARCHÆOPHILUS, Virtus non Augustorum tantùm, ſed & Cæsarum, ſub Equite hoſtem proſternente adumbratur. Ita eſt, regeſſit DULODORUS; Cùm enim & Augg. & Cæss. in inſcriptione nominentur, nec certæ Perſonæ, nec certæ actioni factum addixeris. Omnes autem militari robore præſtitiſſe, ex Hiſtoria clarius eſt, quàm ut dubitari poſſit. De Maximiano teſtatur, quæ in ſequentium



Primo exhibetur, Victoria Sarmatica, quatuor figuris ante caſtra ſacrificantibus expreſſa. Quid hoc rei? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, ob gratias Diis pro Victoria perſolutas: Fortaſſis etiam ob fœdus poſt Victoriam cum hoſtibus percuſſum. Quicquid ſit, virtute militum eam Victoriam obtentam eſſe, ex Numiſmate *ſecundo* patet, ubi idem planè ſchema viſitur. Virtus militum, perrexit ARCHÆOPHILUS, non tantùm in fortitudine conſiſtit, ſed etiam in Concordia & Fide, quæ in *tertio* & *quarto* radiant. Quid igitur, ſi typus priorum etiam ad has pertineat? Non reſtitero, inquit DULODORUS, quanquam nec Augustorum Concordia excludenda ſit, quæ *quinto* in Nummo viſitur, quamque moderatione Maximiani ſanctam & inviolatam duraſſe, ex hiſtoria planum eſt: Adeò, ut non mirum ſit, in *ſexto* utriusque Adventum in Africam jactari, in *ſeptimo* utrumque Conservatorem Carthaginis vocari; Si enim reverà uterque non in Africam venit,

nit, nec uterque Carthaginem protexit, tamen Concordiæ vinculum, quod alter fecit, etiam alterum fecisse evincit. Hinc sanè est, quòd in sequentium Imperatorum Nummis, licet Victoria unius fuerit, nomine tamen omnium, qui simul imperabant, ea proponi soleat. Id secus, infit ARCHÆOPHILUS, in sequentium



Primo fit. Maximianus CONSERVATOR URBIS SUÆ vocatur, sedente Româ in templo, uti in præcedente Carthagine. Rectè judicas, reposuit DULODORUS, & in mentem venit Numisma Alexandri Tyranni apud Tristanum, quô Roma Invicta & Felix Carthago conjunguntur. In *secundo* est GENIUS P. R. Genius his temporibus in Nummis frequens fuit, non Populi Romani tantùm, sed & Imperatoris, & Cæsaris, uti in superioribus Genius Senatûs. Ille togatus cum sceptro pingebatur, ut ordo togatus nosceretur; At Hic nudus cum patera, & cornucopiæ, ut opulentia & veneratio, quâ Deos colebant. Felix sub Principe populus, qui liberô Dei cultu fruitur, & omni juxta rerum abundantiâ diffluit: Felix & Imperator, si vero cultu & ipse ducatur, nec desint rerum gerendarum nervi. Sub Maximiano, excepit ARCHÆOPHILUS, neutrum fuit, cùm nec ipse verum Deum coluerit, nec aliis, ut eum colerent, permiserit. Persecutio Christianorum crudelissima in propatulo jacet. Id scio, respondit DULODORUS, sed perversa rationis humanæ præjudicia rem aliter planè venditant. Genius hic Populi Romani est, qui populus hactenus cultu, non Dei, sed Deorum insueverat. Hic cultus cùm sub Maximiano liberrimus esset, quidni Genius pateram præferret? JUPITER AUGG. in *tertiò*, & Jupiter & Hercules Conservatores Augustorum in *quarto*, utique non populum tantùm, sed & ipsos Imperatores Deos invocasse testantur, in tantùm, ut & eorum Providentiam, Quietem suam arbitrarentur, ut ex *quinto* constat. Hoc Numisma, inquit ARCHÆOPHILUS, cum Imperio decessissent, percussum esse, ad similem Diocle-

Diocletiani docuisti, & videri de eo potest Tristanus T. III. p. 369. seqq. quid autem Numisma *ultimum?* Et ipsum, respondit DULODORUS, ad Imperium depositum pertinet, innuitque, Quietis felicitatem Meritorum præmium esse; Et notandum, Merita *Optima* vocari, quæ tamen, si de Persecutione intelligantur, pessima fuére. Notus est locus Orosii etiam Tristano citatus: *Deinde etiam, quod absque ulla hactenus mortalium notitia est, Imperatores illi, Maximi quippe, & Persecutores, honore depositô, & assumtâ quiete privati, quod beatissimum homines, & summum bonum vitæ bonæ judicant, & hoc tunc præmii loco Authores Persecutionis adepti sunt, quando accensa persecutio medio sui tempore toto orbe sæviebat.* Sed ultra tendimus; Sub Diocletiano, & Maximiano, Britannias sibi vindicavit

CARAUSIUS,



Menapiâ, Urbe Hyberniæ, oriundus, Vir fortis & prudens, quique à juventute Piraticis excursionibus addictus, tantam rei maritimæ experientiam sibi paravit, ut Litoris maritimi custodia ei contra Gallos & Germanos crederetur. Eam sobriè ab initio: Inde avarè, sed tamen prudenter exercuit: Tandem cum Maximiani odium sentiret, abductâ classe, occupatâque Legione Romanâ, se *Augustum* appellavit, utque eâ dignitate intra Britanniam securè frueretur, Maximianô devictô obtinuit. An huc, infit ARCHÆOPHILUS, pertinet Victoria Numismatis secundi? Non dixerim, regessit DULODORUS, vix enim est, ut Populi Romani vocata credatur, quæ contra Romanos obtenta est; Potius de aliis eam hostibus interpretarer; Victore enim teste, *Carausio remissum Insulæ Imperium, postquam jussis ac munimento incolarum contra Gentes bellicosas opportunior est habitus.* An eôdem, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam CONCORDIA MILITUM *primi* Numismatis pertinet? Fortassis, inquit DULODORUS, quanquam credibilius sit, ad Imperii initia, quibus adhuc cum Maximiano belligerabatur, referendam esse; Tunc enim militum fide vel maximè opus erat. *Tertii* Numismatis SALUS certo tempori addici non potest, nisi & ipsam expressam arbitreris, quòd occultas Maximiani insidias effugisset. Quicquid sit, non tamen effugit insidias Satellitis. Sexenniô Imperiô potitum sustulit


ALLE-

ALLECTUS,



Qui, ut Aurelius Victor loquitur, Carausii permissu, cùm summæ rei præfuisset, flagitiorum, & ob ea mortis, formidine, per scelus Imperium extorsit. Etiam hic SALUTEM signavit, inquit ARCHÆOPHILUS. Et quid aliter coleret, respondit DULODORUS, meritæ mortis sibi conscius? Quanquam, quod negari non debet, etiam *Lætitiam, Pacem*, & *Virtutem* signaverit, illam procul dubio ob Imperium occupatum, istam ob votum securæ possessionis, hanc autem ob defensionem & tutelam; Sed scelere partum, quî securè tueretur? Tribus quidem Allectum annis contemsit Nemesis, sed quò tardior, eò gravior fuit, nequicquam Virtute contrà nitente. Ab Asclepiodoto Constantii Præfecto Prætorio victus, mediamque in aciem ruens, dissectus est, & meritas nefarii Parricidii pœnas exsolvit. Non meliore fato

JULIANVS,



Qui Carausii tempore in Italia Purpuram assumsit. Duos, subjecit ARCHÆOPHILUS, apud Victores legimus. Alter Julianum Tyrannum in Africa statuit, alter autem in Italia. Unde igitur definias, utri hoc Numisma conveniat? Et annon aptius Juliano Apostatæ addicetur? Julianum Apostatam, regessit DULODORUS, diversitas facierum, & consueta huic ævo & artificii & habitûs diversitas removet, ut taceam Lauream, quam sub Apostata rarissimam inveneris. Julianum Italiæ, Inscriptio Latina, & artificii nobilitas evincit, ut taceam LIBERTATEM in Numismate expressam; quid enim hæc ad Afros Libertatis insuetos? annon potius, ut Populum Libertatis memoriâ sibi conciliaret, Imperiumque eô inventô stabiliret, prudenti consiliô Libertatem publicam, orientemque ex Libertate rerum abundantiam jactâsse credatur? Nihil ad inescandos vulgi animos, apud Romanos præsertim, efficacius, quàm dulce Libertatis nomen: Nihil optabilius, quàm abundans rerum affluentia. Sed Juliano eventus non respondit. Imperiô vix degustatô à Diocletiani Ducibus victus est, & adactô per costas pugione, in ignem se abjecit. Sed ad Augustos regrediamur. A Diocletiano & Maximiano

CON-

CONSTANTIUS,



Et Gal. Maximianus adoptati, duodecim annos Cæſareâ dignitate fulſerunt, donec abeuntibus Imperio Auguſtis, & ipſi *Auguſti* renunciarentur, quô honore Conſtantius biennium & tres menſes potitus, Eboraci mortuus eſt. Numiſma, & metallo & magnitudine fulgidisſimum, honorem Auguſtalem præfert, adeoque evincit, ſub Auguſtis averſæ togatis, ipſum Conſtantium & Galerium: ſub Cæſaribus autem, Maximianum Dazam & Severum intelligendos eſſe, nam hos eôdem annô, quô cum Conſtantio *Auguſtus* dictus erat, Cæſareâ dignitate ornavit Galerius. Vota vicennalia video, interrupit ARCHÆOPHILUS, quæ aliis in Numiſmatibus Cæſareæ dignitati adjecta ſunt: Video locum ſignaturæ, Siſciam Urbem Pannoniæ, quæ tamen extra Conſtantii Imperium fuit, utpote cui Gallia, Italia & Africa tantùm obvenerant, imò qui Italiam & Africam Galerio & ipſas cesſiſſe legitur, id quod in Numiſmate forſitan expreſſum eſt. Locum ſignaturæ, reſpondit DULODORUS, Concordia excuſat, & ſi probè rem conſideres, Numiſma non tam ad ceſſionem Italiæ & Africæ, quàm ad communem Orbis adminiſtrationem retuleris; Uterque enim Orbem medium tenet. Ita & Vota, licet aliis in Nummis anticipata, nihil tamen obſtat, ut etiam ſequentibus annis ſignari potuerint. Cæterùm notari merentur Uniones, veſtibus & calceis intexti, quos Diocletianus iis addidiſſe Cedreno memoratur, poſtquam Galerius, victo Perſarum Rege Narſa, inter cæteras prædas etiam loculos Unionem & lapidum pretioſorum plenos cepiſſet. In ſequentium



Primo, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, procedit Concordia Militum, & in *ſecundo* Fides Militum Augg. et Cæss. Sub Augg. & Cæss. eosdem intelligi, inquit DULODORUS, etiam hîc ex honore Auguſtali intelligas Intelligi autem fidem, quâ milites non uni tantùm, ſed omnibus addicti erant, ex inſcriptione & ſignis militaribus patet, quæ Fides utrinque tenet. De Concordia militum res aliter ſe habet. Sub Conſtantio Cæſare Numiſma percuſſum eſt, adeoque Diocletianum & Maximianos connotat, non minus ac Numiſma *tertium*, quod Jovem Conſervatorem præfert. Jovem? excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen Conſtantius Chriſtianus fuiſſe, Triſtano memoretur? Id ex virtutibus collegit Triſtanus. Chriſtianis eum faviſſe, Cedrenus ait, id quod Jovem in Numiſmate Conſtantii, adhuc Cæſaris, non excludit; Quid enim, ſi Diocletianum ſub hoc Jove intelligat? Quid ſi in Diocletiani gratiam Jovi Conſervatori ſacrificaverit? Neque enim credibile eſt, Diocletianum eum adoptaturum fuiſſe, ſi Chriſtianum eſſe ſciviſſet. Interim tamen negari non debet, Gentilium Deorum nomina in Conſtantii Nummis rariſſima eſſe, cùm Illuſt. Mediobarbus ne unicum quidem vulgaverit, unde fortaſſis & propoſitum, ſi non acquieſcas, permittere poſſim, ut errori monetali adſcribas, quanquam, ut ex *quarto* Numiſmate patet, etiam Moneta Augg. & Cæss. communis, rem excuſare poſſit. Plura Numiſmata cernimus, diverſorum quidem Principum, ſed iisdem notis inſignita, imò & in Ditionibus Maximiano ſubjectis, Conſtantii Numiſmata percuſſa, ex ſuperiore aureo modò vidimus, prout & Urbes, non uni ſemper, ſed omnibus interdum honorem habuiſſe, ex *quinto* conficitur, in quo Karthago *felix* dicitur, non ſalvô Cæſare Conſtantiô, ſed Augg. Diocletianô & Maximianô, Cæss. Conſtantiô & Galeriô. De Carthagine felici, infit ARCHÆOPHILUS, Martianum Capellam allegat Triſtanus, qui Carthaginem *inclytam pridem armis, nunc fertilitate reverendam*, appellat. Dn. du Cange, repoſuit DULODORUS, addit & Porphyrium in Panegyri:

Nunc

Nunc se Felicem, *nunc se sub nominis arce*
Tutam, quod Carthago decus venerabile gestat.

In *sexto* Numismate est Spes, & ipsa percussa, Constantiô adhuc Cæsare, & quidem annô ab adepta Cæsarea dignitate quartô, quô variis jam experimentis spem de eo conceptam roboraverat. In sequentibus



Sunt Vota, & honores post mortem. Vota, inquit ARCHÆOPHILUS, & *Decennalia* & *Vicennalia* video, intelligoque illa de solutis, hæc de susceptis, quod anno V. C. 1055. factum est. Honores post mortem, sunt vel Templum vel Ara. Illi Aquila insidet, Hæc inter duas Aquilas ardet: Hæc Memoria Felix, Illud Memoria Divi Constantii inscribitur. An hæc non Consecrationem arguunt, Gentilium ritu? Tristanus, regessit DULODORUS, hanc negare videtur, eò quod Numismata modestiore cœlô nullam aram præferant, cùm autem non ara tantùm in nostris, sed & templum appareat, imò cùm in aliis etiam Aquila Consecratio inscribatur, ut apud Illust. Mediobarbum, res utique clarior est, quàm ut negari possit, sive Consecratio hæc vetustô more à Constantio filio, aut Uxore Helena, sive à Collegis, Gentilium superstitioni adhuc addictis, procurata fuerit. Tristanum hoc non animadvertisse miror, cùm tamen locum Eumenii attulerit, non de *Pii* cognomine tantùm testantem, quod etiam in Numismate *quarto* ei tribuitur, sed & expresse de Consecratione testatur. En verba! *Dii boni,* inquit ad Constantinum Max., *quanta Constantium* Pium *in excessu suo felicitate donasti! Imperator transitum facturus in cœlum, vidit quem relinquebat hæredem.* Et paulò post: *Neque enim fas erat, diutius fieri Principem* CONSECRATUM.

HELENA



Prodit, excepit ARCHÆOPHILUS, quæ *Flavia* in Numismate primo ar-

 genteo,

genteo, *Flavia Julia* in ſecundo æreo dicitur; Sed an hæc Auguſta, cùm tamen eam privatam tantùm habuerit Conſtantius, dimittere coactus, cùm Cæſaream dignitatem nanciſceretur, ut Theodoram ducere poſſet? Adde quòd quibusdam non legitima Uxor, ſed Concubina fuerit credita? Apologiam, reſpondit DULODORUS, jam dudum ſcripſit Triſtanus, Uxorem legitimam fuiſſe demonſtrans. Imò de *Auguſta* docebit Euſebius Celeb. Patino citatus L. III. de vita Conſtant. c. 46. *Conſtantinus M.* inquit, *Matri conceſſit, ut* AUGUSTA *diceretur, & Nummus ejus imagine ſignaretur.* In averſis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, video mulieres dextrâ ramum tenentes: Alteram SECURITAS REIPUBLICÆ, alteram PAX PUBLICA inſcriptam. Ramum, reſpondit DULODORUS, Triſtanus Oleæ, Patinus Lauri arbitratur; Sed Triſtani opinio potior videtur, eò quòd Olea Pacis & Securitatis indubitatum ſymbolum ſit, quam Helena prætendere videtur, quòd ejus pietate & authoritate Reipublicæ, procul dubio Chriſtianæ, Securitas & Pax fundata floreſceret. Sed de Nummis Helenianis videatur Dn. du Cange in Diſſ. n. 60. Altera Conſtantii Uxor

THEODORA



Fuit, Eutropiæ, quæ poſtea Maximiano nupſit, filia. Hæc tres filios, Delmatium, Conſtantium, Hannibalianum: totidemque filias, Conſtantiam Uxorem Licinii, Eutropiam Matrem Nepotiani, denique Anaſtaſiam Uxorem Baſſiani Cæſaris, Marito peperit. Pietatem autem Romanam in eo collocat, quòd uberibus ſuis infantes ſuos aleret. Id utinam hodienum facerent Uxores, vel Plebeæ! ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Sed querelis quid proficimus? Theodoram Laureatam video, ſecus ac apud Patinum & Triſtanum: An hoc ob Victorias Mariti? Fortaſſis, inquit DULODORUS, niſi coronam Myrteam arbitreris, amoris inſigne, adeò, ut Victoria muliebris lateat, quam procreando ſobolem obtinere Mulieres ſibi videntur. Sed hoc in medio jaceat. Conſtantii Collega fuit

GALE-

GALERIUS VALERIVS MAXIMIANUS,



Cujus *primo* in Numiſmate aureo JUPITER CÆSARIS CONSERVATOR Ethnicæ pietatis ſe teſtem ſiſtit, eòque facit, quod Triſtanus obſervat, etiam hunc Maximianum *Jovium* eſſe appellatum. Signatam monetam Antiochiæ, ex ſubſcriptione intelligimus. Reliqua tria Genios præferunt, *ſecundum* Auguſti, *tertium* P.R. *quartum* Imperatoris. Genios Antiquitati creditos, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ex his abundè conſtat, & varia in hanc rem apud Authores leguntur, & præſertim illud apud Martianum Capellam L. II. p. 38. *Specialis*, inquit *ſingulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam præſtitem, quod præſit gerundis omnibus, vocârunt*, adeò ut de Genio Auguſti & Imperatoris res clara ſit, quid autem ad Genium Populi Romani dicam? An & integris Populis ſui Genii erant? Non his tantùm, reſpondit DULODORUS, ſed & Collegiis, ut Senatui: Et Exercitibus, ut Illyrico, id quod ex Nummis abundè conſtat. Sed notandum, ſub Genio, ut Senatûs & Exercitûs, ita & Populi Romani, ipſum Imperatorem latere. De Populo Romano teſtatur Nummus Gallieni, in quo ipſius Imperatoris effigies, GENIUS P.R. inſcribitur. In ſequentium



Primo & *ſecundo* PROVIDENTIA celebratur, non Galerii & Conſtantii, ſed Diocle-

 tiani

tiani & Maximiani Herculei, id quod ex dignitate Galerii Cæſarea patet, quæ utroque in Numiſmate legitur. De ſchemate, inquit ARCHÆOPHILUS, jam ſuprà audivi, in *ſecundo* autem figuræ ſacrificantes, Providentiam hanc ad cultum Deorum Gentilium reſtringere videntur, cui Diocletianus & Maximianus per acerrima Chriſtianorum ſupplicia providérunt. Quid autem in *tertio* Numiſmate Felix Adventus Augg. de Hoc, inquit DULODORUS, ſupra ſub Diocletiano vidimus. Hic notandum, ſub Auguſtis his eoſdem, Diocletianum ſcil. & Maximianum intelligendos; Galerius enim, cùm Numiſma percuteretur, Auguſtus nondum erat: Adventum autem non Romam, ſed Carthaginem intelligendum, non tantùm ex prominente ſupra caput Elephanti proboſcide, Elephanti dente ſub manu ſiniſtra, Leoneque pedibus affictо, indubitatis Africæ ſymbolis; ſed etiam ex ſubſcriptis literis conſtat, quibus pecuniam Karthagine ſignatam diſcimus. Quartum Numiſma, infit ARCHÆOPHILUS, Vota XX. exhibet. Ea in annum V.C. 1054. incidunt, eô enim Decennalia ſoluta, vicennalia ſuſcepta, ex Nummis Conſtantii vidimus. In ſequentibus



Radiat Militum vel Virtus, vel Concordia, vel Fides. Virtus in Urbibus vel tutandis, vel occupandis; Id enim porta aperta, id turritum portæ frontiſpicium innuere videtur. Concordia Victoriam Orbis terrarum Cæſari ſpondet, id enim innuit Victoria globo inſiſtens, quam Jupiter ei porrigit. Argutè, inquit ARCHÆOPHILUS, Jupiter enim ſimul cultum Gentilium connotat, quem milites Galerii foviſſe conſtat. In Fide res aliter ſe habet, excepit DULODORUS; Hæc enim ſub Auguſto ſignata, nihil niſi ſigna militaria præfert, id quod in Nummis rarum non eſt. Uxor Galerii fuit

GALERIA VALERIA,



Diocletiani filia, quam Maximiano *Cæſari* renunciato in matrimonium tradidit. Elegans,

Elegans, excepit ARCHÆOPHILUS, eſt capillorum ornatus, ſed averſa nihil rari continet; Venerem enim Victricem, cum Pomo Paridis, venuſtatis indice, in Auguſtarum Nummis jam ſæpiuſculè vidimus, adeò ut vel hinc conſtet, nec quòd maritum ad bella ſecuta, nec quòd eum viciſſet, ſed ob ſolam formæ gloriam Numiſma percuſſum eſſe. Quid autem literæ adjectæ? Οὐδὲν ὁρίζω, inquit DULODORUS, niſi ex eo, quod ſubſcriptæ S. M. N. ſignatum Monetam Nicomediæ ſignificant, etiam reliquas ad Nicomediam referas, id quod ex primo monogrammate, junctis ſcilicet N. & K. fortaſſè conjeceris. Quid autem junctum V. & L. in medio: quid denique XC. in fine, ne conjecturâ quidem aſſequor. XC, excepit ARCHÆOPHILUS, Chriſtum ſolet denotare, quid autem hîc in Nummo mulieris Ethnicæ? Felicior Oedipus rem ſolvat, reſpondit DULODORUS. Nos ad alia tranſimus. Sub Conſtantio & Galerio Cæſares facti ſunt

FL. VAL. SEVERUS,



Et Maximinus Daza. Severi Numiſma aureum, quale propoſitum eſt, an hactenus inſpectum ſit, dubito. Illuſt. certè Mediobarbus nullum habet, indeque raritatem noſtri ſi metiaris, non refragabor. Percuſſum id eſt, antequam adhuc *Auguſti* titulum aſſumſiſſet, quem in æreis quibusdam Numiſmatibus præfert. Averſa Herculem, Auguſtorum & Cæſarum Conſervatorem, exhibet. An in honorem Maximiani Herculei? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Non dixerim, regeſſit DULODORUS, potius cùm Severus Italiæ & Africæ præfuerit, Africæ autem Deus Hercules feratur fuiſſe, occultè ſimul Poteſtatis limites ſub Hercule connotari credideris; Sub Auguſtis, Conſtantium & Galerium: ſub Cæſaribus, ipſum Severum & Maximinum latere, ex hiſtoria planum eſt. Notandum, infit ARCHÆOPHILUS, Herculem hunc non clavâ tantùm & Leonis pelle, ſed & arcu inſignem eſſe. Arcu eum Stymphalides petiiſſe, ex Mythographis & antiquis monumentis patet. De his alibi, inquit DULODORUS; In *ſecundo* eſt VIRTUS Martia AUGUSTORUM & CÆSARUM, ſub Marte gradivo, tropæum ferente. Martia Virtus, excepit ARCHÆOPHILUS, his temporibus Auguſtorum præcipua videtur fuiſſe, ſurgente hoſtium invidiâ, non externorum tantùm, ſed & internorum. De Virtute Augg., Conſtantii videlicet & Galerii Maximiani, nam hos intelligendos ex Cæſaris cognomine patet, jam ſupra vidimus. De Virtute Severi, Expeditionem contra Maxentium adferrem, niſi Tyranno Imperium ſimul cum vita ceſſiſſet. Quid fides Militum? quæſivit

vit ARCHÆOPHILUS. Nec hujus, inquit DULODORUS, gloriosa jactantia est. Prætoriani deficientes Maxentium elegére, & etiam à reliquis Severum proditum, Ravennam fugisse, ibique post diuturnam obsidionem insidiis interceptum & occisum, Historia testatur. Orientem interim tenuit

GAL. VAL. MAXIMINUS,



Galerii ex Sorore Nepos. Cujus *primo* in Numismate statua, ante duo signa globum tenens, PRINCIPI JUVENTUTIS inscripta, procul dubio ad dignitatis principium spectat, quibus à Galerio *Cæsar* factus, Orientis Imperium simul cum militari robore accepit. Militare robur, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam in quarto radiat, in quo Mars cum tropæo gradivus VIRTUS AUGG. ET CÆSS. N. N. inscribitur, eôdem modô, quô eundem sub Severo vidimus. Typos eosdem, respondit DULODORUS, Imperatoribus Collegis dari solitos, novi nihil est. *Primum* autem Numisma Sidoniæ percussum ex literis subscriptis S. M. SD. colligo, quid enim has interpretaberis, si non *Signata Moneta Sidoniæ?* Uti quarti T. T. *Typum Tarsensem* non minus ac T. *quinti?* Hæc Orientis loca fuére, subjecit ARCHÆOPHILUS; at in *secundo* AQ. *Aquileja*, in *sexto* SIS. *Sisciam*, & in *quinto* P. TR. *Pecuniam Trevirensem* video, loca Occidentis, quibus Maximinus non præfuit. Eandem, reposuit DULODORUS, Augustorum & Cæsarum Concordiam hæc arguunt, de qua sub Constantio dixi, quâque uniuscujusque in territoriis omnium gloriæ Numismata signabantur. Eodem pertinet & inscriptio *secundi*, JOVI CONSERVATORI CÆSS., sub quibus Severum & Maximinum intellexeris: Eôdem & *sexti*, JOVI CONSERVATORI AUGG. N. N. sub quibus vel Galerium, vel etiam Licinium & Maximinum latere auguror, quod vel ex *Augusti* appellatione intelligas, quam assumsit, postquam Licinium *Augustum* renunciatum audivisset. Id invitus audivit, excepit ARCHÆOPHILUS, hæredita-

reditatem Severi sibi vindicaturus, Licinio bellum legitur movisse. Imò respondit DULODORUS, cùm Maxentium à Constantino devictum, Liciniumque Constantini affinitate subnixum cerneret, bellum deposuit, donec post aliquot annos id resumeret & vinceretur. Quid igitur si bellô inter Maximinum & Licinium compositô Numisma percussum, ex loco colligam, qui Licinio subjectus erat? Quicquid sit, perrexit ARCHÆOPHILUS, sub Jove & Cæsarum & Augg. Conservatore, imò & sub Sole invicto Comite, quem in *tertio* & *quinto* Numismate vel stantem, vel quadrigis invectum cerno, non superstitionem Ethnicam tantùm, quâ se Jovis præsidio tutum, & Solis comitatu Victorem fert, sed & crudelissimum pro Ethnica superstitione Zelum contemplari licebit, quô *Tyrannorum sævissimus* S. Hieronymo meruit vocari. In sequentibus,



Geniorum turba prodit, non Populi Romani tantùm, sed & Imperatoris, & Cæsaris, & Augusti, imò & Augustorum & Cæsarum, quibus Salvis, etiam Karthago Felix in Nummo ultimo dicitur. De omnibus his, interrupit ARCHÆOPHILUS, vel in superioribus dictum est, vel ex iis, quæ dicta sunt, facilè judicaverim. Monendum tamen, regessit DULODORUS, Numisma quintum Carthagine signatum esse, uti quartum Sisciæ, tertium Nicomediæ anno III. secundum Tarsi anno IV. Monendum figuram Genii, Tristano Serapidem videri ob Calathum. Id tamen quâ necessitate statuamus, non video.

MAXENTIUS



Prodit, Maximiani Herculei filius, quem Romæ tam à Senatu quàm à Prætorianis *Augustum* dictum, ex historia patet. Templum, inquit ARCHÆOPHILUS, Romæ dicatum esse, Romæ simulacrum suadet, Amazonis habitu in *tertio* sedentis, & in *primo*, Maxentio, captivum proterenti, globum terræ porrigentis. Imò etiam ex Lupa, regessit DULODORUS, quæ in frontispicio Romulum & Remum lactans visitur, ubi dubium esse potest, annon etiam ad Romulum filium schema alludat. Cæterùm & illud notandum, duas utrinque templo impositas figuras, hastis sibi invicem infestas, ipsum Maxentium & Severum videri, hostiliter se invicem invadentes: uti captivum, ipsum Severum, qui à Maxentio, si non vi, tamen astu victus occubuit. Eô certè factô Romam, à se stantem, ab hoste liberavit, ideoque in Numismate CONSERVATOR URBIS SUÆ vocatur. Numismata, perrexit ARCHÆOPHILUS, Aquilejæ signata, ex literis noscuntur, uti & secundum Treviris; at hæc loca Constantino, qui postea *Magnus* dictus est, subjecta erant, qui Maxentii hostis, eum devicisse legitur. Id anno V.C. 1065. factum est, respondit DULODORUS, cœpitque inimicitia ob sævitiam Maxentii, quam in Christianos potissimùm, & quarto Imperii anno demum orsus est: Ante hoc tempus, quin Constantini amicus fuerit, dubitari non debet; Et quidni ejus Numismata in Civitatibus ad Rhenum sitis signarentur, vel absente adhuc? vel ob bella de Galliis sibi vindicandis pacem cum Maxentio colente Constantino? Eôdem enim annô & Maxentium *Augustum*, & Constantinum *Cæsarem* dictum, ratione Chronologicâ constat: & amicum fuisse, etiam hinc colligas, quòd Numismata, Constantii mortui memoriæ percussit, quale apud Erizzum videas. Cæterùm Hercules ad patrem Herculeum alludit, quô Comite contra Severum usus est, nisi potius & Herculem, Deum Africanorum, contra Alexandrum sibi Comitem fuisse venditet. Hercules, reposuit ARCHÆOPHILUS, non AUG. sed AUGG. COMES dicitur, adeòque potius ad Deum, Maxentii & Herculei Comitem & Adjutorem, videtur referendus, eò quòd Herculeus pater ab Herculis cultu cognomen meruit, Numenque paternum procul dubio & filius coluit. Sed quid in Nummo ultimo duæ figuræ hastatæ cum Equis, ÆTERNITAS AUG. N. inscriptæ? Dioscuri sunt, regessit DULODORUS, id quod Stellæ arguunt, verticibus adjectæ. Numisma Ostiæ signatum esse, ex subjectis literis M. OST. S. colligimus, *Moneta Ostiæ Signata*, eas interpretantes.

Quid

Quid Dioſcuri in Numiſmate Maxentii? excepit ARCHÆOPHILUS: An ut Imperium ſuum auxiliô Deorum, Imperio Romano non ſemel ſalutarium, æternum futurum, inſigni in vulgus monumentô jactaret? Imò, reſpondit DULODORUS, aliud latere videtur. Æternitatem Imperii Severus & alii, filiorum capitibus inſcripsére; Quid igitur, ſi etiam hîc Maxentii filii lateant? licet enim Stellas Triſtanus non agnoverit, in noſtro tamen evidentiſſimæ ſunt. Et licet Triſtanus non filios, ſed patrem & filium agnoſcat, minus tamen concinnè id facit; Quî enim Hi cum Dioſcuris convenirent? Pater & filius cum fratribus? Nonne ex fratribus Dioſcuris, etiam de fratribus, Maxentii filiis, concludere cogimur? De Romulo conſtat, perrexit ARCHÆOPHILUS, quis autem alter erit? Is, repoſuit DULODORUS, cum quo Maxentius paulò antè fatalem pugnam in privatam domum commigraſſe, Panegyriſtæ anonymo memoratur. Verba hæc allegat Triſtanus: *Quid enim aliud ſperaſſe, credendum eſt, qui jam ante biduum Palatio emigraverat, & cum* UXORE & FILIO *in privatam domum ſponte conceſſerat?* Hæc verba utique non de Romulo intelligi poſſunt, cum is jam ante mortuus & conſecratus fuerit, uti ad ejus Numiſmata videbimus. Nunc contemplanda prodit

MAGNIA URBICA,



Maxentii, ut creditur, Uxor: Filia Galerii ex priore matrimonio, uti Triſtanus conjicit, eò quòd Maxentius Galerii gener, Romulus autem major fuit, quàm ut ex Valeriæ filia potuerit prognatus eſſe. Numiſma, inquit ARCHÆOPHILUS, Venerem Victricem exhibet, procul dubiô in venuſtatis gloriam. Id ſæpè jam dictum eſt, regeſſit DULODORUS; Cæterum ex Venere, notandum, eorum opinionem refutari, qui non Maxentii, ſed Magnentii Uxorem credidére. Hic enim cum Chriſtianus fuerit, non eſt, ut Ethnico Numine Uxoris formam credi debeat commendâſſe. Quicquid ſit, filius Maxentii

ROMULUS



Fuit, in memoriam Romulæ, Galerii matris, ita vocatus, uti Triſtano videtur; Quanquam etiam ad Romulum, Romæ Conditorem, haud forſan abs ratione reſpicias. Numiſmata, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, templum exhibent, quod

æternæ ejus *memoriæ* exſtructum, ex inſcriptione diſcimus; Quid autem inſcriptio adverſæ, NUBIS CONS? & in primo, NU. FILIO? Hanc, reſpondit DULODORUS, *Noſtræ Urbis Filio* interpretaberis: Illam autem, ſi Triſtanum audis, *Noſtræ Urbis Conſervatori:* Niſi potius *Noſtræ Urbis Conſuli* legas, eò quod anno V.C. 1061. Conſul cum Patre proceſſerit. Quicquid præferas, à Maxentio patre Conſecratum, ex Numiſmate primo liquet, quod & ipſum OSTIÆ percuſſum, ex ſubjectis literis M. OST. T. intelligimus. Romulo jungatur

NIGRINIANUS,



Alexandri Africæ Tyranni, ſecundum communiorem opinionem, filius. Secundum communiorem opinionem? excepit ARCHÆOPHILUS; At Triſtanum id evidentibus argumentis probare, Illuſt. Mediobarbus ait. Triſtanus, reſpondit DULODORUS, nil niſi infirmam conjecturam adfert, inde Alexandri filium opinatus, quòd Maxentius ejus filium à patre obſidem petiiſſe, Zoſimo memoretur. Sed quis non videt, eâdem ratione etiam Maxentii filium credi poſſe? nam & huic præter Romulum, adhuc alium filium fuiſſe, modò vidimus. Propior ratio fuiſſet in ſubſcriptis averſæ literis; Carthagine enim ſignata, quæcunque hactenus prodiére, exinde liquidò conſtat: Et cujus Carthagine Cæſaris ſignarentur hoc tempore Nummi, ſi non filii ejus, qui Africam obtinuit? Etiam hæc ratio fragilis eſt, infit ARCHÆOPHILUS, Alexander enim anno V.C. 1064. occiſus eſt, Africamque deinceps Maxentium honoraſſe, non video, quid obſtet. Numiſma rarum eſt, perrexit DULODORUS, & ſi mea non arrideant, certitudinem ab Eruditis præſtolabimur. Cùm Maxentius in Italia, Maximinus in Oriente, Conſtantinus in Britannia & Gallia rebus præeſſent, in Severi, à Maxentio ſublati, locum ſuffectus

LICI-

LICINIUS,




Illyricum tenuit: Superatô inde Maximinô etiam Orientem sibi vindicavit, tandemque à Constantino victus occubuit. In Numismatibus, excepit ARCHÆOPHILUS, *Jovi Conservatori*, & *Soli invicto Comiti* inscriptis, apertissimum Ethnicæ impietatis testimonium est. Non Salutem tantùm Jovi acceptam tulit, sed & Victorias. Rectè sentis, respondit DULODORUS. Victoria Orbis terrarum, quam Jupiter præfert, rem indubiè demonstrat. Demonstrat cognomentum *Jovii*, quod apud Occonem ei tribuitur. Captivum in *secundo* & *quarto* Numismate, ad devictum Maximinum retuleris; Signata enim Numismata Antiochiæ sunt, postquam Maximinum superaverat. Eôdem retuleris & Numisma *sextum*, quod Luccæ percussum esse, ex subscriptis literis M. S. L. docemur. *Primum*, inquit ARCHÆOPHILUS, & *quintum* Treviros, *tertium* autem Sisciam præferunt. Hanc, regessit DULODORUS, quòd Illyrico præesset, Illos, quòd Constantino Galliarum Dominatori amicus esset. Cæterum in *quinto* Numismate notari meretur Jupiter Aquilæ incumbens, quale Numisma argenteum etiam Tristanus protulit. Aquilam, subjecit ARCHÆOPHILUS, fulmen arbitrabar portare. Imò & Jovem, respondit DULODORUS, id enim ex hoc Nummo clarius est, quàm ut dubitari possit. Jovem enim non fulmen tantùm, sed & solitus Jovis habitus demonstrat, cùm apud Tristanum habitus Imperatorius, potius ipsum Licinium videatur arguere. In sequentium



Primo & *ſecundo*, ſunt GENII, IMPERATORIS & AUGUSTI, de quibus ſuprà. In *tertio* Signa militaria S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI dedicat, Tarſenſi Moneta, ubi Maximinus occubuerat, adeò ut non immeritò robur militare Orientis à Maximino ad Licinium *S.P.Q.Romani* voluntate translatum, hic Nummus teſtari videatur. In *quarto* Numiſmate, interrupit ARCHÆOPHILUS, AUGUSTORUM PROVIDENTIA celebratur, ſub Portæ frontiſpicio, quô providentiam munitionum, vigilantiam præſidiorum, reliquamque belli pacisque providentiam adumbrari, dictum eſt. Ita & in *quinto* VOTA XX. video, quæ decimô Imperii annô ſuſcepiſſe creditur. Quid autem in *ſexto* VOTA XX. MULTIplicata XXX? An Tricennalia ſuſcepta ſunt, Vicennalibus ſolutis? Si hoc arbitreris, reſpondit DULODORUS, vota anticipata ſtatuere neceſſe erit, id quod fieri ſueviſſe, Per-Illuſt. SPANHEMIUS obſervat. Quicquid ſit, Numiſma rarisſimum eſt, nec hactenus, quod ſciam, vulgatum.

Quid autem diutius acerrimo Chriſtiani nominis hoſti calamum ſubmittimus? Quidni potius denſiſſimis Ethnicæ ſuperſtitionis ex tenebris, ſimul cum Imperiali culmine eluctamur? Præſertim ſub EO PRINCIPE viventes, qui non Juſtitiæ tantùm cultu Subditos ſuos in hac vita beat, ſed & Divinæ Sapientiæ Nectar uberrimis ex fontibus ſpargendo, iisdem æternam ſimul felicitatem etiam poſt mortem procurat? Multa de Pietate DOMûS BRANDENBURGICÆ audivi, excepit ARCHÆOPHILUS; Et cum Gloriam militarem & Civilem adoraverim, quid prohibet, ut & *Eccleſiarum curam*, quæ non poſtrema Principibus laus eſt, devoto colluſtrem oculo? Dies feſtus inſtat, inquit DULODORUS, nec opinor clarius rem contemplaberis, quàm in *Eccleſia Cathedrali.* Abi ARCHÆOPHILE, & quid audias, quidque videas, mihi renuncia! Dabo tunc operam, ut quæ prætermiſeris, vel me interprete noſcas. Exſiluit ARCHÆOPHILUS, & iterum, inquit, inſigni benevolentiæ teſſerâ me beas. Pareo, & ſepoſitâ aliquantiſper nobilioris Antiquitatis ſupellectile, ad Cœlica me confero. Dixit, & adjectis ſolitæ comitatis ceremoniis, à DULODORO digreſſus eſt.





Ualis Idumæas Arabum Regina
Cathedras,
Auditò Salomone, tulit: Qualisque Ministros,
Et qui Divinæ fruerentur flumine linguæ;

Talis ARCHÆOPHILUS, ad DULODORUM redux: Quid prius, inquit, extollam? An magnificam Cathedralis Ecclesiæ structuram? quæ antiquo equidem opere, sed columnis utrinque sublimibus innititur, aureôque suggestu, sedilibusque verè Regiis superbit? An Auditorum frequentiam? cui Templum, licet spatiosissimum, tantùm abest ut suffecerit, ut ipsas adhuc Januas & atria repletas viderim: An Concionatoris eloquium? qui cœleste Nectar ditissimis Divinæ Sapientiæ ex fontibus mellifluô ardore dispersit? An attentos vulgi & aures & animos? qui devotissimô silentiô ab ore docentis penduli, dulcissimos animarum cibos ingenti Zelô captavêre? Sed quid vulgus loquar? cùm idem fecerint hinc longus Ecclesiasticorum Ordo, illinc nobilior Populi, Ministrorumque Electoralium Corona: Imò etiam ELECTOR ipse, cum tota ELECTORALI FAMILIA, qui

Tanquam inter Stellas
— *Luna minores,*

non Majestate tantùm, sed & devotâ religione fulsit. Quæsò, DULODORE quâ Prudentiâ, inter immensa diversa sentientium agmina, Ecclesia purior in tantam frequentiam adolescere potuit? Et an unum tantùm Reformatorum Berolini templum est? Unum est, respondit DULODORUS, in quo Reformati soli, tam Germani quàm Galli, incredibili utrique frequentiâ; Sed plura, in quibus alternis cum Evangelico Lutheranis, quos vocant, rei divinæ operantur. Tale in Insula Fridericianâ, Tale & Dorotheopoli visitur. Tantâne heic inter utrosque concordiâ vivitur? interrogavit ARCHÆOPHILUS Vivitur, regessit DULODORUS, illudque non postremum ELECTORIS nostri encomium est, quòd verbô Dei potiùs, quàm potestatis robore, veritatis suffragia augeat. Libera est utraque Protestantium Confessio. Exulant rixæ, quibus malesana quorundam Prædicantium perversitas vulgi animos & irritare & confundere solet. Et hæc ratio vel potissima incrementi est; Sed accedit

accedit Concionatorum, quos ELECTORALIS Munificentia largiſſimis Salariis alit, & Eruditio & Pietas. Hi non verbis tantùm, ſed & exemplò & vitâ, Eccleſiam Dei inſtruunt. Quinque inter Hos *Aulicorum* dignitate eminent, ut omnigenâ ſcientiarum & eloquii copiâ inſtructi, ita & Divinæ, quô abundant, veritatis Zelum, tam prudenti Chriſtianæ charitatis lenitate temperantes, ut ne inimicis quidem calumniæ anſam relinquant. Ut in omnibus, excepit ARCHÆOPHILUS, ita & hîc reſplendet Regia verè ELECTORIS BRANDENBURGICI Magnificentia. Et miror omnia tam ordinatè, omnia tam decorè agi, nec quicquam *Principis* curam effugere. Et quid effugeret? repoſuit DULODORUS, cùm tamen ex intimo ELECTORALIUM Miniſtrorum Conſeſſu, Eccleſia ſuum Patronum habeat? Et quidem eum, cujus merita & dignitas omnes Laudantium vires exſuperant. Per-Illuſt. FUCHSIUM dico, qui ut Civili Prudentiâ, aureôque Ingenii & ſermonis flumine jam dudum candidioris Famæ tubas implevit, ita & ſtudiô Pietatis, & Zelô pro honore Dei tenaciſſimô, fervet. Si his juvetur incrementum Eccleſiæ, inquit ARCHÆOPHILUS, brevi ſanè Templorum & magnitudo & numerus deerunt. Nonne vidiſti novum illud? perrexit DULODORUS, quod Berolini etiam nunc exſtruitur? Nonne audiviſti Sereniſſimum ELECTOREM etiam Cathedrale auguſtius ædificaturum? Exemplar utriusque, Diſcurſui noſtro præpoſitum, contemplari poteris, & taceo quæ paſſim in Ditionibus ELECTORALIBUS ſurgunt. Deus AUGUSTO PRINCIPI & vires tribuat, & vitam! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Si ita pro Salute hominum, Deique gloria pergat, brevi ut *Urbem marmoream*, ita & *Eccleſiam Divinam* efficiet. Eccleſiam Marchicam, excepit DULODORUS, jam dudum Fidelium Aſylum eſſe, Magnifica & Gallorum & Palatinorum receptio arguit: Et ſi Conſtantini Maximi immortale meritum fertur, quòd Chriſtianæ Religioni libertatem dederit; ſanè non minor erit gloria PRINCIPIS NOSTRI, quòd Pietatem, bellorum & ſuperſtitionis ſævitiâ pulſam, in terris ſuis gratioſè exceperit, ſecurèque & cum omni Liberalitatis abundantiâ hactenus foverit. Sed tempus eſt, ut ad Numiſmata redeamus. Scenam aperit Ille ipſe, cujus modò mentionem feci,

CONSTANTINUS MAXIMUS,



Qui ſtaturâ mediocri, humeris latis, cervice craſsâ, facie ruber, capillô neque densô neque criſpo, barbâ rarâ, & faciem paucis locis tegente, nasô aliquantum incurvô, oculis Leoninis, gratioſus & vultûs ſereniſſimi, Cedreno memoratur.

Omnia

Omnia hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ad Numiſmata egregiè faciunt. Faciunt, reſpondit DULODORUS, præterquam quod de barba dicitur; hæc enim ne minima quidem in Nummis proſtat. At proſtat in Gemma, regesſit ARCHÆOPHILUS, & quidem ſatis promiſſa & denſa, apud Nobiliſſ. à Sandrart in Academia Todeſca. Ita, excepit DULODORUS, ſi placito aſſurgas; Mihi autem ea in Gemma Conſtantinum exhiberi, nemo facilè perſuaſerit. Sed ad Numiſmata! In *primo* viſitur Conſtantinus Aug. cum Criſpo & Conſtantino Nobb. Cæſaribus. Capita Cæſarum Laureata ſunt, indeque Cæſares ſub Conſtantino adhuc Lauream geſtâſſe, Per-Illuſt. SPANHEMIUS obſervat: Idemque & Auguſtum feciſſe, ex *tertio* & *quarto* conſtat: adeò vanum eſt, quod S. Aur. Victor ait: *Caput eum perpetuô diademate exornâſſe.*

De his, perrexit ARCHÆOPHILUS, in ſequentibus videbimus. In *ſecundo* res inſolita occurrit. Conſtantinus *Auguſtus* vocatur, & tamen averſa PRINCIPI JUVENTUTIS inſcribitur. Quid? an Princeps Juventutis, qui jam Auguſtus? Atqui Principes Juventutis vocabantur non Auguſti, ſed Cæſares, aliique futuræ Dominationi deſtinati, id quod pluribus legiſſe memini apud Per-Illuſt. SPANHEMIUM, Diſſ. VII. p. 664. Ritè hoc obſervas, repoſuit DULODORUS, nec dubitem errori monetali rem adſcribere, niſi alium Principem Juventutis arbitreris intelligendum, & quid ſi Licinium, quem in gratiam Conſtantini, Cæſarem creaſſe Romani, apud Cedrenum leguntur? Quanquam, quòd idem typus etiam in Conſtantini Cæſaris Numiſmatibus proſtet, prius præferendum cenſeam. *Tertium*, Conſtantinum MARTIS CONSERVATORIS elogio decorat, non obſcuris, in effigie Martis, Conſtantini lineamentis. Imò & galea iisdem ornamentis inſignitur, quibus & galea Conſtantini in *ſecundo*: adeò ut & hinc intelligas, ſub Marte hoc non tam Gentile Numen, quàm ipſum Imperatorem adumbrari. MARS vocatur, procul dubio ob devictos Galliarum Regulos, debellatosque Alemannorum Populos, de quibus Eutropius: *Conſtantinus*, inquit, *in Galliis & militum & Provincialium ingenti jam favore regnabat, cæſis Francis atque Alemannis, captisque eorum Regibus*; Vocatur MARS CONSERVATOR, procul dubiò, quòd Gallias, alieno Imperio preſſas, conſervâſſet.

Martia Conſtantini facinora, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam ex Numiſmate *quarto* elucent. DEBELLATOR GENTIUM BARBARARUM in eo vocatur, & ne obſcurum foret, ubinam Gentes Barbaræ eſſent, ſubjicitur GOTHIA. Benè hoc, reſpondit DULODORUS, & procul dubio adhuc recordaris verba Socratis, rei perquam convenientia: *Tametſi*, inquit, BARBARI *&* GOTHI *in agros Romanos irruptionem facerent, tamen Imperatoris inſtitutum in Eccleſiis conſtruendis neutiquum præpeditum eſt, ſed utroque negotio providè ab eo proſpectum. Nam iſtos, Crucis vexillo, quod eſt Chriſtianorum proprium, in prælio fretus, tam fortiter devicit, ut non ſolum tributum, quod ab antiquis Imperatoribus dari ſolebat, Barbaris Ipſe illis penitus ademerit; Sed illi etiam, quod incredibile, Victoriâ obſtupefacti, tunc primùm, Chriſtianæ Religioni colendæ, cujus præſidio Conſtantinus incolumis evaſerat, ſe totos traderent.* Hæc Socrates, ad quem notandum, *Gothos* ET *Barbaros* eum nominare, ac ſi Gothi Barbari non eſſent. Ita etiam in Numiſmatibus apud Dn. du Cange in Famil. Byzantinis Numiſma aliud DEBELLATORI GENTIUM BARBARARUM, aliud GOTHIA inſcribitur, adeò ut noſtrum, quòd utrosque & Barbaros & Gothiam conjungit, vel hinc eò rarius eſſe noſcatur. In ſequentium



Primo, inquit ARCHÆOPHILUS, Victoriam Constantini Augusti video. An eadem hæc cum Gothica fuit? Fortaſſis, regeſſit DULODORUS; Gothos enim devicit, poſtquam Vicennalia in Nummo expreſſa, modò egiſſet. Fortaſſis etiam Victoriam hanc de Licinio intellexeris, eò enim propè Chalcedonem ſuperatô, Vicennalia Nicomediæ egit. Ad hanc certè referrem & Victorias Lætas Principis perpetui in Nummo *ſecundo*; Liciniô enim dejectô, Collegam Imperii non amplius habuit: Imò & tunc demum etiam de ſuperſtitione Gentili triumphavit, id quod clypeô *Votis Populi Romani* inſcriptô, aræque impoſitô, præfiguratum credi poteſt. *Tertium* Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, certius eſt: Sarmatiam devictam Victoria, tropæum & palmam geſtans, calcat; Niſi is, repoſuit DULODORUS, quem Victoria calcat, Rauſimondus ſit, Sarmatarum Rex, quem Conſtantinus duobus præliis devictum occidit. Id anno V. C. 1074, Imperii Conſtantini 15. factum eſt, perrexit ARCHÆOPHILUS; at Idem etiam juvenis, cùm adhuc apud Galerium verſaretur, Sarmatas devicit. Tunc, inquit DULODORUS, nec Cæſar nec Auguſtus fuit, adeoque in Numiſmate Auguſti, potius ad factum poſterius erit reſpiciendum. In Numiſmate *quarto*, infit ARCHÆOPHILUS, Tropæum inter Captivos, Gaudium Reipublicæ inſcribitur. Rarum hoc Numiſma eſt, reſpondit DULODORUS, lucemque mutuatur ex aliis duobus in Familiis Byzantinis Dni du Cange, ubi aſſidens tropæo, in altero Francia, in altero Alemannia, *Gaudium Romanorum* inſcribitur: ſcilicet, quæ in his diviſa ſunt, ea in noſtro conjuncta videntur, inſcribunturque *Reipublicæ Gaudium*, quòd Gallis & Alemannis devictis, potentia Conſtantini vindicandæ Reipublicæ Romanæ par eſſe cœperit. Gallos & Alemannos, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ante Maxentium devicit Conſtantinus, quî igitur Tropæum de his *Gaudium Reipublicæ* inſcribatur? Procul dubio enim Rempublicam Romanam intellexeris, ex iis Numiſmatibus, quæ *Gaudium Romanorum* inſcribuntur. Facilè reſponderim, regeſſit

geſſit DULODORUS: Non primam hîc de Francis & Alemannis intellexerim Victoriam, ſed eam, quam Maxentiô oppreſsô retulit, ex Italia reverſus. Id non tantùm ex Numiſmate illo conſtat, in quo tropæum noſtro ſimillimum inter duos Captivos *Gaudium Romanorum* inſcriptum FRANC & ALAM ſubſcribitur, ſed etiam ex Zoſimo, qui Conſtantinum Maxentiô ſublatô ad Celtas & Gallos reverſum memorat. Hæc equidem ſatis ad rem, inquit ARCHÆOPHILUS, mihi tamen adhuc alia opinio ſedet: Pertinere ſcil. tropæum hoc ad devictos Maxentium & Licinium. Id ex eo Numiſmate colligo, in quo tropæum propoſito ſimillimum cum votis Decennalibus conjungitur, Victoriâ, ante quam tropæum viſitur, VOTA X. MULT. XX. Clypeo inſcribente, apud Dn. du Cange in Famil. Byzant. Nec hæc ratio, excepit DULODORUS, mihi videtur aſpernanda, idque vigore Numiſmatis *quinti*, quod indubiè ad Maxentii caſum pertinet; Tunc enim Reipublicæ Securitas rediit: tunc Conſtantinus *Conſervator Urbis ſuæ* appellari meruit, qualiter in alio: veriore ſanè elogiô, quàm Maxentius aut Romulus. Ad rem faciunt Pomponii Læti verba. *Victô Maxentiô*, inquit, *Senatus Populusque Romanus, quòd Tyrannide liberatus eſſet, marmoreum arcum, triumphis inſignem, inter Palatium & Cælium poſuit, qui nunc mutilatus conſpicitur, appellatusque eſt* LIBERATOR URBIS, & FUNDATOR QVIETIS. Quid hoc mirum? excepit ARCHÆOPHILUS, cùm tamen in ſequentibus



PRINCIPIS SAPIENTIA, AUGG. VIRTUS, & VIRTUS EXERCITUS celebretur. Sapientia Principis, reſpondit DULODORUS, egregiô hîc ſchemate fulget. Ara ſymbolum Pietatis eſt: Aræ innititur Noctua, ſymbolum Prudentiæ: Idque inter Caſſidem, Clypeum, & Haſtam, inſtrumenta bellica; Ut ſcil. agnoſcas, bella Conſtantini Pietatem tueri: Pietatem ejus, prudentiam fulcire: & hanc Virtutum mutuam opem, veram Principis Sapientiam eſſe. Sed plura de his videri poſſunt apud Triſtanum. In *ſecundo*, inſit ARCHÆOPHILUS, Virtus Augg.

procul dubiò de Conſtantino & Licinio erit intelligenda: Nihil in hoc, reſpondit DULODORUS, nihil & in Virtute Exercitus novum, niſi Labarum inter Captivos cum Votis XX. intuearis. De Labaro autem idem Triſtanus docebit. Me non tam Virtus Exercitus delectat, quàm elegantiſſimus tyus Numiſmatis *quinti*, in quo Victoria ante tropæum ſedens captivum calcat, ſiniſtraque palmæ, dextrâ Lauri ramum tenens, CONSTANTINIANA DAPHNE inſcribitur. Daphne, inquit ARCHÆOPHILUS, ſuburbium Antiochiæ fuit. Hanc ne intelligas, reſpondit DULODORUS, ſubjectæ literæ CONS. faciunt; Iis enim indubiè eviceris, Nummum non Antiochiæ, ſed Conſtantinopoli ſignatum eſſe. Potius, cùm Victoria hæc Lauri ramum præferat, Victoriarum ſymbolum, cum Eruditiſſimo Patino ad hanc reſpexeris, quaſi ob continuas Victorias, ea tota Conſtantini eſſet. Laurum Græcis Δάφνην dictam, indeque etiam Suburbium Antiochiæ nomen traxiſſe, quòd Lauris abundaret, notius eſt, quàm ut probari debeat. In ſequentibus



Jovem, *Martem*, & *Solem* contemplamur. Deos Ethnicos? excepit ARCHÆOPHILUS; At ego Conſtantinum Diis Ethnicorum valedixiſſe credebam? Valedixit, regeſſit DULODORUS, ſed non Imperii initiô; tunc enim adhuc Diis eum ſacrificaſſe, ſufficienti Authorum teſtimoniô conſtat, adeoque quid mirum, ſi tunc *Jovi Conſervatori*, qui in primo Numiſmate: Si *Soli invicto* & *invicto Comiti*, qui in *ſecundo* & *tertio* & *quarto*: Si *Marti* denique *Conſervatori* & *Patri* ſacra fecerit? Sufficit ab impietate eum deceſſiſſe, id quod univerſa Chriſtianorum Reſpublica ardentisſimis votis anhelabat.

Vota,



Vota, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in propoſitis video, eaque à *Quinquennalibus* ad *Tricennalia* usque; An autem hæc à Republ. Chriſtianorum ſuſcepta ſint, dubitem. Id non dico, repoſuit DULODORUS; Vota enim *primi* Numiſmatis Cæſarum fuére, non pro Salute animæ, ſed pro ſalute corporis & gloria nominis concepta, id quod ex Laurea intelligis. Talia ſunt & *Decennalia* Numiſmatis *ſecundi*, & *Vicennalia tertii*, & *Tricennalia quinti*. Sola *Vicennalia quarti* Pietatem ſapiunt; Quid enim globus aræ impoſitus, quàm Imperium terræ, pietate ſuffultum, ſignificet? Sed etiam hîc, excepit ARCHÆOPHILUS, dubium eſt, an ſuperſtitio Ethnica? an verò Pietas Chriſtiana debeat intelligi? In ultimo Nummo, reſpondit DULODORUS, res indubia eſt, Miles in eo globum tenens monogrammate Chriſti inſignitum, ÆTERNA PIETAS inſcribitur. Novum hoc eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, neque enim unquam hanc inſcriptionem memini legiſſe. Novum eſt, reſpondit DULODORUS, ſed propoſito noſtro convenientisſimum. Quis enim non intelligit militis Chriſtiani munia in *pietate?* quis non felicitatem in *pietate æterna?* Longior eſſem ſi Patrum, ſi Hiſtoricorum, de Conſtantini pietate, elogia enumerare vellem; Unicum Euſebii ſubjicio, cui, in Oratione de Laudibus Conſtantini σώφρων, ἀγαθὸς, δίκαιος, ἀνδρεῖος, Ἐυσεβὴς, Φιλόθεος, &c. *Non Temperans, bonus, juſtus* & *fortis* tantùm, ſed & *Pius* & *Amator Dei* audit. Hæc ſi ita ſint, perrexit ARCHÆOPHILUS, quomodò conveniet Numiſmatis adverſa? Annon in ea *Divus* vocatur? Et quid litera P. in inſcriptionis fine? Literam P. reſpondit DULODORUS, aut *Pium*, aut *Patrem* interpretaberis: *Divum* alio ſenſu accipies, quàm hactenus. In Ethnicorum Nummis ſub *Divo*, Deum quendam intellexére; Sed Chriſtiani non Deum, ſed Sanctum aut Beatum, qui poſt transactum in his terris pietatis curriculum, choro cœleſti aſſociatus eſt: ſive id ſolemni Conſecratione, id quod poſteris Sæculis in Eccleſia Romano-Catholica

Pontifex Maximus facere ſolebat; ſive piorum judiciô, qualiter & Nos defunctos Principes Divorum encomiô honoramus. De Conſtantino certè Eutropius: *Inter Divos meruit referri:* Et videri poſſunt Manuel Comnenus & Codinus Curopalates, quos Triſtanus allegat. Quicquid ſit, Numiſma rariſſimum eſt, cùm Illuſtriſſimus Mediobarbus ne unicum quidem, cum *Divi* elogio, Conſtantini Numiſma protulerit. Succedit Conſtantini Uxor,

FL. MAXIMIANA FAUSTA.



Hæccine illa, infit ARCHÆOPHILUS, quæ Criſpum tentatæ pudicitiæ ſuæ falsò accuſatum perdidit? tandemque in ardentes balneas conjecta, perfidiæ pœnas dedit? Ea ipſa, reſpondit DULODORUS, Maximiani Herculei filia. Nos duplici eam ex Numiſmate damus, eò quòd duplici in iis capitis ornatu fulgeat, quòdque diverſis Numiſmata in Urbibus ſint percuſſa, alterum Romæ, alterum Treviris. Imò & in averſis differentia eſt, excepit ARCHÆOPHILUS; Mulier enim duos pueros lactans, in altero Spes Reipublicæ, in altero Salùs Reipublicæ inſcribitur, idque, uti ad Cererem Κουροτρόφον inter Gemmas docuiſti, quòd duos filios, Conſtantinum Juniorem, & Conſtantem, jam peperiſſet, & fideliter educaret, in quibus & *ſpes*, & *ſalus Reipublicæ* ſita eſſet. Rectè meminiſti, inquit DULODORUS, & locus hic foret, educationis maternæ præconia texere, cùm revera in hac Reipublicæ & Spes & Salus verſetur. Notiſſimum illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu! — —

Si uſpiam, certè hîc locum habet. Sed hæc Philoſophorum ſeges eſt, & docet graphicè Phavorinus apud A. Gellium Lib. 12. c. 1. Nos ad Conſtantini merita revolvimur. Prodeunt

POPU-

POPULUS ROMANUS, ROMA, ET CONSTANTINOPOLIS.



Populus Romanus quidem, ſub capite Laureato, ut Victoriarum gloriam intelligas: & prominente à tergo Cornucopiæ, ut rerum abundantiam & felicitatem. Eleganter hoc, inquit ARCHÆOPHILUS; Quid autem in averſa? an navis? Navim, regeſſit DULODORUS, turribus munitam Dn. du Cange in Famil. Byzantinis arbitratur; Mihi autem Pons videtur: Et quid ſi ille, quem Conſtantinus in Danubio feciſſe, Cedreno memoratur? Inſcriptio obſtat, repoſuit ARCHÆOPHILUS, potius enim Conſtantinopolitanum quendam hæc arguit. Niſi Conſtantinum Pontis authorem deſignet, reſpondit DULODORUS. Sed res in medio jaceat! *Secundum* Numiſma Urbem Romam, & in averſa Lupam cum Romulo & Remo, ſub Laurea, & duabus Stellis exhibet. Duabus Stellis: procul dubio, quòd gloria ejus tam in Oriente, quàm in Occidente reſplenderet; Quanquam & Sceptro careat & Alis, quorum illud Imperii, hæ autem celeritatis bellicæ ſymbolum erant: Sceptrum ſcilicet jam conceſſerat Conſtantinopoli, quæ in ſequentibus Nummis Laureatâ caſſide tegitur, Sceptrumque globo ſuppoſitum oſtentat: Ut intelligas ſcilicet, Imperium Orbis terrarum penes hanc fuiſſe, non minus ac Victoriarum celeritatem & gloriam, id quod averſæ Victoria cum Clypeo & haſta navim ingrediens deſignare poterit. Navim, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ego ad ſitum maritimum referebam, duos enim portus Conſtantinopolim jam olim habuiſſe, ex Hiſtoricis conſtat. Portus otioſi non erant, excepit DULODORUS. Sex ex his emiſſæ Claſſes Urbi & tutelæ, id quod Clypeo à Victoriæ tergo adumbratum credi poteſt, & gloriæ erant, id quod affixa navis roſtro, in altero Palma, in altero Laurea evincit. Sed res nota eſt. Cæſares ſub Conſtantino M. præter alios fuére Licinius Junior & Criſpus.

LICI-

LICINIUS JUNIOR,



Licinii ex Constantia filius, vigesimô ætatis mense, à Constantino, cum Crispo & Constantino Juniore, *Cæsar* renunciatus, duodecimo, aut si mavis decimô quartô ætatis annô fraudibus Faustæ occubuit. Numisma *primum* annô ætatis septimô percussum videtur, tunc enim *Vota Quinquennalia* soluta sunt, quæ primo in Nummo visuntur: Tunc & *Vicennalia* suscepta, quæ in tertio. Si de his Tibi assentiar, infit ARCHÆOPHILUS, non tamen assentior de *secundo*, cum numerus XIII. in eo expressus procul dubio ad ætatem spectet. Quid numerus hic significet, regessit DULODORUS, non facilè dixerim, ne autem ad ætatem referam, facit Jupiter, cùm is procul dubio paternam idololatriam adumbret, quam Maximianô devictô is resumsisse, acrique deinceps in Christianos odio memoratur exseruisse. Simillimus certè typus etiam sub patre occurrit, & literæ Jovi subscriptæ S.M. ANT. A. *Signatam Monetam ANTiochiæ* significant, Oriente jam subactô. Et quid? an Tu credas Liciniô patre Constantini viribus dejectô, Licinio Cæsari integrum fuisse, Gentile Numen Numismatibus imprimere? Aliud sanè suadet Constantini & potentia & pietas: suadet Numisma *tertium*, in quo licet Vota XX. notata sint, apertum tamen Christianæ Religionis insigne Crux labaro impositum fulget.

Tria puncta video, excepit ARCHÆOPHILUS, in Crucis formam posita, an autem Crux ea sint, dubitem. Imò, inquit DULODORUS, puncta hæc apertis ad oculum lineolis cohærent, adeoque Crucem indubiè evincunt. *Virtus Exercitus* Labarum hoc inscribitur, non aliam ob causam, quàm quòd Crux, Exercitûs virtus crederetur; In hac enim Constantinus hostes suos devicisse plerisque Scriptoribus traditur. Idem etiam de Numismate quarto sentire licebit; in eo enim VICTORIÆ LÆTÆ PRINCIPIS PERPETUI, VOTA POPULI ROMANI clypeo inscripta, aræ imponunt. Simile omninò Numisma, subjecit ARCHÆOPHILUS, etiam sub ipso Constantino vidimus, ubi memini de devicto Licinio patre Te id explicâsse, quòd tunc Constantinus de superstitione Ethnica triumphaverit. Sed hoc Numisma rem dubiam facit, credibile enim non est, Victoriam de patre etiam in filio signatam fuisse. Res determinata non est, respondit DULODORUS, & poterit typus idem in diversis diversimode intelligi. Eundem certè etiam sub Licinio patre vidimus. Sed ad alios transeundum!

CRISPUS



Subit, Conſtantini ex Minervina filius, non quòd Licinio junior: contrarium enim ex hiſtoria patet; ſed quòd ſimul cum eo *Cæſar* fuit renunciatus, non minus ac Conſtantinus Junior, de quo infrà. Hic in *primo* Numiſmate, militari habitu, Princeps Juventutis vocatur. In *ſecundo*, Jupiter, Providentiæ Cæsarum Victoriam porrigit. Qualis ea providentia ſit, interpretatur Nummus *tertius*, ubi Porta murata, Urbis ſymbolum, viſitur. De Providentia, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & de Virtute militari Criſpi, nihil omninò dubitem; conſtat enim, Germaniæ limites eum contra Barbaros defendiſſe, Francos & Alemannos ſuperaſſe, Amandum, Licinii claſſis Præfectum, profligâſſe. Sed de Jove, Providentiæ Cæſarum Victoriam Orbis porrigente, neſcio quid dicam. Quid? annon Criſpus Chriſtianus fuit? Unde igitur Jupiter in ejus Nummo? Nicomediæ Nummus ſignatus eſt, excepit DULODORUS, Urbe Licinio ſubjecta, & proinde ſub Gentilis ſuperſtitionis Imperio gemente. Quid hæc potuit ſignare ſibi tutius, quàm Jovem, Cæſarum providentiæ Victoriam porrigentem? Eodem, excepit ARCHÆOPHILUS, pertinet & Solis Orientis typus, Claritas Reipublicæ inſcriptus, quem *quarto* in Numiſmate intueor. Non dixerim, reſpondit DULODORUS. Potius ipſum Criſpum ſub hoc typo intellexeris; Cæſares enim re ipsâ Reipublicæ Claritas ſunt, uti Sol oriens, eſt claritas mundi. In ſequentibus



Sunt VOTA *Quinquennalia, Decennalia*, & *Vicennalia* CÆSARUM, in prioribus, ut ſuprà ſub Licinio Juniore. Sed Crux, inquit ARCHÆOPHILUS, quæ illic Labaro inter Captivos impoſita, VIRTUS EXERCITUS inſcribebatur, hîc non apparet. Potius cuſpidem teli video. Ritè hoc, regeſſit DULODORUS, quanquam Criſpi pietas Licinii pietate potior fuerit. In prioribus ea non deſignatur, at deſignatur in Numiſmate *quarto*, ubi globus terræ ſub tribus ſtellis, quibus Cæſares deſignari credibile eſt, aræ incumbens, *Beata Tranquillitas* inſcribitur. De hoc Typo ſub Conſtantino M. vidimus, perrexit ARCHÆOPHILUS. Succedit igitur

DELMATUS,



Reſpondit DULODORUS, Conſtantini ex fratre Hanniballiano nepos, & ipſe à Patruo *Cæſar* appellatus. Etiam Hic Pietatem Chriſtianam Virtutis militaris baſin poſuit, id quod monogramma Labaro inſcriptum inter duos milites apertè docet. De Virtute Exercitûs teſtatur Expeditio in Meſopotamiam contrà Perſas: Teſtatur Kalocerus in Cypro captus, & Conſtantino adductus. Tantæ id facinus gloriæ Delmatio fuit, ut Thraciam deinceps, Macedoniam, Achaiam, ripamque Gothicam regendas acceperit. Tandem Conſtantinô jam mortuô, Conſtantii artibus periit.

CONSTANTINUS JVNIOR,



Qui cum Criſpo, & Licinio, *Cæſar* fuerat appellatus, Patre terrenis exemptô, diviſione ſive paternâ, ſive fraternâ, Occidentem memoratur obtinuiſſe. Hic in *primo* Nummo PRINCEPS JUVENTUTIS, Orbem terrarum haſtâ protegit. In *ſecundo* & *tertio* VOTA CÆSARUM QVINQVENNALIA, Criſpi ſcil., & Licinii, cele-

celebrat, quæ in annum V. C. 1074, Conſtantini 15. incidunt. Eorundem, excepit ARCHÆOPHILUS, etiam in ſequentibus



Decennalia leguntur, adeoque in annum V.C. 1079. Imperii Conſtantini viceſimum incidunt. Rectè numeras, inquit DULODORUS, nec aliud ad Nummum obſervari meretur, uti nec ad ſecundum, ubi *Providentia Cæſarum* eôdem modô præfiguratur, quô jam ſuprà eam vidimus. Sed idem non eſt de Numiſmate *tertio*, perrexit ARCHÆOPHILUS; Obſervandum enim, *quatuor* Auguſtorum Victoriam celebrari. Id in Theſauro Palatino feci, reſpondit DULODORUS, connumeratô tribus Conſtantini filiis Dalmatiô Cæſare, quem in diviſionem veniſſe, ex Victore diſcimus: *Singuli*, inquit, *ſuas partes regendas habuerunt*, Constantinus Junior *cuncta trans Alpes:* Constantius *cuncta à freto Propontidis, Aſiam, & Orientem:* Constans *Illyricum, Italiamque, & Africam:* Dalmatius *Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam*, &c. Sed brevis fuit Dalmatii dominatio, indeque eſt, quod in quarto Victoria, non *quatuor*, ſed *trium* Auguſtorum memoretur. Imperator hoſtem calcat, interrupit ARCHÆOPHILUS. Hunc Tu Conſtantium interpretatus es, cùm tamen Nummus Conſtantini ſit. Minimùm, excepit DULODORUS, Conſtantii Expeditio adumbratur, quam anno V.C. 1091. contra Saporem Perſarum Regem ſuſcepit. Id non aliundè colligas certius, quàm locô ſignaturæ, quæ Conſtantinopoli facta, ex ſubſcriptis CONOB. noſcitur. Sed alia ſubeunt,



 Virtu-

VIRTUTEM EXERCITUS variis ſchematibus exprimentia. In *primo*, figura cum globo, vallum conſcendit. De Vallo, inquit ARCHÆOPHILUS, res inſolita eſt. Jam dudum, regeſſit DULODORUS, Vallum eôdem planè modô, quô hic viſitur, ex Nummo Licinii protulit, egregieque, ut ſolet, illuſtravit Per-Illuſt. SPANHEMIUS, adductis locis Varronis & Livii, quorum alter: *Vallum, vel quod ea varicare nemo poteſt, vel quod ſingula ibi extrema bacilla fulcri illata figuram habent literæ V*; Alter autem: *Leves & bifurcos plerosque, & trium, & cum plurimùm, quatuor ramorum Vallos cædi*, oſtendit. Quid concinnius ad figuram in Numiſmate expreſſam dici poteſt? Fateor, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, adeoque ad reliqua tranſeo. Nihil ea ſingulare continent, reſpondit DULODORUS. In *ſecundo* ſunt duo milites haſtati cum ſignis: In *tertio* Labarum inter Captivos cum VOT. XX. qualiter jam aliquoties: In *quarto*, *Beata Tranquillitas*, cum globo, ſub tribus Stellis, aræ impoſito, de quibus ûtique ſufficienter ſub Criſpo & Licinio, quibus hos typos communes eſſe, ex adjecto NOB. CÆS. honore conſtat. Conſtantinus Junior, quod aſſignatâ Imperii portione contentus non eſſet, contra fratrem progreſſus, vitam amiſit. Imperium portioni ſuæ adjunxit

CONSTANS,



Trium Conſtantini M. filiorum minimus. *Primo* in Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, ambitioſô elogiô TRIUMFATOR GENTIUM BARBARARUM vocatur. Ambitioſô, inquit DULODORUS, ſed verô. Aurelio Victori, licet ei non ſatis æquo, Magnentii ſcelere circumventus memoratur, *externarum Gentium compreſſis motibus*: Et alteri Victori, *fortunatus cœli temperie, fructuum proventu, nulla à* BARBARIS *formidine*. Ut taceam, quæ majori Numiſmatis & fulcro & luci, Libanius & Julianus ſcripſére, quorum alter, *Expeditiones bellicas adhuc vivo Parente, contra* BARBAROS *glorioſè peractas*, oratione primâ laudat; alter BARBAROS *Occidentis ab eo ad quietem adactos*, Oratione tertia memorat. Appoſitè ſanè ad Numiſma, in quo Imperator non hoſtem proſternit, ſed Labarum & Clypeum tenet armatus, quaſi ob priores Victorias, Barbaris ſolam vigilantiam, & fortitudinis famam objiceret. Sed ne victoriis eum caruiſſe putes, inſpice Numiſmata *ſecundum*, *tertium*, & *quartum*. In *ſecundo*, excepit ARCHÆOPHILUS, una Victoria cernitur, in *tertio* ſunt duæ, ſibi invicem cum Laureis obviæ, in *quarto* itidem duæ, cum VOTIS X. MULT. XX. in Clypeo, corollis

rollis circumdato; Non autem unius, ſed duorum, has Auguſtorum Victorias eſſe, ex inſcriptionibus conſtat. Id ob concordiam, repoſuit DULODORUS, fieri ſolet. Cæterùm in eo, ubi duæ Victoriæ ſibi invicem obviæ gradiuntur: imò & in eo, ubi Vota prætendunt, altera apertè Conſtantis, altera Conſtantii eſt, videnturque pertinere ad annum V. C. 1098. quô Conſtantius Perſas in Meſopotamia, & Conſtans in Galliis Francos repreſsére. Si Conſtantis Victorias ſeparatas deſideres, habebis in ſequentibus.



In *primo*, duæ Victoriæ Clypeum corollis circumdatum cum *Vot. X. Mult. XX.* tenentes, *ob Victoriam Triumphalem* inſcribuntur, cùmque ea, quam contra fratrem obtinuit, Triumphalis non fuerit, conſequens eſt, ut ea intelligi debeat, quam de Barbaris, ut modò dictum, reportavit, cujusque magnitudinem exaggerat Libanius d. l. Victor obſtat, infit ARCHÆOPHILUS; Is enim ait, annô poſt Triumphum decimô, Magnentii ſcelere circumventum eſſe. Si hoc verum, Triumphaverit neceſſe eſt de fratre, nam hunc annô ante mortem decimô devicerat, eâque Victoriâ, ut idem Victor loquitur, tumidior factus erat. Nihil agis, reſpondit DULODORUS, Vota X. in Nummo expreſſa ſex annis poſt Conſtantini interitum celebrata ſunt, adeoque Numiſma ad eum devictum reduci non ſinunt. Idem eſt de Numiſmate *ſecundo*, in quo Victoria thoraci inſidens, & Genius alatus ſtans, Clypeum tenent, *Vot. XV.* inſcriptum. Vota hæc non de ſolutis, ſed de ſuſceptis intelligenda eſſe, inde patet, quòd ſuprà, cum ſolutis Decennalibus conjuncta proſtent: Adeo ut eadem Victoria & hîc ſit ſtatuenda, id quod etiam ex loco ſignaturæ conjicitur, utrinque eôdem. Signatam enim Monetam Aquilejæ, ex literis *S. M. AQ.* palam eſt.

In *tertio*, excepit ARCHÆOPHILUS, *Vota XX.* video, inſcribente Victoriâ in clypeo, figuræ cujusdam capiti impoſitô, eôdem fermè inventô, quô & ſuprà ſub Trajano vidimus. Rarum eſt hoc Numiſma, regeſſit DULODO-

 RUS,

RUS, elegantique typô Felicem Temporum Reparationem adumbrat. Qui clypeum ſuſtinet, procul dubio Barbarus quidam eſt, qui non nativâ ferox animoſitate reſiſtit, ſed flexô poplite,& elatis manibus Vota elevat. Typum, inquit ARCHÆOPHILUS, quid ſi intelligam de propagato Chriſtianiſmo, quòd ſcil. ſubactæ Victoriis Gentes Barbaræ votis acceſſerint? Id juſtius de Numiſmate *quarto* facies, reſpondit DULODORUS, in quo Imperator Puerum Barbaricum, ex ſpelunca tenebricoſa, in dias Luminis auras educit. Tempora ſcil. feliciter reparaſſe videtur, ut in priore Barbaros ſubigendo, ita in hoc eosdem in Veritatis lucem educendo, adeòque tam in temporalibus, ut loquuntur, quàm in Spiritualibus. Quid autem in Nummo *quinto* & *ſexto*? ſubjecit ARCHÆOPHILUS, quorum in altero Phœnix globo, in altero Imperator navi inſiſtens, remigante Victoria, dextra Phœnicem, ſiniſtrâ Labarum cum inſcriptô monogrammate Chriſti tenens, eôdem lemmate inſcribitur? Ad Phœnicem, reſpondit DULODORUS, jamdudum notata ſunt verba Ori Apollinis: *Inſtaurationem*, inquit, *quæ poſt multa fiat ſæcula, volentes indicare, Phœnicem avem pingunt.* Navis aurigante Victoria, ad trajectum Conſtantis in Britanniam pertinet, de quo Julius Firmicus Maternus, de Myſteriis & Erroribus profanarum Religionum: *Viciſtis hoſtes*, inquit: *Propagaſtis Imperium, & ut Virtutibus veſtris major gloria accederet, mutato temporum ordine, hyeme (quod nec factum eſt aliquando, nec fiet) tumentes ac ſævientes* undas calcaſtis Oceani Britannici. *Sub remis veſtris, incogniti jam pene novi maris unda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem* Britannus *expavit. Quid amplius vultis? Virtutibus veſtris victa Elementa ceſſerunt.* Sed de his hactenus. Conſtante ſublatô, Provincias ejus occupavit

MAGNENTIUS



In *primo* Numiſmate, monogramma Chriſti, Salus DD. NN. Aug. et Cæs. inſcribitur, adjecto A. & Ω. ac ſi Magnentius eximius Chriſti Cultor fuiſſet, omnemque in Chriſto Salutem, & ſuam & fratris ſui Decentii poſuiſſet, cùm tamen in Chriſti contumeliam, magicis artibus operam dederit, Sacrificia Gentilium nocturna permiſerit, crudelitate & perfidiâ Gentilibus pejor fuerit. Egregia laus! inquit ARCHÆOPHILUS; Imò, reſpondit DULODORUS, ſi debitum ejus elogium deſideres, adeundus Tibi S. Athanaſius, qui alterum Cain, ſecundum Judam, Monſtrum abominandum, Furiam infernalem, & ipſum Diabolum vocat. Nos ejus Numiſmata contemplamur. Reliqua tria ad dejectum

jectum Imperio Nepotianum pertinent, id quod ex inscripta ROMANORUM & GLORIA & LIBERTATE intelligis; Romæ enim Imperium invaserat Nepotianus, & Romæ oppressus est, Magnentioque ob eam victoriam columna erecta, cum hac inscriptione:

LIBERATORI. VRBIS. ET. ORBIS. ROMANI.
RESTITUTORI. LIBERTATIS. ET.
REIPUBL. CONSERVATORI MILITVM PROVINCIALIVM
D. N. MAGNENTIO. INVICTO. PRINCIPI.

At nisi fallor, subjecit ARCHÆOPHILUS, Victoria ea non tam Romanorum gloria & libertas, quàm opprobrium & servitus fuit. Veritatem sub Tyrannis non quæsieris, reposuit DULODORUS. In sequentibus



Non VICTORIÆ tantùm, sed & GLORIA, & REPARATIO TEMPORUM, imò & FELIX TEMPORUM REPARATIO visitur; Quæ autem temporum reparatio sperari poterat, Magnentio cædibus omnia replente? rebusque confundendis pertinaciter inhærente? uti Constantius apud Ammianum loquitur. De Victoriis quidem cesserim, regessit ARCHÆOPHILUS; Constat enim, eum non Nepotianum tantùm vicisse, sed etiam, Victore teste, apud Ticinum plures ex Constantianis fudisse. Apposite! perrexit DULODORUS; Id enim factum est, cùm jam apud Mursiam victus esset: Nec prius Numismata percussa esse, ex adscriptis in primo VOTIS V. MULT. X. intelligis, priora enim procul dubio, licet de anticipatis intelligenda sint (Magnentius enim Quinquennium non Imperavit) tamen intelligenda sunt de solutis, quod nisi sub Imperii finem fieri non potuit. Aliud dubium in hoc Nummo est, interrupit ARCHÆOPHILUS. Victoriæ ibi *Augg.* & *Cæs.* dicuntur, quis autem à partibus Magnentii, præter ipsum, Augustus fuit? Decentius, inquit DULODORUS; Hic enim cùm prius Cæsar esset, sub finem *Augusti* titulum usurpasse, ex Nummis noscitur. Secus est in Desiderio, altero Magnentii fratre; Hic enim *Cæsaris* tantùm titulô fulsit, adeòque eôdem etiam, in Nummo hoc, designari credendus est. Sed prodeat

DECEN-

DECENTIUS,



Fratre ſuo non melior, licet & Hic Chriſti monogramma expreſſerit, in *primo* quidem Numiſmate ſub inſcriptione Salutis, in *tertio* autem votis impoſitum. Hypocriſin hæc arguunt, quam ſatis clarè prodidit exitus, quô contra omnia Chriſtianitatis principia, juxtaque abominanda Gentilis diſciplinæ præcepta, rebus deſperatis, laqueo ſibi vitam eripuit. In reliquis Numiſmatibus Victoriæ ſúnt: in *ſecundo* quidem non alia, quàm de Nepotiano; ea enim utrique communis fuiſſe potuit, *Libertatisque Romanorum* elogium etiam ſub fratre recepit. Quo jure, excepit ARCHÆOPHILUS, jam dictum; Dictum & de iis, quæ *tertio* in Nummo Vota præferunt: pertinere ſcil. ad victos Conſtantii, quos præmiſerat, Manipulos. Si res minus placeat, reſpondit DULODORUS, poteris, ſi non rem, tamen ſpem ſub iis intelligere, non enim omnia, quæ Imperatores Nummis jactant, ea etiam ſemper fecere. Quædam ſpes, quædam adulatio ſuggeſſit. Ita & in Nummo *quarto* Victoria D. N. Cæsaris vocatur, cùm tamen Decentius à Chnodomario Alamannorum Rege apud Ammianum victus legatur; Quanquam etiam hoc Numiſma ad Nepotiani interitum referri poſſit. Illud notandum, Decentium non tantùm *Cæſarem*, & *Nobiliſſimum Cæſarem*; ſed & *Fortem*, aut *Fortiſſimum Cæſarem* vocari. Quid autem fortitudo, ſi fortuna deſit? Iisdem temporibus in Illyrico purpuram ſumſerat

VETRANIO,



Quem alter Victor, *Literarum expertem, ingenio ſtolidiore, idcircoque agreſti vecordia peſſimum:* Et alter, *uſque ad ſtultitiam ſimpliciſſimum* vocat. Eutropio tamen, *Vir probus, & morum veterum, ac jucundæ civilitatis* audit. Quicquid ſit,

pietatis

pietatis tamen, & cum Conſtantio ſocietatis, indubitatum hic Nummus teſtimonium perhibet. Pietatem agnoſco, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Victoriæ enim contra Magnentium ſpem, ſignum Crucis ponit; at ubi ſocietas cum Conſtantio? Nonne idem ſignum etiam in Magnentii Nummis modò vidimus? Vidimus, repoſuit DULODORUS, ſed non eô modô, quô hîc proponitur; Quid enim? annon lemma *in hoc ſigno victor eris*, idem eſt, quod Conſtantino Magno contra Maxentium pugnaturo memoratur apparuiſſe? Quid ſi eodem uſi ſint & Vetranio & Conſtantius, pugnaturi contra Magnentium? Idem ſanè typus, qualiter hîc viſitur, etiam in Numiſmate Conſtantii proſtat, apud Cel. Patinum, adeò ut non videam, quid opinioni contrarietur? Si hoc ita ſit, perrexit ARCHÆOPHILUS, non video, quid cauſæ fuerit, cur à Conſtantio Vetranioni Imperium fuerit abrogatum. Factum certè non excuſaverim. Cauſa, inquit DULODORUS, poterit fuiſſe legitima ſucceſſio in Regna fraterna, quæ Conſtantio potius debebatur, quàm Vetranioni: Poterit fuiſſe Vetraniónis levitas, qui approximante Magnentio, quòd Conſtantinus adhuc abeſſet, hujus partibus relictis, hoſti ſe applicuit. Illud autem clementiam Conſtantii probat, quòd vitam ei, & honeſtum in Bithynia ſeceſſum permiſerit: uti Vetranionis pietatem, quòd fortunæ iniquitatem non deſperatione fuerit ultus, ſed ut Chriſtianum decebat, patienter exceperit. Ita dejectis Tyrannis, totius Orbis Imperium, quod inter Conſtantini M. filios diviſum diximus, recepit, qui ex tribus ſuperſtes adhuc erat,

CONSTANTIUS.



Ejus fulgidiſſimum Numiſma, non metallô tantùm, ſed & magnitudine, & typô, producimus. Sive aurum reſpicias: ſive maximum, quô ſignatum eſt, modulum: ſive denique figurarum Magnificentiam, ubique reſplendet decantatiſſima Romanorum Gloria. In figuris, excepit ARCHÆOPHILUS, Conſtantium intueor, cujus Proſopographiam Cedrenus tradidit: *Staturâ*, inquit, *fuit Conſtantius procerâ, flavus, adſpectu truci, animo inconſtanti, rei Venereæ abſtinens, comis erga amicos, in cibo continentiam adhibens, Subditorum petitionibus & cauſis benignus: fructibus prorſus abſtinebat, in contentionibus Ducum ſemper decorum ſervabat, neminem ineruditum in Senatum recipiebat. Ipſe & proſam ſcribere, & verſus pangere didicerat; Unum ei vitium adfuit, pravæ de Religione opiniones.* Hæc Cedrenus, inquit DULODORUS, ſed magis ad rem Ammianus, cui *ſubniger, luce oculorum editâ, cernensque acutum, molli capillo, raſis aſſiduè genis, lucentibus ad decorem: usque ad pubem ab ipſis colli conjuniis longior, breviſſimis cruribus & incurvis memoratur fuiſſe.* Sed de averſa videndum, in qua Conſtantinopolis ſedet. Conſtantinopolis, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, vel Coronâ turritâ, vel etiam caſſide inſignis ſolet eſſe; at hîc neutra apparet: Et quomodo, ſi Conſtantinopolis hæc eſt, *Gloria Romanorum* inſcribitur? Conſtanti-

ſtantinopolis Romæ utique, imò totius terrarum Orbis, detrimentô crevit, adeoque non tam Gloria, quam ludribrium Romanorum exſtitit. Mihi potius Conſtantii Uxor, Fl. Max. Fauſtina, ſub hac fœmina agnoſcenda videtur. Fauſtinam fortaſſis non excluſeris, reſpondit DULODORUS; ita enim & Conſtantini Magni effigiem, in effigie Conſtantinopoleos cernimus; quanquam præcipua non hujus, ſed omninò Conſtantinopoleos rationem habendam, & ex Inſcriptionibus, & ex inſignibus conſtet. In propoſita certè notandum, Conſtantinopolim habitu pacificô præfigurari, procul dubiô, quòd Magnentiô dejectô, Orbis terrarum Imperium deinceps, gloriosâ pace adminiſtratura eſſet: Notandum, Eam globum cum Victoria tenere, qualiter & in aliis Nummis, Soliumq; ejus ad pedes, ad roſtri navalis imaginem adornatum eſſe, quod Conſtantinopoli utique proprium eſt, ſitumque Maritimum Navalemque potentiam indicat. Ex inſcriptione quod moves, nihilò firmius eſt. Non Gloria Romæ, ſed Gloria Romanorum ea inſcribitur: Romani autem fuére, quicunque Orbem Romanum habitabant, ipſius etiam Conſtantinopoleos incolæ, cùm hanc utique *Novam Romam* appellatam conſtet. Glorioſum ſanè Romanis fuit, Urbem veteri Romæ, quæ mille jam annis ſteterat, & vix ſeptingentis ad culmen Imperii pervenerat, & potentiorem & elegantiorem tam exiguô tempore exſtruere potuiſſe: Glorioſum, Imperatoriæ huic ſedi Victorias Orbis terrarum Laureas tuliſſe; Sed quid rei actæ inhæreo? Si laudes Conſtantinopoleos deſideres, eas jamdiu congeſſit Cel. Triſtanus T. III. p. 557. Numiſma noſtrum Antiochiæ ſignatum eſſe, ex literis ſubſcriptis S. M. ANT. conſtat. In ſequentium



Secundo, perrexit ARCHÆOPHILUS, non Conſtantinopolis, ſed ipſe Imperator cum Labaro, monogrammate Chriſti inſcripto, *Romanorum Gloria* vocatur. Non indigno ſanè lemmate, excepit DULODORUS; Imperatores enim, Chriſtianam fidem amplexos, Romanis glorioſius fuit, quàm ſi decies terrarum Orbem viciſſent. Quantum ſalus animarum ſaluti corporis præferri meretur, tantum & hæc gloria Gloriam bellicam ſuperavit. Sed *primum* Numiſma

mifma prætereundum non eft. Quatuor in eo Cæfares, *Romanorum felicitas* infcribuntur. Quatuor Cæfares? infit ARCHÆOPHILUS, & quinam ii fuerint? Tres Conftantini filii, refpondit DULODORUS, & Delmatius, uti jam fupra docui. Notandum autem tres Conftantini filios ex ordine ætatis pofitos, quâ ratione Conftantinus Junior is erit, qui in Numifmate Maximus eft: Conftantius, qui medius: Conftans, & Delmatius, qui utrinque minimi funt. At, inquit ARCHÆOPHILUS, an hi *Romanorum felicitas* infcribantur? Annon Romani feliciores fuiffent, fi unus tantùm in Imperio fucceffiffet? Divifio, refpondit DULODORUS, ducit ad interitum. Interim tamen negari non debet, plures hæredes, Imperiorum fulcra effe, & hoc fenfu quidni quatuor fub uno Augufto Cæfares, *Romanorum felicitas* appellentur? cùm tamen, ut ex *tertiô* patet, PRINCIPES hi JUVENTUTIS, jam tum defendendo terrarum Orbi fe pares oftenderint. In *quarto*, fubjecit ARCHÆOPHILUS, & *quinto* Numifmate, Roma & Conftantinopolis fedentes, Votaque præferentes, vel Vicennalia multiplicata Tricennalibus, vel Tricennalia multiplicata Quadragenalibus, GLORIA REIPUBLICÆ infcribuntur. Etiam hoc lemma, inquit DULODORUS, fuâ ratione nititur. Quid in Imperio Gloriofius, quàm præcipuorum membrorum Concordia, præfertim fi capitis Imperii falutem ea fpiret? Illud autem in Nummo ultimo fingulare eft, quòd *Maximi* cognomen etiam Conftantio tribuatur, quod alias Patri Conftantino folebat, quòdque nomen Theffalonicenfium, inter Monogrammata Chrifti fulgeat, apertò teftimoniô, fidem Chriftianam, quam S. Pauli minifteriô acceperant, etiam tum eos retinuiffe. In fequentium



Quarto, idem in averfa typus eft, licet Numifma Murfiæ, Pannoniæ inferioris Oppido, fignatum fit. Caput, infit ARCHÆOPHILUS, directum eft, habituque militari cum Equite in clypeo, hoftem profternente. Subeft ratio, excepit DULODORUS; Conftantium enim armatum, & ex equo dimicaffe, Juliani teftimoniô conftat, Orat. II. & Murfiæ Magnentium viciffe, ex Eutropio patet. Sed *Reipublicæ gloria* appellatus eft Conftantius, non tantùm cùm *Auguftus*, fed etiam cum adhuc *Cæfar* effet; id enim ex Numifmate *primo* difcimus, in quo Victoria & Genius clypeum laureatum cum Sole elevant, procul dubio, quòd novus hic Sol in Reipublicæ gloriam & exfurgeret, & decurfurus effet. Moneta, perrexit ARCHÆOPHILUS, Antiochiæ fignata, ex literis

S. M. AN. noſcitur; Quid igitur, ſi Sol ad Apollinem referatur, cui Antiochia dicata erat? Poterit hæc ratio invento ortum dediſſe, reſpondit DULODORUS; Cùm autem Antiochia propriè Reipublicæ gloria non fuerit, & aliâs apud Dn. du Cange in Famil. Byzantinis, Sol CONSTANTIUS CÆSAR ſubſcribatur, omninò meam opinionem prætulerim. Hinc certè etiam in Numiſmate *ſecundo*, licet *tres* Palmæ, *tres* procul dubio fratres ſignificent, mediæ tamen, quæ procul dubio Conſtantium adumbrat, Stella, ſive Sol, incumbit, cum inſcriptione CONSTANTIUS AUG. Stellam hanc, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Triſtanus de anima Patris Conſtantini interpretatur, & quid ſi etiam Oriens ea indigitetur, quæ Conſtantio in diviſione obvenit? Ne ſic quidem malè, reſpondit DULODORUS, quanquam etiam ipſe Conſtantius ſub ea latere poſſit, adeò ut quinquies in Nummo exſtet, bis in nomine, ſemel in effigie, & bis in figuris, Stella ſcil. & palma: Egregiâ ſupra fratres præeminentiâ; Hi enim Solis palmis, & quidem inclinatis jam, adumbrantur, adeò ut futurorum præſagium hoc in Numiſmate latere, ritè aſſerere poſſimus. De Palmis videatur allegatus Triſtanus, qui ex Artemidoro, Achmet & Libanio rem clarè docebit. *Tertium* Numiſma, excepit ARCHÆOPHILUS, Labarum cum Votis XX. Mult. XXX. inter duos Captivos fixum, GAUDIUM ROMANORUM inſcribitur. Quis rei ſenſus? Ex Votis eſt eruendus, inquit DULODORUS. Vota Vicennalia Conſtantius anno V. C. 1098. celebravit, cùm ipſe in Oriente Perſas, & Conſtans in Galliâ Germanos deviciſſet. Sed alia ſubeunt



Victorias Conſtantii plenius nobis adumbrantia: In *primo* quidem *Cæſaris* adhuc cum VOTIS X. quæ cum Trecennalibus Patris incidunt: in reliquis autem Conſtantii & Conſtantis, id quod ex inſcriptione VICTORIA. DD. NN. AUGG. palam eſt. Ad eaſdem de Perſis & Germanis Victorias hæc pertinent, neque enim vel ad Magnentium, alioſve Tyrannorum quoſcunque reſpexeris, cum has Conſtante cæsô demum obtinuerit. De *Cæſaris* Victoria, repoſuit ARCHÆOPHILUS, mihi dubium eſt; Quam enim *Cæſar* adhuc reportavit? an de Perſis? Non dixerim, regeſſit DULODORUS, licet enim ſub finem Imperii Paterni bellum Perſicum inceperit, tamen intra apparatum ſtetit ad usque Conſtantini mortem. Ego potius ad bella paterna contra Gothos reſpicerem, quibus Conſtantium interfuiſſe, rudimenta Martia poſiturum, perſuadent tot alia Numiſmata, ſub *Cæſare* adhuc percuſſa, in quibus *Gloria Exercitûs*, *Militum Concordia*, *Cæſſ. Virtus*, *Felix Temporum Reparatio*. Sed de Conſtantio hæc ſufficiant. Succedit FL.

FL. CL. JULIANUS,



Abominandus ille, post agnitum Christum, ad Demonas Gentilium Apostata. Hæc nisi fallor, inquit ARCHÆOPHILUS, sunt illa Numismata, quæ malè à Te in Thesauro Palatino explicata, Cl. Gronovius notavit, *primum* Numisma non ad Chnodomarium, quod Tu facis, sed ad Vadomarium; *secundum* autem non ad Juliani Victimas, sed ad repertum Apim referenda existimans: Idque me quidem judice rectè; Barba enim mediocriter succrescens in Numismate primo, non minus ac Augusti cognomen, Numisma ad ea tempora referendum arguunt, quô Vadomarium cepit, & ita presso à tergo barbarorum capite, in Orientem Victoriosus properavit. Ita & Apim utique apertè evincunt Sidera, evincit Aquila huic Lauream porrigens. Quid dicis DULODORE? Laudo Gronovii acumen, respondit Ille, quanquam nec mihi rationes desint, quibus opinionem meam tuear. Vadomarium in Numismate *primo* intelligi posse fateor, si Victori fides sit, qui prælio captum memorat, id quod Inscriptio VIRTUS EXERCITUS ROMANI evincit; Si autem Ammiano credendum, quem Gronovius sequitur, Vadomarium nullô modô intelligi posse, audacter asseverem. Ammianus enim non præliô, sed inter epulas & per insidias captum tradit. Quæ autem eo in facto Exercitûs Virtus? Mihi, ut sub captivo hoc non alium latere, quàm Chnodomarium affirmaverim, rei Gloria persuasit, cùm hoc prælium verè Virtutis Romanæ documentum fuerit. *In Campis Argentoratensibus,* inquit Victor, *apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias Julianus delevit. Stabant acervi, montium similes, fluebat cruor fluminum modô. Captus Rex Nobilis* CHNODOMARIUS, *fusi omnes Optimates, redditus limes Romanæ possessionis.*

Chnodomarium, inquit ARCHÆOPHILUS, cepit annô Cæsareæ dignitatis tertiô, Numisma autem cum barbæ primitias præferat, & Augustum appellet, annô sextô, vel septimo percussum noscitur, cùm contra Constantium progrederetur, paulòque ante Vadomarium cepisset. Ita tempus pro Gronovio militat, Tibi autem apertè contradicit. Quasi verò, excepit DULODORUS, non omnis contra Francos & Alemannos Romani Exercitûs, Duce Juliano, Virtus hîc adumbretur? Audi ipsum Julianum jam Augustum, & expeditionem contra Constantium molientem! Audi verba ad Exercitum ex Ammiano! *Arbitrio Dei Cœlestis*, inquit, *vobis inter ipsa juventæ rudimenta permixtus, irruptiones Alemannorum assiduas & Francorum, populandique jugem licentiam fregi, & vigore communi Romanis agminibus quoties libet Rhenum pervium feci, contra rumorum fremitus, Gentiumque validarum violentos incursus stando immobilis,* VIRTUTIS VESTRÆ *nimirum firmamentô confisus.* Addamus & publicos famæ rumores: *Fama*, inquit idem Ammianus, *per Illyricos omnes celebrior fundebatur; Julianum stratâ per Gallias* MULTITUDINE REGUM & GENTIUM, *numerosô Exercitu, & successibus tumidum adventare.* Quis ex his militem cum tropæo gradientem, & Captivum manu dextrâ prementem, & respicientem, non

 Julia-

Juliannm interpretetur, non Vadomariô per insidias captô, sed Virtute Exercitûs Alemannis devictis, Ortum versus gradientem? Et quis non sub Captivo Regum aliquem Alemannos repræsentantem? Et quidni Chnodomarium, cùm hic *Rex Nobilissimus* audiat, & præliô superatus, & captus fuerit, omnium maximo? Res utcunque credatur, subjecit ARCHÆOPHILUS, figuram autem gradientem ego non tam Julianum, quàm militem aliquem Exercitum repræsentantem arbitrarer, id quod inscriptio suadet. Et quis, regessit DULODORUS, Exercitum potius repræsentaret, quàm Imperator? Julianum sanè ex Gigantæo gressu agnoveris, de quo idem Ammianus: *Ridebatur*, inquit, *ut Cercops, homo brevis, humeros extentans angustos, grandiaque, incedens, tanquam Ori frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immensum tollit.* Sed ad *secundum* Numisma transimus, heîc ego cum Tristano ad immania Juliani sacrificia respexi; Gronovius autem non Taurum Victimam, sed omninò Apim exhiberi arbitratur, idque ex Ammiano, cujus hæc sunt: *Sacrorum*, inquit, *in Casio Syriæ, perfectô ritu, digressô offeruntur Rectoris Ægyptii Scripta, Apim bovem operosâ quæsitum industriâ, tamen post tempus inveniri potuisse firmantis.* Ad Numisma hoc appositè! exclamavit ARCHÆOPHILUS; In Casio enim sacrificavit, in Persas expeditionem moliens, quô tempore barbam jam hircinam alebat, quam & in Nummo præfert. Credendum sanè, cùm plura passim de interitu ejus ostenta nunciarentur, unum Apim rumoribus eum opposuisse, ac si is feliciter inventus, Rempublicam securam sponderet: Adeòne certus hujus opinionis es? respondit DULODORUS. At mihi res infirma videtur; Eôdem enim Ammiano teste, Apis non tam *securitatem Reipublicæ*, quàm *ubertatem frugum, aliaque bona* portendebat. Non *Soli* sacratur, sed *Lunæ*, quam non in capite gestat, sed latere in dextrô. Adde, quòd Numismata hæc non in Ægypto percussa sint, qualia multa alia, sed vel Sirmii Oppido Pannoniæ, vel Constantinopoli, vel Heracleæ, aut Lugduni, qualia apud Dn. du Cange visuntur. Adde, quòd non in omnibus barba illa Hircina appareat, quæ in superiore. In sequenti



Cimeliarchii hujus Electoralis Nummo, barba brevior Nummum sub Imperii Augustalis initia signatum arguit, quô tempore Apis nondum inventus erat. Sed fruatur opinione de Api quicunque volet. Mihi pro Sacrificiis sentire, vel ideò volupe est, quòd Julianus in horum Magnificentia & suam & Reipublicæ securitatem posuit. Id inde colligas, quòd eôdem Ammianô teste, *exta rimabatur assiduè*, quòdque nunciatâ Constantii morte *vaticiniis credidisse* perhibetur. Indè certè hostiarum sangvine plurimô aras, crebritate nimiâ perfudit, Tauros aliquoties immolando centenos. Stellæ adhuc dilucidandæ sunt, infit ARCHÆOPHILUS. Orientis, respondit DULODORUS, & Occidentis creduntur symbola, quòd scil. uterque sub Juliani pietate securus ageret. Inde nescio, annon & hîc pro Sacrificiis ratio lateat; Solem enim Julianus impensè coluit, adeò ut *Regem* & *Dominum* haud raro appellet, *securumque tandem*

dem portum habiturus, etiam Mercurio in Cæſaribus dicatur. Sed ad alia tranſimus.



Tria priora adhuc *Cæſaris* honori percuſſa ſunt: *primum* quidem, ob *ſpem Reipublicæ*, quam de eo conceptam fovebant, cuique reſpondit & Militum Fides, quam in ſecundo Signa evincunt: Et Temporum Reparatio, quæ in tertio ſub Equite proſtrato adumbratur. De Alamannis, inquit ARCHÆOPHILUS, hæc intelligenda eſſe, ex ſuperioribus conſtat, & hîc ut Victoriam de Chnodomario intelligam, facilè adducor, quid autem Vota Quinquennalia Decennalibus? Quid Decennalia Vicennalibus multiplicata? An Julianus tantum Imperii ſpatium implevit? Quinquennalia, regeſſit DULODORUS, quinto anno celebravit, poſtquam Cæſaream dignitatem ſuſcepiſſet; Decennalia autem videtur anticipaſſe eô annô, quô contra Perſas proficiſcens occubuit. Nonus enim is erat à Cæſarei Imperii primordiis; Conſuetô enim numerandi modô eum connumerabant annum, quô vota proximè ſoluta erant, ita ut idem annus, qui quintus erat ab Imperii initiô, idem erat & primus Quinquennii ſecundi. In Numiſmate notanda ſubſcriptio URB. MON. Notandus bellicus Imperatoris habitus, expeditionis in Perſas luculentiſſimus teſtis. Succeſſit

JOVIANUS,



Motu corporis, ut Ammianus ait, *gravi, vultu lætisſimo, oculis cæſiis, vaſtâ proceritate & arduâ, adeò ut diu nullum indumentum Regium ad menſuram ejus aptum inve-*

inveniretur. Hæc ad Numiſma egregiè faciunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Quid autem Victoria, cùm tamen turpi pace Gloriam Romanam contaminâſſe memoretur? Pax, reſpondit DULODORUS, quam Jovianus cum Perſis fecit, ex Gloria quidem Romani Nominis non fuit, ſed fuit ex neceſſitate, in quam Julianus Exercitum præcipitaverat. Cùm hâc pace cum Perſis factâ ſupereſſet, & Exercitum ab interitu reduxiſſet: imò cùm devictis Gentilium ſuperſtitionibus, ſincerum Chriſti cultum reſtituiſſet, facinus utique jactare potuit, omni Victoria glorioſius, quidquid contrà Chriſtiani nominis deblaterent hoſtes. Non ſatisfacit ratio, excepit ARCHÆOPHILUS. Laudem hôc factô Jovianum meruiſſe non nego, an autem Victoriam jactare potuerit, valdè dubitem. Si res minus placet, reſpondit DULODORUS, reſpice inſcriptionem. Non ſuam, ſed *Romanorum Victoriam* jactat, procul dubio ut hanc etiam ſibi Laureas impoſituram oſtenderet; Sed vitæ brevitas ſpem intercepit. Octavo Imperii menſe defunctum, excepit

VALENTINIANUS,



Cujus *Corpus*, ſecundum Ammianum, *lacertoſum & validum, Capilli fulgor, colorisque nitor, cum oculis cæſiis, ſemper obliquum intuentibus & torvum, atque pulchritudo ſtaturæ, lineamentorumque recta compago, majeſtatis Regiæ decus implebant.* Cedreno, *corpore magno, ruber, rufo crine, oculis pulcris & aliquantulum cæſiis* fertur. Effigiem & ſtaturam in Numiſmatibus contemplamur, quorum in *primi* averſa, Urbs Roma ideò expreſſa videtur, quòd Valentinianus conceſsô fratri Oriente, Occidenti imperitaverit, Romamque Imperii ſedem habuerit. Idem, repoſuit ARCHÆOPHILUS, in *ſecundo*, dextrâ Captivum premit, ſiniſtrâ labarum, cum Chriſti monogrammate, præfert. Victorias hæc & fidem arguunt, reſpondit DULODORUS; Cùm enim Valens frater Arrianos ſequeretur, Valentinianus Orthodoxæ Religioni memoratur adhæſiſſe. Et quis de Victoriis neſcit? Picti, Atacotti, & Scoti in Britannia à Theodoſio domiti: Alamanni à Jovino primùm, inde apud Solicinum ab ipſo Valentiniano inſigni Victoriâ ſuperati: Saxones repulſi: Sarmatæ per Theodoſium filium repreſſi; Firmus Mauritaniæ Regulus per Theodoſium patrem: Tandemque ſub Imperii finem & Quadi ad pacem adacti, luculenter utique docent, & GLORIAM ROMANORUM, quæ in *ſecundo:* & RESTITUTIONEM REIPUBLICÆ, quæ in *tertio:* & VICTORIAM AUGG. quæ in *quarto* Numiſmate viſitur. In *quarto*, inquit, ARCHÆ-

ARCHÆOPHILUS, duo Augusti sedent: An Valentinianus & Valens? Fortassis, excepit DULODORUS. Fortassis etiam ad Gratianum respexeris, Numisma ad Victoriam de Alamannis ad Solicinum referens; Hoc enim in prælio Gratianum præsentem fuisse, ex Ammiano discimus. In sequentium



Primo, subjecit ARCHÆOPHILUS, video Gloriam Romanorum eôdem modô adumbratam, quô Constans *Temporum Reparationem* expressit. Imperator navi vehitur, remigante Victoriâ. Typum hunc, respondit DULODORUS, sub Constante ad trajectum in Britanniam retulimus, & eôdem ut referamus etiam sub Valentiniano, Expeditio Theodosii contra Pictos, Atacottos, & Scotos suadet, cujus modò meminimus, quamque enarrat Ammianus. De Securitate Reipublicæ, quæ *secundo* in Numismate legitur, nemo dubitabit, cùm Victoria juxta expressa, Victoriis Valentiniani eam stabilitam arguat. Idem, perrexit ARCHÆOPHILUS, procul dubio etiam de Romanorum Virtute dixerim, quum Roma Huic, in *tertio* Numismate expressa, & quietem suam & Victoriarum gloriam debuerit. Ritè sentis, inquit DULODORUS, indeque nec mirum, quòd pro Imperatore, concepta Romanorùm Vota prostent. In *quarto* Numismate *Quinquennalia* vides *Decennalibus multiplicata*, qualia me hactenus sub Valentiniano vidisse non memini. Non pro Salute tantùm, sed etiam ob Victorias, & soluta & suscepta esse, ex Laurea patet. Sed in Orientem pergimus, quem

VALENS



Interim obtinuit. Hunc *nigri coloris, pupulâ oculi unius obſtructâ, ſed ut eminus non appareret: Figurâ benè compactâ membrorum, ſtaturâ nec procerâ nec humili: incurvis cruribus, exſtantique mediocriter ventre fuiſſe*, Ammianus memorat. Hic Procopium, in Oriente res novas molientem ſuſtulit, Gothosque aliquoties devicit; Inde Restitutor Reipublicæ vocatur: inde Victoria Augg. Reipublicæ Securitas & Romanorum Gloria. Reſtitutor Reipublicæ, regeſſit ARCHÆOPHILUS, Labarum cum inſcripto monogrammate Chriſti præfert, cùm tamen Arrianus fuerit? Quid tum? reſpondit DULODORUS. Arriani utique Chriſtum non negabant, ſed honore minuebant. In *ſecundo* Numiſmate, excepit ARCHÆOPHILUS, eundem typum video, qui & ſub Valentiniano fuit: Annon inde eosdem utrinque Imperatores agnoverim? Fortaſſis, reſpondit DULODORUS, licet ut ſuprà, ad Victoriam de Germanis reſpexi, quam Valentinianus cum Gratiano obtinuit, ita etiam hîc ad Gratianum potius reſpicere poſſis, cùm Hic Victorias Valentis Gothicas auxiliis juverit. Quicquid ſit, Victoriam *Reipublicæ ſecuritatem* inſcripſit, quod tamen non fuerunt. Rediere hoſtes, & non Rempublicam tantùm turbavére, ſed ipſum etiam Imperatorem devictum flammis abſumsére, id quod latius apud Ammianum, aliosque refertur. In *quarto* Nummo, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Roma & Conſtantinopolis Vota X. Mult. XX. in clypeo præferentes, *Romanorum Gloria* inſcribuntur. An Roma hæc ſit, repoſuit DULODORUS, fortaſſis dubitare poſſis, cùm inſolito more turrita ſit. Fortaſſis Antiochiam arbitraberis, ubi pecuniam obſignatam, ex ſubjectis literis patet; Quanquam inſcriptio, ne quid diſſimulem, rem potius ad Romam reducat, cujus cùm Conſtantinopoli, concordia pro Salute Valentis Vota, ſalutiferô Chriſti, cujus monogramma impoſitum eſt, auxiliô, Romanis Gloriæ ſint futura. Sed quid Roma, excepit ARCHÆOPHILUS, ad Valentinum Orientis Dominum? Video enim & in ſequentium



Primo, Urbem Romam ſedentem. Si Cedrenum audias, reſpondit DULODORUS, Romani Valentinianô mortuô, Valentem ejus fratrem & ipſi *Auguſtum* ſalutârunt, qui inde triennium imperitaverit; quanquam quid eò recurrere opus eſt, cùm ſola Imperatorum concordia, eosdem his temporibus Numiſmatum typos diverſis Imperatoribus tribuerit? Cæterùm etiam illud uſitatum, eosdem typos aliis atque aliis etiam rebus applicari. Ita in *ſecundo* Numiſmate Imperator captivum trahens, ſiniſtrâ Labarum præferens, licet ad Gothos devictos referendus ſit, tamen idem planè eſt, qui & ſuprà ſub Valentiniano ejus fratre fuit. Ita Vota V. Mult. X. & Vota X. Mult. XX. in Laurea, licet de Valente explicanda, eôdem tamen modô præfigurantur, quô & in aliis. *Quintum* Numiſma Virtutem Exercitus jactat, *ſextum* Victoriam gradientem Romanorum Gloriam inſcribit. Sed quid in his obſcurum?

GRATIANUS



Subit, Valentiniani ex Severa filius, quem cùm Pater *Augustum* declararet, *oculorum flagrantior lux, vultusque, & reliqui corporis jucundissimus nitor*, apud Amianum memorantur commendasse. In *primo* Numismate ipse Imperator Captivum trahens, sinistraque Labarum prætendens, Gloria Romanorum inscribitur. Hæc ex superioribus patent, interlocutus est ARCHÆOPHILUS, procul dubio enim ad Victoriam de Alamannis ad Solicinum obtentam typus pertinet. Si ex loco Numismatis percussi argumenteris, respondit DULODORUS, potius ad devictos Gothos respexeris. Quicquid sit, Victoria in *secundo* Numismate *Securitas Reipublicæ* inscribitur, quam cùm post devictos Alamannos, à partibus Septentrionis, Occidentalis Roma senserit, facilis est Numismatis determinatio. In *tertio* Numismate, excepit ARCHÆOPHILUS, Roma sedens *Romanorrm Virtus* inscribitur. De militari hanc intelligendam, inquit DULODORUS, qui Orbem terrarum subegit, ex hasta & casside patet, quibus armatur: Patet ex globo, quem præfert. Eadem, eôdem môdo sedens, in Numismate *quarto* visitur, uti in reliquis Vota vel X. Mult. XX. vel XV. Mult. XX. in Laurea. Alterum Numisma, subjecit ARCHÆOPHILUS, Sisciæ, alterum Antiochiæ percussum, ex subscriptis literis noscitur. Id ideò, respondit DULODORUS, quòd Vota X. solvens, soli Occidenti præfuit, cùm autem Vota XV. solveret, tunc Valente jam sublatô etiam Orientale Imperium susceperat. In sequentibus

Est



Eſt Victoria Augg. quam ſive de memorabili illa ad Solicinum interpreteris, ſive de devictis Gothis, utrinque ratio conſtabit; In illa enim ſub Augg. Valentinianus & Gratianus: in hac, Gratianus & Valens intelligentur. Prius ego prætulerim, excepit ARCHÆOPHILUS, & quid obſtat, ut ſub eâdem etiam *Rempublicam reparatam* intelligamus, quæ *ſecundo* in Numiſmate adumbratur? Non reſtitero, reſpondit DULODORUS; illud enim Numiſma Aquilejæ, hoc autem Romæ ſignatum, ex ſubjectis literis noſcitur. In *tertio* eſt *Virtus Exercitûs*, non jam pilô armata, ſed Labarô cruciferô & Clypeô tuta. Crucem Gratianus non tantùm *Exercitûs Virtutem*, ſed & in Numiſmate *ultimo Novi Sæculi Gloriam* appellat, procul dubio quòd Sæculum Chriſtianum ſæculum novum, eaque præcipua ejus Gloria foret, quòd Imperatores non jam pila minantiæ pilis, ſed benedictum Chriſti Nomen circumferrent, ejusque ſub Vexillis gloriosè militarent. Appoſitè huc Pauli Diaconi verba tranſtulero: *Gratianus*, inquit, *admodum juvenis, cùm inæſtimabilem multitudinem hoſtium, Romanis infuſam finibus cerneret*; Fretus Christi Potentia, *longè impar hoſtium numero, ſe ſe in hoſtem dedit. Et continuò apud Argentariam Oppidum Galliarum formidoloſisſimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plus quam XXX. millia Alemannorum, minimô Romanorum detrimentô, in prælio interfecta narrantur. Hoc denique* Recta *ei* Fidei Cultura *tribuit.* Gratianum, ex Britannia progreſſus, novaque dominandi percitus libidine, per Andragatium ſuſtulit


MAG. MAXIMUS.



Qui Paulo Diacono *Vir ſtrenuus* & *probus* atque *Auguſto dignus* audit, niſi contra Sacramenti fidem per Tyrannidem emerſiſſet. In Numiſmatibus, inquit ARCHÆOPHILUS, *Reparationem Reipublicæ*, & *Victorias, Virtutemque Romanorum* jactat; At quo jure? quâve juris ſpecie? De jure, reſpondit DULODORUS, non diſceptabo, perfidiâ enim, quâ Imperatorem ſuum ſuſtulit, ejusque Solio ſe intulit, nullam juris ne ſcintillam quidem Maximo relinquit. Si autem de ſpecie requiras, Gratiani negligentia accuſatur, qui omiſſis Imperii curis, jaculandi peritiam meditans, Romanis Legionibus contemtis, Alanorum Comitatum memoratur mercatus. Cùm igitur Maximus ex Britannia exſurgeret, ſolitumque Exercitûs Romani præſidium ſuſciperet, ejusque virtute Valentinianum juniorem Italiâ pepuliſſet, cauſa utique fuit, cur *Reparationem Reipublicæ* & *Victoriam, Virtutemque Romanorum* jactaret: Cauſa fuit, cur ſe *Reipublicæ Reſtitutorem* appellaret. In Numiſmatibus *tertio*, & *quinto*, inſit ARCHÆOPHILUS, Victoriam non unius, ſed duorum Auguſtorum video; Quis autem fuit alter? Neque enim vel Valentinianum vel Theodoſium attuleris, cùm Hi ejus, utpote Tyranni, hoſtes fuerint. Non hi, repoſuit DULODORUS, ſed

VICTOR

VICTOR,



Maximi filius, quem *Augustum* dictum, ex hoc ejus Numismate planum est. De *Virtute Romanorum*, excepit ARCHÆOPHILUS, non est ut pluribus agamus, cùm eandem cum priore, in patris Numismate expressa, interpretationem recipiat. Quicquid eam extulerint Tyranni, inquit DULODORUS, tanta tamen non fuit, ut Solium defendere potuerit. Pater Aquilejæ captus & necatus: Victor necem Patris nece suâ subsecutus est. Ita ad sua rediit

VALENTINIANUS JUNIOR,



Qui eximio hoc auri splendidissimi in Numismate, non abs re, Romam & Constantinopolim, *Gloriam Romanorum* inscripsit; Cùm enim totô Imperii tempore cum Theodosio Orientis Dominatore amicitiam coluerit, eundemque, à Maximo Italiâ pulsus, felix præsidium fuerit expertus, causa utique fuit, cur Constantinopolim, Regiam Imperii Orientalis sedem, sedi suæ, quæ Roma Occidentis fuit, amicâ & quiete & Gloriâ conjungeret. In sequentibus, inquit ARCHÆOPHILUS,



Augustorum & *Concordia* & *Victoria*, imò & *Romanorum Virtus* celebratur. Sed Concor-

Concordia *trium*, Victoria autem *duorum* & *trium* Augustorum notatur. Duplex ratio esse potest, respondit DULODORUS. Sub tribus Augustis vel Valens, Gratianus, & Valentinianus Junior latere possunt, vel etiam Valentinianus Junior, Theodosius M. & Arcadius; Illi enim post Valentiniani Senioris obitum: Hi autem post necem Gratiani simul imperârunt. Si priores intelligas, Victoria trium Imperatorum ad Gothicam pertinebit, de qua sub Gratiano diximus; Si posteriores, pertinebit ad devictum Maximum. Si hæc ita sint, excepit ARCHÆOPHILUS, non video quis locus sit duobus Augustis, qui in *secundo* Numismate visuntur. At est, regessit DULODORUS, post Valentis interitum, tunc enim Gratianus & Valentinianus Jun. imperaverunt, donec annô demum sequente Theodosius cum *Augusti* dignitate Orienti præficeretur. Sed alia subeunt



In *primo* est *Reparatio Reipublicæ*, nec abs ratione expressa. Rempublicam dejectô Maximô, in pristinum statum à Gratiano assertam, ex hactenus dictis constat. Idem, subjecit ARCHÆOPHILUS, etiam Urbs Roma videtur innuere, dextrâ Victoriolam jactans. Sed hæc, & Vota Numismatis *tertii*, nihil contemplatione dignum continent. Vota, inquit DULODORUS, in Valentiani Junioris Numismatibus rara sunt, licet non sint obscura.

THEODOSIUS.



Subit,

Subit, *Magnus* quidem rebus gestis, sed cujus Numismata pleraque ex hactenus dictis illustrantur; Quid enim *Concordia Augustorum*, si non ea, quam vel cum Gratiano & Valentiniano Juniore, vel cum Valentiniano & Arcadio filio, vel denique cum Arcadio & Honorio coluit? Quid *Augustorum Victoria*, si non ea, quam vel de Barbaris in Thracia, vel de Maximo ad Mediolanum reportavit? Ad utram respicias, utrinque & *Reparatæ Reipublicæ Gloria* fulget. In *secundo* Numismate, inquit ARCHÆOPHILUS, video Crucem globo impositam. Christianæ pietatis id insigne est, respondit DULODORUS, quam non minus ac Victorias, præter alia, iisdem ferè cùm Victore verbis, Jornandes extollit. *Theodosius*, inquit, *admodum Ecclesiæ Religiosus enituit Propagator, Reipublicæque defensor eximius. Nam Hunnos & Gothos diversis prœliis vicit, atque à prava vastatione compescuit, cum Persis quoque petitus pacem pepigit, Maximum autem Tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vindicabat, apud Mediolanum, unà cum Valentiniano Imperatore aggrediens, ab Oriente clausit, cepit, occidit.* In sequentibus



ROMANORUM & VIRTUS & GLORIA prodeunt, prodeunt VOTA & *Quinquennalia Decennalibus*, & *Decennalia Vicennalibus* MULTIPLICATA. De Votis, inquit ARCHÆOPHILUS, res clara est, clara est & de Virtute Romanorum; At Imperator navi insistens, in *secundo* Numismate, remigante Victoriâ, quò pertineat sanè non video; neque enim Theodosius, Imperator jam, in Britanniam legitur transmisisse, id quod ejusmodi schemate præfiguratum jam aliquoties contemplati sumus. In Britanniam transmisisse Theodosium, excepit DULODORUS, licet Authores taceant, historiæ tamen series non respuit, cùm utique Eugeniô devictô totum Occidentis Imperium, adeoque & Britanniam receperit. Si tamen id minus placet, poteris ad prælium navale respicere, quod Theodosius de Grutungis Scythis, duce Odetheo Rege Istrum transeuntibus, memoratur retulisse: Poteris Navim, Reipublicæ symbolum arbitrari, quam, remigante Victoriâ, si Imperator gubernet, quidni Romanorum Gloria inde nascatur?

ÆLIA FLACCILLA



Sequitur, prima Theodoſii Uxor, Pietatis Chriſtianæ lucidiſſimum exemplar. Hujus Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, cum Dea Salute protulit Celeb. Patinus. Ita quidem Authori viſum eſt, inquit DULODORUS; Ego verò non Salutem, ſed vel ipſam Flaccillam, vel certè Pietatem, Religioſô geſtu manus pectori admoventem eo in Numiſmate agnoverim. In propoſito Victoria ſedens Salutare Chriſti monogramma Clypeo inſcribit, procul dubiô, ut eam Reipublicæ Salutem oſtendat eſſe, ſi Victoriæ, Chriſti Gloriæ impendantur, Gentesque devictæ tam dulci cœleſtis cognitionis jugô mitigentur. Ad rem facit, quod apud Cedrenum legimus: *Flaccillam Theodoſium Divinarum Legum aſſiduè admonuiſſe.* Sed plura, uti de plerisque poſt Conſtantinum Magn. Dominus du Cange in Opere Nobilisſimo de Familiis Byzantinis. Sequitur

EUGENIUS,



Cui Arbogaſtes, ſublatô per laqueum Valentinianô Juniore, Occidentis Imperium detulit: Vir obſcurus antea, & qui, cùm Grammaticam docuiſſet, ſolô linguæ remigiô ad honores adſpiraverat. Nummi, excepit ARCHÆOPHILUS, *Urbem Romam*, & *Romanorum Virtutem* exhibent, utramque ſub Roma Victoriolam prætendente, an quòd Victoriam aliquam Eugenius obtinuiſſet? Ad Alemannos, repoſuit DULODORUS, ad renovanda fœdera adactos, fortaſſis reſpexeris, niſi potius ex ſolita Romæ Victoriarum Gloria, Romanorumque Virtute, Victoriam eum etiam de Theodoſio ſperâſſe arbitreris. Sed victus eſt, non quidem Virtute Exercitûs, ſed Virtute Dei. *Cùm ad congreſſionem ventum eſſet*, inquit Paulus Diaconus, *vehemens turbo Ventorum, à parte Theodoſii in ora hoſtium ruit, ad cujus laudem Poëta quidam Eximius, inter cætera hos verſiculos cecinit:*

O nimium dilecte Deo! Tibi militat Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Duos Theodoſius, Imperiali in faſtigio, poſt ſe reliquit filios, *Arcadium* & *Honorium*. Arcadio Oriens obvenit, Honorio Occidens. Utrique Tutor additus, illi *Rufinus*, huic *Stilico*; ſed neuter fidem ſervavit. Rufini Virus ſtatim emanavit, Stiliconis non niſi poſt Arcadii mortem.

ARCA-

ARCADIUS,



Inquit ARCHÆOPHILUS, *primô* in Numiſmate Victoriam Trium Auguſtorum jactat. Inde colligas, reſpondit DULODORUS, Numiſma vivente adhuc Theodoſio percuſſum eſſe, deſignarique Victoriam de Eugenio, quam A. V. C. 1147. obtinuit, cum anno præcedente Honorium Auguſtum renunciaſſet: Niſi forſan Honoriô excluſô ad Valentinianum juniorem, Theodoſium, & Arcadium reſpicias, quô poſitô, Victoria non de Eugenio, ſed de Magno Maximio explicanda erit. An eadem ratio, quæſivit ARCHÆOPHILUS, eſt & Concordiæ *ſecundi* Numiſmatis? Eſſet, reſpondit DULODORUS, ſi & hîc tres AUGGG. exſtarent, qualiter in alio Cimeliarchii hujus Electoralis Nummo, cùm autem duo tantùm in propoſito videam, omninò ad Arcadium & Honorium reſpexero, figuram ſedentem non Romam interpretatus, ſed Conſtantinopolim, id quod ex Navis roſtro pedibus ſubjecto conſtat, quod Romæ affingi non ſolet.

Conſtantinopolis, inquit ARCHÆOPHILUS, Arcadii Regia fuit; At idem tamen Urbem Romam *felicem* prædicat, in Numiſmate *tertio*. Non absque ratione, regeſſit DULODORUS, dum enim Oriens Rufini perfidiâ concuteretur, Roma Stiliconis providentiâ reverâ felix fuit. Superavit tamen lachrymabilem fortunam fortuna Arcadii. Rufinum milites mille vulneribus confoſſum in fruſta redegerunt. Eutropius Chalcedone interfectus, Gaina à Fravita victus, ab Hulde Hunnorum Principe obtruncatus eſt, reſectumque caput Conſtantinopolis doloris ſui ſolatium habuit. An hunc in Numiſmate *quarto*, interrogavit ARCHÆOPHILUS, ſub Cruce jacentem, victorioſo Imperatori gratulati credantur Antiochenſes? An vero Rufinum, aliumve publicæ tranquillitatis hoſtem? Id aliorum judicium ſit, reſpondit DULODORUS. Quicquid credas, Antiochenſium tamen Pietas elucefcit. Imperatoris ſui Virtutem *Romanorum Gloriam* appellavére, Virtutemque eam ſolâ Dei benedictione efficacem aſſeruére. Id ſibi vult Crux & Monogramma Chriſti: Id manus cœlitùs demiſſa, & Victricem Imperatori impoſitura Lauream. In ſequentium



Primo, eadem *Romanorum Gloria* ſolum Imperatorem jactat, dextrâ Labarum, ſiniſtrâ globum ten::entem. Quorſum hoc? excepit ARCHÆOPHILUS. Ut duplex Imperatoris munus eluceat, repoſuit DULODORUS; Non enim Civilibus tantùm præeſt, id quod ex globo patet, ſed etiam Eccleſiaſticis, id quod ſub Vexillo, Chriſti nomine inſcripto, intelligas. Niſi potius ad militiam, vexillum referas, perrexit ARCHÆOPHILUS. Ne ſic quidem malè, inquit DULODORUS, quanquam militaris gloria potiùs ſub *ſecundi* Numiſmatis tribus figuris haſtatis lateat, quorum media Imperatorem deſignans, ex globo noſcitur, reliquæ duæ autem, niſi de Gratiano & Theodoſio explicentur, procul dubio Exercitus ejus adumbrant. *Virtus Exercitûs*, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, in *tertio* radiat, non autem ſub figuris haſtatis, ſed ipſo Imperatore globum & vexillum Chriſti tenente, hoſtemque pede ſiniſtrô proculcante. Res ex ſuprà dictis patet, repoſuit DULODORUS. Uxor Arcadii fuit

ÆLIA EUDOXIA,



Quæ aureo in Numiſmate cœlitùs coronatur. Non abs re, excepit ARCHÆOPHILUS. Bautonis enim, Nobilis Galli, filia fuit, eaque, Imperiali culmine & Auguſtali Gloriâ ab Arcadio affecta, quem felicitatis ſuæ fontem agnoſceret? ſi non æternum illum, à quo Poteſtatum fulgor, Imperiique procedit ſublimitas? Piè hoc, reſpondit DULODORUS. Piè etiam in averſa Victoria, monogramma Chriſti clypeo inſcribens, Salus Reipublicæ dicitur; Sed pietatis vile argumentum eſt D. Johannes Chryſoſtomus in exilium actus: Vile argumentum ſunt mores Barbarici, quos paſſim Scriptores infamant, divinaque perſecuta eſt Nemeſis. Infelici partu deceſſit, non integro quadriennio Imperiali Gloriâ potita. Interim in Occidente alter Theodoſii filius,

HONO-

HONORIUS,



Regimen obtinuit. *Primum* ejus Numiſma, trium Auguſtorum Victoriam præferens, vivente adhuc Theodoſio percuſſum eſt. Ratio aſſerti ſub Arcadio videri poteſt. Secundum Arcadii & Honorii *Concordiam* jactat, ſedente non Româ, ſed Conſtantinopoli. In utroque Numiſmate, inquit ARCHÆOPHILUS, Honorius hoſtem proſternit, in *primo* pedes, in *ſecundo* eques, an ob Gildonem, quem Italiæ annonam negantem, in Africa Maſcezel Honorii Dux evertit? An ob Alaricum Stiliconis ductu aliquoties devictum? Horum alterum, regeſſit DULODORUS, *ſecundo* fortaſſis in Numiſmate intelligas; quanquam etiam ad Rhadagaiſum reſpicere poſſis, qui & ipſe Italiæ inſultans, Stiliconis auſpiciis devictus eſt. Sed *primum* Numiſma omninò ad Eugenium retulerim, eò quod Honorius de hoc ſimul cum patre Mediolani memoratur triumphâſſe, quô tempore jam dudum Arcadius Orientem regebat. Mediolani, excepit ARCHÆOPHILUS, Numiſma *tertium* ſignatum eſt, indeque procul dubiô VIRTUTEM ROMANORUM, & Romam Νικηφόρον, ad eandem de Eugenio Victoriam retulerim. Non abs ratione, reſpondit DULODORUS, quanquam Virtus Romanorum etiam in aliis præliis effulſerit. *Quartum* Numiſma VOTA DECENNALIA, XX. MULTIPLICATA continet. Decennalia Honorius ſolvit anno CHR. 404. quô & cum Stilicone, de Alarico & Gothis triumphans Romam ingreſſus eſt, adeò, ut liquidò appareat, non fruſtrà Vota hæc in Laurea exhiberi. Videri poteſt terſiſſimus Claudiani Panegyricus in VI. Honorii Conſulatum, ubi inter alia, cùm antea multum pluiſſet, Triumphi diem ſerenum, his verbis notavit fuiſſe:

Ipſe favens votis, ſolitoque decentior aër,
Quamvis aſſiduô noctem fœdaverat imbre,
Principis & Solis radiis deterſa removit
Nubila. Nam Pluviis ideò turbaverat omnes
Ante dies, Lunamque rudem madefecerat Auſter,
Ut Tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.

Sequentium



Primum ad eandem de Gothis Victoriam pertinet. Unde hoc probabis? subjecit ARCHÆOPHILUS; Ex ipso typo, respondit DULODORUS, non enim tantùm Victoria gradiens, Gothos aliquoties cæsos indicat, sed etiam adjectæ literæ M. D. X. Vota Decennalia Mediolani soluta demonstrant. An eodem etiam Numisma *secundum?* quæsivit ARCHÆOPHILUS. Victoria sanè Imperatorem coronans, *Virtus Exerciti* inscribitur. Hoc Numisma, inquit DULODORUS, ut & *tertium*, in quô duo armati *Romanorum Gloria* inscribuntur, ad certum tempus non restringuntur, sed potius, uti prius Victoriam Virtute Exerciti, ut cum Numismatibus loquar, partam, Gloriæ Imperatoris apponit; ita posteriùs *Gloriam Romanorum*, sub Honorio in Exercituum Virtute positam, apertè testatur: Nec abs re, non enim, quos hactenus memoravimus, tantùm hostes fuére, imò & plures alii, & inter hos Tyranni etiam, quorum primus

CONSTANTINUS



Fuit. Tyrannum Tu hunc? interrogavit ARCHÆOPHILUS; Atqui Numismisma trium Augustorum Victoriam præfert, & Constantinopoli obsignatum est? annon inde colligam, Constantini Maximi, vel certè junioris, hunc Nummum esse? Nullô modô, reposuit DULODORUS; effigies enim neutri convenit, & artificii ruditas, Numisma ferè centum annos post Constantinum Maximum, arguit esse percussum. Non obstat numerus Augustorum, non locus signaturæ; Constat enim, Constantinum, cùm annô Imperii tertiô ab Honorio pacem petiisset, *Augusti* titulum, quem hactenus usurpârat, ab eodem obtinuisse, adeò ut ritè sub tribus his Augustis, Honorium, Theodosium juniorem, & Constantinum, de quo hîc loquimur, intelligas. Si res ita se habeat, interrupit ARCHÆOPHILUS, facilè ego sub Imperatore hostem supplantante, non

non tam Constantinum, quàm Honorium intelligerem, cujus Victoriæ ex superioribus notæ sunt. Sunt, regessit DULODORUS, sed contrà Ataulphum relata, cùm in id tempus incidat, quô Constantinus pacem obtinuerat, nescio cur non reliquis præferri debeat? Eam sanè & literæ A. R. exprimere viderentur, nisi tales ad Monetarios alibi referri solitos, intelligerem. Secundus Tyrannorum sub Honorio fuit

PRISCVS ATTALVS,



Cujus Numisma Gothicam artis imperitiam sapit, eôque ipsô indicat, quod alibi ab Historicis traditur, ab Alarico, cùm Romam occupâsset, Honorioque Imperium abrogasset, Priscum Attalum Majestatis umbrâ donatum esse. Umbrâ dico; Nihil enim suo ex arbitrio facere poterat, & cùm, quæ faciebat, fortunâ pleraque destituerentur, ab eodem, à quo eam acceperat, dignitate rursus spoliatus est. Et Hic tamen, excepit ARCHÆOPHILUS, *Romam invictam & æternam* in Numismate jactat? Quid mirum? respondit DULODORUS; Licet enim Roma ab Alarico fuerit occupata, surrexit tamen, & ad nostra usque tempora duravit: Priscus Attalus autem, licet interjectis aliquot annis ab Ataulpho ad resumendum Augustale nomen impelleretur, captus tamen & in triumpho ab Honorio ductus, tandemque truncatâ dextrâ in Liparam relegatus est. Tertius Tyrannorum fuit


JOVINUS,



Qui *primo* in Numismate RESTITUTOR REIPUBLICÆ dicitur, in *secundo* autem *Victoriam Augustorum* jactat. Id mirum, excepit ARCHÆOPHILUS; Neque enim cum reliquis Augustis in gratiam legitur rediisse, id quod sub Constantino, & locum signaturæ Constantinopolim, & Augustos Honorium & Placidium Valentinianum excusavit. Quid autem nunc dices? Video enim non Augustos tantùm in *secundo*, sed etiam Constantinopolim in *primo*? nam ita communiter literas CONOB. interpretantur. Id perpetuo fieri non debere, respondit DULODORUS, vel præsens Nummus evincit; Quid enim obstat, ut vel Constantiam, vel aliam quandam in Occidente Urbem sub literis his intelligamus? Quod ad Augustos attinet, non quidem vel Honorium, vel Placidium

dium Valentinianum ſub iis intellexerim, ſed omninò Jovinum, & fratrem ejus Sebaſtianum, qui & ipſe *Auguſti* titulum cùm à Jovino accepiſſet, brevi vel à Conſtantio Comite, vel ut Olympiodorus ſcribit, ab Athaulpho captus & vitâ exutus eſt. Annon idem fatum, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, etiam Jovinus habuit? Habuit, regeſſit DULODORUS, tantùm abeſt, ut vel victoriis cum fratre inclaruerit, vel etiam, quod in Numiſmate ſibi vendicat, *Reſtitutoris Reipublicæ* meruerit elogium. Sed ad Auguſtos regredimur,

THEODOSIVS JUNIOR



Se ſiſtit, Arcadii filius, ejusdemque & Collega & Succeſſor, qui cùm XLIX. annos, menſes V. & dies XVII. vixiſſet: Annos VI. menſes III. dies XIX. cum patre, ſolus autem annos XLII, menſes IV. & dies XXVIII. legitur imperâſſe. Indeque conſtat, infantem novem menſium Auguſtali honore amictum fuiſſe. Væ Regno cujus Rex puer eſt! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Imò, reposuit DULODORUS; Væ Regno, ſi Regni Tutores poteſtate abutantur! Sed id in Theodoſio ſecus fuit. Providentia Parentis, cùm Magnatum ambitioni diffideret, filium Isdegerdi Perſarum Regi commiſit, qui & ſummâ tutelam cum fide geſſit, pacemque Populo Romano, quoad vixit, præſtitit. Acceſſit Sororis Pulcheriæ virtus, cujus exemplô & Imperator ad virtutem inſtitutus eſt: Acceſsére Eudociæ Uxoris eximiæ dotes, tam corporis quàm animi, quæ Leontii, ut quibusdam vocatur, Athenienſis Philoſophi filia, Liberalibus etiam diſciplinis inſtructa erat: adeò ut Theodoſius domeſticâ, etiam mulierum vitâ, plus profecerit, quàm ſi conſummatisſimæ Optimatum prudentiæ relictus fuiſſet. Quod ad Numiſmata attinet, in *primo* Conſtantinopolis globum Victoriatum prætendens CONCORDIA AUGG. inſcribitur: An ob concordiam cum patre? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Non dixero, reſpondit DULODORUS;

RUS; Is enim dum viveret, Theodosius armis, quibus in Numismate ornatur, ferendis adhuc impar erat. Potius est, ut Concordiam vel cum Honorio, vel cum Plac. Valentiniano, Occidentis Imperatoribus, intelligas, quorum Ille annô 423. mortuus, Hic post patrem à Theodosio in Occidentis Imperium reductus, disponsatâque & ductâ Liciniâ Eudociâ, ejus Gener factus est. Sed quid Victoria? interrupit ARCHÆOPHILUS. An ad Gothos & Attalum pertineat ab Honorio captum? Si ad Theodosium & Honorium Concordiam referas, inquit DULODORUS, ad hos respicere poteris; Si autem ad Concordiam Theodosii & Plac. Valentiniani, Victoria hæc pertinere poterit ad captum Johannem, de quo mox dicemus; Tunc enim Augustalia insignia Theodosius Placidio Valentiniano misit. Ad eandem sanè, etiam Numisma *quintum* referrem, cùm minus simulacrum procul dubio Placidii Valentiniani sit, ejusque juventutem adumbret. Reliqui Nummi vel Vota exprimunt, vel Victorias, vel denique dignitatem & honores. In *tertio* Theodosius, Imperator XXXXII. vocatur, & Consul XVII. Consul XVII. Theodosius factus est anno 439, cùm autem cum eôdem numero, in alio Numismate, non honos Imp. XXXXII, ut in proposito, sed XXXII, ei Consulatui jungatur, conjectura non futilis subit, Nummum nostrum ad annum 443. pertinere, quô & Mediobarbus retulit; annô 444. Nam non amplius Consul XVII. sed XVIII. inscribebatur. Ita & Vota in *secundo* Numismate XXX. Mult. XXXX, & in *quarto* XXXX, quæ Victoria globo inscribit, apertè arguunt, illud ad annum Imperii Tricesimum, quô Tricennalia soluta sunt, pertinere; posterius autem ad annum Imperii XXXX, quô Quadragenalia soluta, Hunnique, Theodosii Provincias vastantes, per duces rejecti sunt. Crucem, infit ARCHÆOPHILUS, globô impositam, video in Numismatibus *secundo* & *tertio*, Constantinopolis præferri manibus, adjectumq; est Orientis sidus; At, annon Heraclius Crucem invenit? Non invenit, regessit DULODORUS, sed à Persis recepit. Invenisse id Helena traditur, Constantini M. mater, indeque plerique non Posterorum tantùm, sed & Successorum eam jactant, non minus ac Christi Monogramma, quod jam sæpius vidimus, & etiam in Numismate quarto adjectum est. Clarissimè autem Crux in Nummo *sexto* visitur, ubi Victoria eam præferens Vot. XX. Mult. XXX. inscribitur: Indeque constat, Anno Imperii XX. id percussum esse, quô Vicennalia Theodosius solvit. De globo Crucigero, qualis in *secundo* & *tertio* Numismate visitur, agit Cel. Patinus in Impp. p. 500. De Theodosio hactenus, subjecit ARCHÆOPHILUS. An & Johannis Numisma præsto est?

JOHANNES,



Excepit DULODORUS, in proposito exhibetur, licet res expressæ ejus historiæ minus conveniant. Honoriô mortuô, cujus Commentariorum Scriptor fuisse traditur, adjunctis sibi Castinô & Aëtiô, Occidentis Imperium invasit; Sed

post octodecim menses in purpura exactos, ab Aspare captus, truncatâque dextrâ, neci traditus est. An etiam Castinus & Aëtius, quæsivit ARCHÆOPHILUS, Augustali honore fulsére? præter Hos enim à Johannis partibus non video qui steterint, cùm tamen *trium* Augustorum in Numismate Victoria celebretur. Et quid? an Numisma Constantinopoli est percussum? Non Constantinopoli, respondit DULODORUS, sed in Occidentis quadam Urbe, à literis Co. incipiente, id quod jam suprà monui. Quod ad *tres* Augustos attinet, id fortasse de Castino & Aëtio non abs ratione intellexeris, cùm absurdum non videatur, Johannem in angustiis constitutum, communicatô cum iis, à quibus id acceperat, Imperiô, fidem eorum adstricturum fuisse. Cùm autem Historia taceat, Ego potius sub tribus Augustis, Theodosium & Gallam Placidiam intellexerim; Cùm enim Johannes, non tantùm *Augusti* nomen sibi à Theodosio confirmari, per Oratores petierit, sed etiam Ducem Theodosii Ardaburem, fortè captum, humaniter habuerit, quidni credatur & iisdem, licet hostibus suis, Augustalem honorem voluisse tribuere? eaque suâ observantiâ sibi amiciores reddere? Hoc si statuas, facilè & Victoriæ basis exsurget, cùm utique hâc conjunctione facilè quosvis Imperii hostes proculcari posse, incongruum non sit, si præ se tulerit. Sed obtinuit Valentinianus, cujus mater

GALLA PLACIDIA



Fuit. Annon ad hujus matrem, infit ARCHÆOPHILUS, Theodosii Magni Uxorem secundam, hoc Numisma pertinet? Ejus sanè in historia idem nomen legitur. Non nomen tantùm, regessit DULODORUS, sed & typus, & res expressæ considerari debent. Idem hîc aversæ typus est, qui fuit & Theodosii Junioris, uti suprà vidimus, à quo Galla Placidia, Placidii Valentiniani mater, *Augusta* dicta est. Adde, quòd nec Vota XX. matri, sed omninò filiæ conveniant; Mater enim Theodosio juncta, post paucos Augustalis fastigii annos, ex puerperii doloribus obiit, at filia, cùm diu varias fortunæ vices sustinuisset, non tantùm Conjugem Imperatorem vidit, sed & fratre Honoriô jam mortuô, *Augustæ* titulô, anno 424. donata est, eôque deinceps annis viginti sex continuis fulsit, mortua anno 451. vel proximo. Si res ita se habeat, excepit ARCHÆOPHILUS, de Persona non amplius dubitem, imò & Numisma ad annum 444. pertinere, ex *Votis Vicennalibus solutis* ritè collegero. Velim tamen scire, cur Victoria Crucem præferat? Augustæ fidem exprimit, reposuit DULODORUS, de qua Gregorii Eliberitani Episcopi Libellus exstat. Victoria autem procul dubio ad eam respicit, quam de Johanne obtinuit, & quâ Imperium Occidentis recuperavit. Hæc sanè medium fuit, ut quietè posthac fidem Christianam tueri, & præ se ferre posset. Et quid si Victoriam ab Oriente, Theodosii videlicet viribus, sub astro arbitreris expressam? Sed filius

PLACID.

PLACID. VALENTINIANUS




Subit. Numiſma *primum*, interrupit ARCHÆOPHILUS, Carolus du Freſne, & eum ſecutus Mediobarbus Biragus, Valentiniano primo tribuunt. Conſulatum XVII. Biragus *monſtrum* appellat, vovetque, ut Hercules aliquis Gallicus id vincat. Nihil opus eſt Hercule Gallico, reſpondit DULODORUS; Ipſe enim Biragus errorem monetarii ſubolfecit, id quod & ego in Theſauro Palatino jam ante ſtatueram. Pertinere autem Nummum non tam ad Valentinianum primum, quàm ad tertium, ex Theodoſii junioris Numiſmate colligo, in quo, ut ſuprà vidimus, idem typus occurrit. Secundum Numiſma Imperatoris Pietatem arguit, qui Crucis virtute Victor, Inferni Draconem calcat. An ob devictum Johannem? ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Fortaſſis, inquit DULODORUS, quamvis Victoriam etiam de Gothis aut Burgundionibus intelligere poſſis: Et quidni etiam de Attila, Hunnorum Rege, in campis Catalaunicis? Hanc vel ideò prætuleris, quòd cæſis 150, vel ut alii ſcribunt, 200. Hunnorum millibus, Draconis Infernalis potentia, ſimul cum potentia infidelium, tunc ſuccubuit. Eôdem pertinere poteſt & *tertium* Numiſma, in quo Chriſti monogramma intra Lauream, extra autem literis ordine retrogradò poſitis, *Victoria Auguſtorum* legitur. Quinam hîc Auguſti intelligantur, ſcire aveo, perrexit ARCHÆOPHILUS; Tres enim intelligi debere, ex *ſecundo* Numiſmate patet. Si Numiſma Theodoſiô adhuc vivente percuſſum arbitreris, reſpondit DULODORUS, ritè Theodoſium, Valentinianum & Gallam Placidiam, Valentiniani matrem, intelliges. Si autem Theodoſiô mortuô, id quod neceſſe eſt, ſi Victoriam ad devictum Attilam referas, procul dubiô Marcianum locô Theodoſii: Locô Gallæ Placidiæ autem, (nam & hæc ſtatim à devicto Attila mortua eſt,) Liciniam Eudoxiam, Valentiniani Uxorem, ſubſtitueris.

MARCIANUS



Hoc in Numiſmate prodit, natione Thrax, genere humilis, ſed militiâ clarus, ſingularique prudentiâ, & vitæ integritate omnibus notus. Hic admodum ſenex, Pulcheriæ, Theodoſii Sororis ſtudiô, Orientis Imperium nactus eſt, imminutumque prioribus annis, licet VI. annorum & VI. menſium Imperator, prudentiâ tamen & conſiliô reparavit. In Numiſmatis typo nihil eſt tantoperè memorandum; Quos enim ſub tribus Auggg. intelligas, ſi non Marcianum, Pulcheriam, & Placidium Valentinianum? Neque enim vel Maximum, vel Avitum adferas, cum his, utpotè Tyrannis infeſtus fuerit. Ita & Victoria crucem Gemmatam præferens, piiſſimam hujus Imperatoris, pro Orthodoxa fide Zelum adumbrare poterit, cujus & Chalcedonenſe Concilium teſtis eſt, & edictum ad Alexandrinos, quô aut Theophilum & Cyrillum audire, aut pœnam eos hæreticis dignam jubebat expectare. Succeſſit

LEO MAGNUS,





Factione Aſparis & Ardaburii Imperator factus, præfuitque annos XVII. menſes VI. In Numiſmate *primo* galeatus eſt, haſtâ humeris impoſitâ, gemmatô thorace & clypeô armatus. Dextra armillâ decoratur, quod conſuetum hujus temporis Imperatoribus fuiſſe, ex Numiſmatibus conſtat. Id Te obſervare memini, excepit ARCHÆOPHILUS. Quid autem eſt, quòd Leo non *Pius*, *Felix*, ſed *Perpetuus Auguſtus* appellatur? Et qui ſub tribus Auggg. averſæ intelligi debent? *Perpetuus Aug.* reſpondit DULODORUS, ideò videtur dici, ut à Tyrannis diſtingueretur: De tribus autem Auguſtis, res adeò plana non eſt. Fortaſſis præter Leonem, & Verinam ejus Conjugem, etiam Majorianum intel-

intelligas, qui à Leone ad recipiendum Occidentis Imperium cùm missus esset, ab Exercitu *Augustus* dictus est, & quadriennium imperavit. Forsitan loco Majoriani, Libium Severum, cui Majorianô sublatô Occidentis arbitrium detulit Ricimer: Forsitan Anthemium, qui Severô mortuô *Augustus* dictus est: Forsitan Olybrium, forsitan Glycerium connumeres, qui & ipsi Leone adhuc vivô ad Occidentis Imperium evecti sunt. Quicquid sit, ubique Victoriarum memoria est, qualis & *secundo* in Numismate, in ipso Imperatore, cruci innixô, & Draconem calcante, fulget. Fertilis certè seges est. Majorianus Theodoricum, Visi-Gothorum Regem, vicit. Severus Genserico, Vandalorum Regi acriter restitit. Anthemius Euricum Gothorum Regem ad pacem & fœdus adegit. Nec miraberis, si horum merita Leo pro suis venditet, nam plerique ejus quasi Clientes fuére. Cæterùm Leonis Virtus ex Numismate *tertio* patet: Non bellicô, sed Imperatoriô habitu, hinc Crucem, inde Labarum præfert, procul dubio, quòd Pietate potiùs, quàm armis, Imperii fasces se innueret tractaturum. Sed in Occidentem revolvimur, agonizantis Imperii spiritum extremos comitaturi ad halitus. Valentiniano ob adulteratam proximi Uxorem, Zelotypiâ vindice sublatô, successit sceleris ultor

ANIC. PETRONIUS MAXIMUS.



Sed brevi in Imperio felicitate! infit ARCHÆOPHILUS. Eudocia enim Valentiniani Uxor, quam Maximus Imperator sibi desponsaverat, in vindictam Gensericum Vandalorum Regem evocavit. Is Romam cùm obsidione cingeret, Milites Romani Petronium, tertiô Tyrannidis mense, occiderunt, Populus membratim discerpsit, & in Tiberim præcipitavit. Hinc constat, inquit DULODORUS, Victoriam, quam in aversa jactat, non tam ad rem, quàm ad spem, referendam esse, tresque Augustos, Petronium Maximum, Marcianum, & Pulcheriam denotare; Nam Hi tunc temporis Orienti præerant. Quicquid sit, Maximô ob violatam Majestatem trucidatô, Avitôque remotô, interregnum fuit. Post interregnum, Majorianus: Majorianô occisô,

LIBIUS SEVERUS



Imperii habenas arripuit. Libius Severus, subjecit ARCHÆOPHILUS, superatô Blorgô Alanorum Rege, meruisse Lauream, Pomponio Læto memoratur.

tur. An huc aversam referre velis, respondit DULODORUS: An verò ad Victoriam de Satana, antiquo illo Dracone, quem Crucis Christianæ Virtus credebatur compescere, liberum esto. Typus his temporibus vulgatissimus est. Tres Augusti fortassis Leonem, & Verinam, connotant. Severô mortuô denuò interregnum fuit. Inde Leonis auspiciis Imperium sibi vindicavit

ANTHEMIUS.



Is cum Ricimeri, penes quem Occidentis tunc vires erant, suam collocasset filiam, pacificum aliquandiu tenuit Imperium. Inde Generi ambitione turbatus, ejusdem brevi furiis succubuit. In Numismate, perrexit ARCHÆOPHILUS, duæ figuræ globum in medio crucigerum tenentes, *Reipublicæ Salus* inscribuntur: An ob Concordiam cum Ricimere? an cum Leone? uterque enim, nisi fallor, Imperatoriô habitu insignitur. Pro Leone, regessit DULODORUS, decernerem, nisi in Numismate simili, apud Illust. du Cange, altera tantùm figura globum teneret, Laureaque media, Pax inscriberetur. Quicquid sit, Anthemiô sublatô successit Olybrius, indeque post interregnum

GLYCERIUS,



Quanquam invitus ad Imperii culmen evectus. Etiam Hic *Victoriam Augg.* jactat, non quidem trium, ut apud Illust. Mediobarbum, sed duorum tantùm, ut scilicet intelligas, Leonem Orientis connotari. Non hoc quæro, infit ARCHÆOPHILUS. Potius de Victoria ipsa doceri velim. In Historia, respondit DULODORUS, nulla apparet, nisi Vindemirum Ostro-Gothorum Principem intelligas, quem in Italiam venientem, donis memoratur arcuisse. Et quas ille Victorias obtineret, cùm exactô in Imperio vix annô, à Julio Nepote captus fuerit, & inde præsul apud Salonas memoretur?

JULIUS NEPOS



A Leone, aut, ut aliis placet, Zenone, Imperialis faſtigii gloriam adeptus, Oreſtem exercitui præfecit; ſed Hic perfidô auſu Imperii vires in Imperatorem retorſit, filiumque Momyllum Auguſtulum *Auguſtum* vocavit. Sed Odoacer Herulorum Rex, Auguſtulô in exilium actô, ſe Regem Italiæ tulit, atque ita Imperio Occidentis finis impoſitus eſt. In Numiſmatibus, excepit ARCHÆOPHILUS, nihil novi videô; Victoria Crucem præferens, & Crux in Laurea procul dubio fiduciam Victoriæ adumbrat, Chriſtianæ fidei auxiliô obtinendæ. Qui autem præter Hunc *Auguſti* intelligantur? Procul dubio Leo junior, & Zeno, reſpondit DULODORUS; Hi enim poſt Magni Leonis obitum in Oriente ſupererant.

LEO JVNIOR,



In Numiſmatis adverſa ſolus, in averſa autem ſimul cum Zenone adumbratur. Illic armatus eſt, quales plerique his temporibus: Hîc togatus, REIPUBLICÆ SALUS inſcribitur. Non dubito, quin hoc Numiſma ad Zenonis electionem pertineat, quam Leo Magnus neglexerat, Leo junior autem Avô mortuô perfecit, procul dubio indignum ratus, Patrem privatum vivere, ſe autem Imperiali in culmine fulgere. Pium quidem, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed imprudens hoc factum fuit, modò vera ſit hiſtoria, quâ Zenonem, ut ſolus imperaret, Leoni necem machinatum docemur. Ariadna mater tunc ſaluti fuit, quæ alium memoratur ſubſtituiſſe, filiumque totondiſſe, qui inde Clericus in quadam Conſtantinopolitana Eccleſia ad Juſtiniani tempora vitam produxerit. Quicquid ſit, regeſſit DULODORUS, Leonis tamen & conſilium & ſpes, ex hoc Numiſmate pietatis pleniſſimum fuit, ſive Parentem reſpicias, ſive Rempublicam; Quidni enim, ſi Patris experientiâ pietas filii juvaretur, & pietate filii, patris experientia ſanctificaretur, omninò ſalus Reipublicæ exſurgeret? De experientia teſtatur & ætatis diverſitas & globus: De pietate & Crux, quæ à tergo inter utrumque elevatur, & Nimbus, quô capita utriusque redimita fulgent. Sed eventus conſilium deſtituit. Leone brevi vel rebus humanis exemtô, vel in Clericatum deductô, ſolus in Imperio remanſit

ZENO

ZENO,



Qui & ipſe in Numiſmatibus *perpetuum* ſe *Auguſtum* inſcribit, non aliâ ratione, uti jam ſuprà monui, quàm ut à Temporariis ſe diſtingueret. Averſæ VICTORIAS AUGUSTORUM jactant. An trium? quæſivit ARCHÆOPHILUS, & quorum? non enim memini ſub Zenone tot in Imperio fuiſſe. Si ad principia reſpicias, repoſuit DULODORUS, fuere: Ipſe ſcil. Zeno, ejusque filius Leo, & Nepos Occidentis, quem ſuprà vel à Leone Magno, vel etiam à Zenone miſſum diximus. Ita certè & de Victoria res plana erit, ad Glycerium videlicet, ſolio dejectum, eam pertinere. Quid autem Victoria crucem præferens? inquit ARCHÆOPHILUS; Quid *Vota Quadragenalia* cum Chriſti monogrammate? Annon Zeno, non ut Auguſtus, ſed ut Tyrannus imperâſſe Pomponio Læto memoratur? Etiam hæc, reſpondit DULODORUS, ad Imperii primordia reſpiciunt; Tunc enim vitia Patris, Pietate filii adhuc ſperabantur corrigenda. Et quidni Vota conciperent, cùm tamen ad electionem Senatus conſentiret? Quanquam quid mirum, Pietatis monumenta etiam indignos jactare? Nonne & Tyranni id fecerunt?

BASILISCUS



Rei teſtis eſt, cujus Victoria & ipſa crucem præfert, cùm tamen Imperium perfidiâ occupaverit, tantâque crudelitate exercuerit, ut Populus Zenonem, ut ut nec ipſum adeò mitem, tamen ingenti ſtudiô revocaverit. Adde quòd Orthodoxos ejecit Baſiliſcus, Eutychianos revocavit, Concilium Chalcedonenſe ſuſtulit. Hæccine Victoria, virtute Crucis obtenta? Non eſt, reſpondit ARCHÆOPHILUS, imò nec tres Auguſtos hoc tempore video; neque enim

credibile

credibile eſt, Zenonem ſubintelligi debere, cùm Hic, Baſiliſco rerum potiente, privatam vitam ſibi ipſe memoretur elegiſſe. Quid ſi Sororem, quæ Auguſta erat, cujusque favore Solium legitur occupâſſe, connumeres? Quid ſi & Uxorem Zenodiam, quam & ipſam Auguſtam corona donavit? Fortaſſis, inquit DULODORUS: Fortaſſis etiam Imperatorem Occidentis reſpexeris, Auguſtulum, qui hujus tempore Imperio præerat; Fortaſſis etiam ad filium Marcum, quem *Cæſarem* feciſſe legitur; Cæſares enim ſub geminata *Auguſtorum* litera G. comprehendi, jam ſuprà monui. Quicquid ſit, breve fuit Baſiliſci Imperium. Zeno redux eum cepit, & in Cappadociam relegavit, ubi cum filio fame & frigore conſumtus eſt. Zenoni ſucceſſit

ANASTASIVS,



Ariadnâ annitente Imperium nactus. Anaſtaſium, excepit ARCHÆOPHILUS, iniquiore ſequioris ſæculi Scriptorum calamô traductum, Evagrii teſtimoniô Te contra inſectatores defendiſſe memini, ſed ad Numiſmata nòn tam hoc, quàm Victoriarum gloria, imò & Collegarum numerus videtur exquirendus. Quidni & Pietas? interrogavit DULODORUS, cùm tamen Crux, quæ & globo imminet, & à Victoria præfertur, eam ad oculum oſtendat? Si Victorias deſideres, Iſauri ſunt, ſunt Scenetæ, quos ſuperâſſe eidem Evagrio memoratur. In Numiſmate *tertio*, inquit ARCHÆOPHILUS, nomen Baduilæ video, cùm tamen Baduilam, Totilæ cognomentum faciat Illuſt. Mediobarbus: Totila autem ſub Juſtiniano vixit. Mediobarbus, reſpondit DULODORUS, Pomponium Lætum ſequitur; Sed Jornandes Baduilam non Totilæ cognomentum facit, ſed cum Totila in Italia hoſtile opus peregiſſe memorat; Quanquam & Hic ſub Juſtiniano eum vixiſſe afferat, adeò ut ritè videaris dubitare, quâ ratione idem in hoc Anaſtaſii Numiſmate occurrat? Neque tamen vel alium adhuc vetuſtioren Baduilam ſub eo vixiſſe ſtatueris, vel etiam errori monetæ conjun-

ctionem adſcripſeris; Temporis enim intervallum tantùm non eſt, ut eum neceſſariò excludat, quanquam forſan Hiſtorica ratio opinioni contrarietur. Sed de eo peritiores judicent. *Quartum* Numiſma, licet monogrammate & inverſis literis memorandum, priore tamen clarius eſt. Monogramma *Theodoricum* indicat, Gothorum ſub Anaſtaſio Regem. Inſcriptio hinc *Anaſtaſium*, inde *Romam invictam* deſignat, apertô teſtimoniô, Romæ, & à Rege Gothorum, id in Anaſtaſii honorem eſſe percuſſum. Non *invicta Roma*, infit ARCHÆOPHILUS, ſed MINVITA ROMA lego. Ita eſt, regeſſit DULODORUS; ſed inſcitiæ Gothicæ rem adſcribimus, quæ & in aliis micat: Niſi forſan literam M. *Monetam* interpreteris. An eôdem etiam modô, iteravit ARCHÆOPHILUS, in *quinti* Numiſmatis averſa, eandem literam M. inter duas ſtellas? Hæc ſæpius, repoſuit DULODORUS, his temporibus in Nummis occurrit, non minus ac K. quæ in *ſexto* viſitur, & I. quæ in aliis. Ratio cùm hactenus Antiquarios lateret, Author Scientiæ Numiſmatum à Divis deduxit, ſub litera M. Mariam, K. Conſtantinum, I. ipſum Servatorem noſtrum Jeſum intelligendo. Opinionem ſi admittas, prout labente his temporibus Religionis puritate, forſan locum meruerit, etiam hîc Anaſtaſii pietatem intellexeris, ſi non veram, tamen ſimulatam, quam ne inimici quidem ei negârunt. Succeſſit

JUSTINUS THRAX,



Utroque parente ignobilis, ſed militiâ & verâ pietate clarus, quippe qui Hæreticos ejeciſſe, Orthodoxos revocâſſe, Concilium Chalcedonenſe defendiſſe memoratur. Si hæc ita ſe habeant, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, jam ratio Crucis, quam Victoria præfert, in propatulo jacet; Quid autem tres AUGGG? Annon ſolus is imperavit? Imperavit, inquit DULODORUS, niſi ſub Imperii finem, quô Juſtinianum Imperii Conſortem aſſumſit, quatuorque menſes habuit.

buit. Si Hic secundus sit, excepit ARCHÆOPHILUS, fortâsse Uxor ejus Euphemia tertium locum suppleverit. Hoc si arbitreris, respondit DULODORUS, eorum opinionem sequaris oportet, qui Euphemiam IX. Imperii annô mortuam tradunt, quanquam Alii, eam non multò post Mariti inaugurationem, mortuam asserant. Forsitan, insit ARCHÆOPHILUS, in *secundo* Numismate Roma sedens, *Victoria Augg.* inscripta, dubium solverit; Quid enim *Roma Augustorum*, quæ hoc tempore Gothorum Regibus parebat, si sub Auggg. appellatione non & hi connotentur? Theodoricus sanè Gothorum Rex sub Anastasio XXX. millia Gallorum cecidisse præliò, Pomponio Læto memoratur. Ratio in medio jaceat, respondit DULODORUS. Illud certum est, Gothorum Reges Augustorum Clientes fuisse, ideòque Numismata etiam sua illorum imaginibus signâsse, id quod ex superioribus patet, & ex sequentibus magis adhuc innotescet, non minus ac ex propositorum *tertio*, in quo Theodorici nomen sub monogrammate aversæ latet. An eòdem, perrexit ARCHÆOPHILUS, etiam pertinent literæ C. N. Numismatis *quarti?* Id non dixero, regessit DULODORUS. Potius *Constantinopolitanum Numisma* eas interpretarer, prout monogramma Christi Numismatis *quinti*, de fide Christiana, tam in Orientem, quàm Occidentem propagata. Sed

JUSTINIANUS



Prodit, non ob bellicos tantùm sudores, sed etiam ob repurgatum memorandus limpidissimum juris & fontem & æquor. Numismata maximi moduli sunt; alterum Cyzici, alterum Nicomediæ percussum: alterum anno Imperii XII. alterum anno XVIIII. Elegantissima, excepit ARCHÆOPHILUS, sunt hæc Numismata, faciesque integerrima, imò nec de aversa dubium est, si modò verum sit, Mariam sub litera M. designari. Quicquid sit, respondit DULODORUS, Pietatem Imperatoris ex Crucibus noscis, noscis ex globo crucigero, quem laudatissimâ æmulatione hodiènum Imperatores præferre scimus. In sequentibus



Præter Pietatem, bellici ſudores, & Victoriæ radiant, de quibus ipſe de Confirmatione Inſtitutionum: *Bellicos*, inquit, *ſudores noſtros Barbaricæ Gentes, ſub jnga noſtra redactæ, cognoſcunt. Et tam Africa, quàm aliæ innumeræ Provinciæ, poſt tanta temporum ſpatia, noſtris Victoriis, à Cœleſti Numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtroque additæ Imperio, proteſtantur.* Appoſite hæc ad Numiſmata, ſubjecit ARCHÆOPHILUS; Neque enim Victoriarum tantùm in iis, ſed & auxilii cœleſtis mentio eſt, quod ſub Cruce latet: In ſequentibus



Video Nomina & Monogrammata. Nomen *primi* Numiſmatis, reſpondit DULODORUS, monogrammate *ſecundi* explicatur, utroque enim THEODAHATUS exprimitur, Gothorum in Italia, poſt Athalaricum, Rex. In *tertio* deſcribitur WITIGES, qui Theodahatum ſuſtulit, tandemque à Beliſario victus eſt. De *quarto* jam ſuprà vidimus. Juſtiniani ex Sorore Nepos, & Succeſſor fuit

JUSTI-

JVSTINVS JUNIOR,



Qui ingenti Liberalitate cùm animos & Populi & Militum ſibi conciliâſſet, perpetuitati abundè ſibi viſus eſt proſpexiſſe. Conſtantia defuit, inquit ARCHÆOPHILUS, & corruiſſet Majeſtas, niſi Sophiæ Uxoris prudentia eam ſuſtinuiſſet. Hæc Imperii pacem ab inimico Perſa obtinuit, & promotô in Cæſaream dignitatem Tiberiô fulcivit. Fulcivit, perrexit DULODORUS, non ſtabilivit. Tiberii ea gloria fuit. Cùm Perſa fœdus frangeret, collectis ex Occidente militibus, per Juſtinianum Ducem eum adeò concuſſit, ut amiſſis & Caſtris, & Theſauris, & pluribus Urbibus, vix elaberetur ipſe. An huc, interrogavit ARCHÆOPHILUS, pertineat Victoria Numiſmatis? Non dixerim, reſpondit DULODORUS; factum enim id eſt poſt Juſtini mortem, potius ad Victoriam, per Martinum Patricium obtentam, Numiſma retulerim, id quod annô Imperii *quintô* traditur factum. A Tiberio extrema agente, collocatâ in matrimonium filiâ Conſtantinâ, ad Imperiale faſtigium evectus eſt

MAURITIVS.



Hic in Numiſmate Victoriam jactat, & ritè. Perſas enim & Armenios per Legatos fudit, Scythas Mœſiâ repulit, Longobardos in Italia repreſſit, Hunnos cum Duce Chaganô, auſpiciis filii Theodoſii, & Germani Soceri, Pannoniis ejecit. Nota hæc ſunt, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, nec aliud videretur addendum, ſi conſtaret de ejus Collega; Victoria enim hæc non Auguſti, ſed Auguſtorum inſcribitur, & duos fuiſſe ex geminata primi Numiſmatis litera G. patet. An neſcis, regeſſit DULODORUS, Collegam Mauritii Theodoſium ejus filium fuiſſe? Is anno 585. natus, biennio poſt *Cæſar*, & tandem anno 590. *Imperator* declaratus, eôdem, quô pater, fatô periit. Et quonam? quæſivit ARCHÆOPHILUS; A Phoca Succeſſore capite truncatus, repoſuit DULODORUS. Si hæc ita ſint, excepit ARCHÆOPHILUS, non video quid effigiei tribuendum ſit, quæ apud Illuſt. Mediobarbum viſitur, prolixâ admodum barbâ horridæ. Benè hoc obſervas, iteravit DULODORUS, eam enim Theodoſii ætas excludit, nec dubito, literarum obſcuritate errorem ſubnatum. Sed

PHOCAS



Prodit, crudelissimus juxtà, & ignavissimus Imperatoriæ Stirpis Parricida. Huic cùm antea miles fuisset, occupatô Imperiali soliô nec militiæ cura fuit, nec nominis Christi veneratio. Et tamen, perrexit ARCHÆOPHILUS, Victóriam cum Christi monogrammate & globo crucigero præfert? Quô jure, inquit DULODORUS, judicabis, ubi historiam noveris. Undique fervebant Imperii Romani hostes. Conspirâsse eos credideris ad petendas Mauritii pœnas, adeò communi consensu jacentem Aquilam carpsére. Desidiâ & ignaviâ Imperatoris, Romanorum hostes potentiores facti, in Occidente Germanias cum Insulis, Gallias, Hispanias, & bonam partem Italiæ, Pannoniasque & Mœsiam abstulére, imò & magnam partem Africæ, & in Oriente Iberos, Armenios, Arabas, & hinc Dardanos, & mediterranea Macedoniæ & Thraciæ. Proh dedecus! Romanæ vires adeò defecére per luxum & libidinem, ut Imperium solô tantùm nomine constaret. Sed nec hunc neglexit Nemesis. Eô, ut meruerat, interemtô, Imperator declaratus est

HERACLIUS.



Heraclii Numismata, infit ARCHÆOPHILUS, Victoriam & Crucem præferunt. Majore id meritô, respondit DULODORUS, quàm reliqui Imperatores; constat enim, Cosroëm Persarum Regem, omne Romanum in Oriente Imperium vastantem, tantô successu ab eo repulsum, ut non tantùm superstes præda recepta, sed & Tigrim hostile præsidium sit excedere coactum. Constat eò majorem fuisse Victoriæ hujus & Triumphi gloriam, quòd *salutiferæ*, ut Pomponio Læto vocatur, à Persis ablatum Crucis Lignum Heraclitus reduxerit. Rei memoriam in Numismatibus, *secundo* præsertim, servari, quis dubitat? Quis dubitat, quin in sequentibus

HERA-

HERACLIUS, Et HERACLIUS CONSTANTINUS,



Eandem recolant? In *secundo* quidem eò Augustiore figurâ, quò altior gradibus Crux in eo elevata radiat. In prioribus Nummis, inquit ARCHÆOPHILUS, Heraclius imberbis fuit; at in his barbatus visitur. Quæ rei ratio? Diversitas ætatis, respondit DULODORUS; Heraclius enim annos 31. Imperio præfuit, quibus durantibus, utique barba crescere potuit, quanquam longiorem gesserit, qui Martinæ & Heracleoni successit,

CONSTANS.



Constans, excepit ARCHÆOPHILUS, anno Chr. 630. natus, anno 641. postulante populô Imperiô admotus, & anno 668. obiisse memoratur, quibus positis, tota ejus ætas triginta octo annorum fuerit, quibus an in tantum longitudinem barba excrescere potuerit, haud forsan abs ratione dubitem. Quidni? perrexit DULODORUS, si capillos fœcundus humor extulerit, indulgens cura nutrierit? At ego retorsit ARCHÆOPHILUS, potius Constantino Pogonato hæc Numismata addicerem, Constantis hujus filio, qui à barba cognomentum meruit. Pogonatus, reposuit DULODORUS, non à barbæ longitudine dicitur, sed quòd imberbis antea, ab expeditione, quam ad ulciscendam parentis necem in Siciliam susceperat, subitô barbatus rediisset. In Numismatibus sanè his, imberbis patri jungitur, cùm tamen barbam nutriendi morem, jam ab Heraclii temporibus invaluisse, Nob. du Frehne §. 67. observet.

Plures

Plures in Numiſmatibus figuras video, ſubjecit ARCHÆOPHILUS. Omnes, reſpondit DULODORUS, ſunt Conſtantis filii, in *primo* quidem ipſe Conſtans & Conſtantinus Pogonatus, in averſa autem Heraclius & Tiberius; In *ſecundo* Conſtans inter Conſtantinum Pogonatum & Heraclium viſuntur. Heraclius & Tiberius, iteravit ARCHÆOPHILUS, vivente patre Auguſti non fuerunt, quomodò igitur in Numiſmate cum globis Crucigeris diademati apparent? Fortaſſis ob ſpem ſucceſsionis, regeſſit DULODORUS, fortaſſis etiam, quòd re ipsâ Imperium tractarent, licet ſub parente eorum authoritas adhuc lateret. Quicquid ſit, Crucem etiam Conſtans jactat, eôque ipsô ex Heraclii familia ſe oriundum, legitimumque Imperii hæredem demonſtrat. Victoria autem quid veri contineat, non video, cùm anno 654. à Saracenis ſuperatus, & in Italia à Longobardis variis cladibus memoretur attritus. Succeſſit filius

CONSTANTINUS POGONATUS,



Barbatus ille quidem, qualis, ut modò dictum eſt, ex Sicilia rediit. Expeditio, inquit ARCHÆOPHILUS, etiam ex habitu Numiſmatis *primi* elucet, in quo armatus, dextrâ jaculum, ſiniſtrâ Clypeum præfert, procul dubiò, quòd patrem tunc ultus eſſet. Fortaſſis etiam, reſpondit DULODORUS, quòd Saracenos fugaſſet, id quod & Victoriæ, quæ in averſa legitur, lucem affundit; Cum Saracenis enim vario quidem ſucceſſu, exitu tamen ut plurimùm felici legitur pugnâſſe. De Cruce ex ſuperioribus conſtat. Figuræ Cruci adſtantes Conſtantini fratres ſunt, *Heraclius* & *Tiberius*, quos in Imperii conſortium cùm aſſumſiſſet, paulò poſt ab adminiſtratione rerum publicarum legitur ſubmoviſſe.

TIBERIUS



Hoc ex Numiſmate noſcitur. Non ad hunc Tiberium, excepit ARCHÆOPHILUS, ſed ad Thracem, qui anno 574. Imperii Succeſſor deſignatus eſt, hoc Numiſma reduxit Cel. du Freſne. Scio, regeſſit DULODORUS, ſed ego ad Pogonati fratrem ideò reducendum arbitror, quòd Crucem gradibus ſublimem exhibeat, eô planè modô, quô Imperatores ex Heraclii familia ſolent, id quod ex hactenus allatis patet. Victoria in averſa, *Auguſtorum* inſcripta, ex fraternis lucem mutuatur, de quibus modò diximus. Conſtantinum ſecutus eſt filius

JUSTINIANVS RHINOTMETVS
Cum
TIBERIO,




Ejus filio. Utrumque memorat propositum Numisma, quod proinde Cel. du Fresne rectissimè Magno Justiniano, cui Occo id addixerat, abjudicat, & Rhinotmeto tribuendum decernit. Aversa, subjecit ARCHÆOPHILUS, imaginem Christi exhibet, librum Evangeliorum præferentis, cum glorioso *Regis Regnantium* elogio. Justinianus Rhinotmetus, reposuit DULODORUS, eam primus in Nummis, quod sciam, expressit, quanquam aliâs dulcissimi Servatoris nec pietatem nec lenitatem fuerit imitatus. In subditos cum crudelitate & rapacitate sævientem, naso truncavit, adeoque meritô cognomenti indiciô notavit, Successor Imperii

LEONTIUS.



Leontius, infit ARCHÆOPHILUS, Victoriam, ut video, expressit, dextrâ pedum, finistrâ globum crucigerum præferentem: An quòd Saracenos, Africam vastantes, per Johannem fratrem suum expulit, totamque Provinciam recuperavit? Facilè assentior, inquit DULODORUS; Eximiam enim hoc facto gloriam meruit, quanquam haud adeò diuturnam: Redeuntibus Saracenis cùm minus prosperè pugnaret, Exercitus Absimarum elegit, qui lege talionis Leontium, ut Justiniano fecerat, & ipsum naso truncavit. Sed nec Absimaro felicior dominatio. Justinianus post decem exilii annos, Terbalis Bulgarorum Regis auxiliô in Solium restitutus, utrumque & Leontium & Absimarum, non naso truncavit, sed capite. Illustris, exclamavit ARCHÆOPHILUS, Illustrium hæc fuit laniena! Fuit, inquit DULODORUS; Neque enim Justinianus meliore exitu potitus est. Cùm redux novem annos grassatus esset, & horridam in Chersoneso edidisset stragem, devictum & ipsum capite mulctavit

PHILIPPICVS



Non *Philippicus*, ſed *Filepicus* lego, excepit ARCHÆOPHILUS. Ita in noſtro, reſpondit DULODORUS; ſed apud Cel. du Freſne etiam Filippicus & PHILIPPICOS vocatur, variante in Numiſmatibus nomenclaturâ. Sed hæc non tam videtur conſideranda, quàm habitus, qui Conſularis ex Loro & Sceptro agnoſcitur, de quibus laudatus du Freſne omninò videri meretur. Quod ad Aquilam attinet, poteris etiam ad ſomnum ejus reſpicere, Imperii prænuncium, quô Aquilam, caput ejus inumbrantem, ſibi viſus memoratur adſpexiſſe. Ea certè cauſa fuit, ut Abſimarus eum in Cherſoneſum relegaret. Sed quis fatorum concluſa infringeret? Contra Juſtinianum Imperator appellatus, Imperium, quod Aquila portenderat, quodque per globum in Numiſmate ſignificatur, obtinuit. An etiam Philippicus ex Heraclii familia fuit? interrogavit ARCHÆOPHILUS, id enim, niſi fallor, Crux innuit. Crux in Philippici Numiſmate, regeſſit DULODORUS, ad genus non pertinet; Philippicus enim, *Bardanes* antea vocabatur, eratque Nicephori cujusdam, origine Pergameni, filius. Crucem autem videtur expreſſiſſe, ut Victoriam virtute Crucis vel ſibi polliceretur, vel contra Juſtinianum obtentam gloriaretur, quamvis cultum Crucifixi magis turbaverit, quàm foverit. Annon & hunc, perrexit ARCHÆOPHILUS, ultor à tergo Deus preſſit? Preſſit, repoſuit DULODORUS, Oculis orbatus eſt, ejusque in locum Imperator factus eſt Artemius. Artemium dejecit Theodoſius. Theodoſium

LEO ISAURUS,



Cujus *primo* in Numiſmate effigies eſt, repetitâ, in Numiſmatis averſa, Nominis inſcriptione, niſi quod ἐν Θεῷ addatur, adeò ut *in Deo* ſe *Regem Romanorum* appellet

appellet. Hic primus eſt, infit ARCHÆOPHILUS, qui averſas inſcriptione implevit. Quidni Sanctum aliquem expreſſit, id quod his temporibûs magis conveniret? Sanctorum imagines, reſpondit DULODORUS, hic perſecutus eſt, adeò ut nec à Gregorio II. Pontifice cohiberi potuerit: Quî igitur eas in Nummis ſignaret? Chriſti tamen imago videtur excipienda; Ea enim apud Cel. du Freſne ex Octavio Strada profertur, Tibi Soli Rex Regnantium inſcripta, quibus verbis honorem invocationis præter Chriſtum, omnibus Sanctis negare videtur, eôque ſenſu, neſcio an Imperator culpandus, aut Numiſma ex genuinis movendum ſit. In *ſecundo*, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, Crux gradibus ſublimis Ihsvs Xristvs Nika, inſcribitur, *Jeſus Chriſtus vicit.* Vicit ſanè, inquit DULODORUS, vicit Leo Glorioſiſſimus de Tribu Juda, & vicit in Cruce, non hoſtes terrenos tantùm, ſed & infernales præcipuè. Si tamen etiam ad Victoriam Leonis reſpicere placet, quæ *tertio* in Numiſmate Virtute Crucis celebratur obtenta, Saraceni ſunt, quos ſub Imperii initia Thraciam incurſantes ſuperavit. Tiberius, quem in Sicilia rebellantem cecîdit: Secutus eſt, qui & in primo Numiſmate ſimul cum patre imperâſſe memoratur, Leonis filius

CONSTANTINUS COPRONYMVS,



Cujus in Numiſmate Crux triplicata, Victoria Augg. inſcribitur. Victorias Copronymi, inquit ARCHÆOPHILUS, ex Cedreno memini: Artabasdi rebellis filium prælio fuſum cepit, Exercitum in Syriam duxit, vigenteque bello Civili inter Arabas, Germaniciam recepit: Agarenorum claſſem ad Cyprum delevit, Bulgaros univerſos Lithoſoreæ occidit, idque bellum *nobile* appellavit, quòd nullus in eo Chriſtianus periiſſet, idque quàm ad Numiſma appoſitè? Quàm appoſitè ad Crucem Victoria Augg. inſcriptam? Faterer, inquit DULODORUS, ſi adverſæ facies reſponderet. Idem Cedrenus, cùm nobilem hanc Victoriam narrâſſet, ſubjicit, à Bulgarorum Rege deceptum amicos prodidiſſe, iisque ſuppliciô affectis, *barbam* ſibi evulſiſſe; At in Numiſmate barba nulla apparet, invictô argumentô, Victoriam hanc ad paternam adhuc reſpicere, id quod etiam geminata litera G. in voce Augg. evincit. Et quænam illa fuerit? quæſivit ARCHÆOPHILUS. Fortaſſis ea, regeſſit DULODORUS, quam Leo de ſuppreſſo imaginum cultu ſibi viſus eſt, vel reportaſſe, vel reportaturus fuiſſe. Id ſanè Crux innuere videtur; ingenti enim, eam ob cauſam Claſſe Leonem Italiam petiiſſe, ex eodem Cedreno conſtat, quamvis eventu votis contrariante. Quicquid ſit, Copronymum ſecutus eſt Leo filius, qui filium Conſtantinum in Imperii conſortium admiſit, fratrem Nicephorum Tyrannidis damnavit. Leone mortuô Conſtantini nomine ſucceſſit mater Irene, quæ erutis filio oculis, ſola tanti faſtigii potentiam obtinuit, tandemque à Nicephoro Patricio depoſita, & in Lesbum relegata fuit. Secuti ſunt

NICEPHORVS ET STAURATIUS.



Utriusque effigiem video, inquit ARCHÆOPHILUS: Nicephori barbatam, Stauratii imberbem: illam Βασιλέως, hanc Δεσπότου cum titulo: Ille Crucem, Hic globum crucigerum geſtat, uterque autem volumen tenet: Quæ rei ratio? Simultaneum Imperium, reſpondit DULODORUS, & Patris ſuprà Filium eminentia: Deſpotæ ſanè titulum ſubmiſſiorem quandem filii in patrem reverentiam denotare, jamdudum Freſnæus agnovit, quanquam poſteà & Auguſti eô fuerint uſi. Cæterùm quod Tu volumen arbitraris, id Acaciam eſſe, idem Author ex Codino probat. Verba Codini ad Numiſma egregiè faciunt: *Crucem* inquit, *in dextra ſemper portat, in ſiniſtra verò pannum ſericum Codici ſimilem, ligatum mantili, habetque intus terram & arenam, & vocatur* ACACIA, *quaſi dicat illud, Imperatorem humilem eſſe, ut mortalem, neque propter Imperii faſtigium efferri, neque ſe tumidum jactare debere.* Neceſſaria admonitio! exclamavit ARCHÆOPHILUS. Sed vana, ſubjecit DULODORUS; Quis enim ei morem geſſit? Certè nec Nicephorus, nec Stauratius. Ille avaritiâ, impietate, & perfidiâ à Scriptoribus diffamatur: Hic & ingeniô & moribus deformis memoratur. Sed digno uterque fato uſus eſt, Pater à Bulgaris occiſus, Filius ab Imperii gubernaculo ſubmotus. Succeſſit


MICHAEL,



Rhangabe ab avo dictus, filius Theophilacti, & Theophilacti pater. In Numiſmate, inquit ARCHÆOPHILUS, imaginem Chriſti video. Pietatem ea innuit, reſpondit DULODORUS, quâ non minus memoratur inſtructus fuiſſe, quàm dotibus ingenii, quanquam bellicis artibus haud omninò idoneus; Cùm enim Leonem *Imperatorem* dictum accepiſſet, ne ſangvinem Chriſtianorum fundere cogeretur, dignitati renunciavit, vitamque monaſticam amplexus eſt. Sed nec Leoni felicior exitus. Eô per inſidias ſublatô, ſucceſſerunt

MICHAEL,

MICHAEL, Et THEOPHILUS:



Ille pater, Hic filius: Ille ſtatim Leone occisô, Hic ante patris adhuc mortem; Id enim propoſitum Numiſma ad oculum demonſtrat, licet eadem in titulo Δεσπότου, quæ & in Stauratio fuit, filialis reverentia appareat. Filius Michaelis Theophilus fuit, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, an ex Ephroſyne? Ita Leo Grammaticus, repoſuit DULODORUS, ſed falsò; Contrarium enim non tantùm ex Zonara & Scylitze demonſtres, ſed etiam ex hoc ipſo Numiſmate. Theophilus in eo viri juvenis vigore conſpicuus eſt, cùm tamen pater octo tantùm annos novem menſes imperitârit, mediôque Imperii tempore jam exactô, Euphroſynam duxerit. Inde certè dubium non eſt, quin ex Thecla Theophilus ortus ſit, priore ſcil. Michaelis uxore, filiâ Centurionis, qui eam in ſpem Imperii, adhuc privato collocaverat. Si hoc ita ſe habeat, iteravit ARCHÆOPHILUS, quomodò Theophilus in Michaelis Numiſmate Δεσπότης dici poteſt? cùm tamen ex Cedreno clarum ſit, Michaelem, cùm ſecundam Uxorem duceret, fictâ tergiverſatione Senatum eò adegiſſe, ut ſcriptô promitteret, quam ducturus eſſet, etiam poſt ejus mortem Imperatricem, uti & de filiis unum, Imperatorem agnituros. Authorum effata, regeſſit DULODORUS, poſt Nummos ſunt. Theophilum vivente adhuc patre Imperio admotum, non ex hoc tantùm, ſed & ex eo conſtat, quod Dn. du Cange protulit, in cujus adverſa Pater & Filius junguntur, ſive facti patrem pœnituerit, ſive factum Authores finxerint. Credibile ſanè non videtur, Michaelem patrem incertam futuræ ſobolis ſpem, in ſucceſſionis adornatione, ſoboli jam exiſtenti, & certæ, præponere voluiſſe. Sed gravius dubium, ſequentium Numiſmatum in *primo*,

THEOPHILUS, MICHAEL, Et CONSTANTINUS



Movent, non tantùm, quòd Conſtantini nulla apud Scriptores mentio ſit, ſed etiam, quòd Michael barbatus in eo videatur, cùm tamen admodum puer patri

ſuperſtes memoretur fuiſſe. Quid dicemus? excepit ARCHÆOPHILUS. An Michael Hic non filius, ſed pater Theophili credatur? An Michael Theophili filius, jam barbatus, Patrem & Filium Conſtantinum celebrârit? Quicquid ſtatuas, ſubjecit DULODORUS, non deerit dubium. Si Theophili patrem agnoſcas, quæretur cur filium prætererit? Si filium, cur patrem Βασιλέα dixerit, nudô nomine contentus ipſe? Ita nec Michaelem filium, Patre Theophilô adhuc vivô, jam barbatum ſtatuere auſim, cùm pater in priore Numiſmate adhuc imberbis fuerit, adeoque XII. illis annis, quibus Imperio præfuiſſe memoratur, filium barbatum habere non potuerit. Crux hæc Antiquariis fixa eſt, quam qui ſolverit, næ ejus & eruditionem & fortunam grato devenerabimur encomio! Secundum Numiſma Theophili victorias celebrat. Victorias non video, perrexit ARCHÆOPHILUS; At inſcriptionem video. Ea ipſa, inquit DULODORUS, Victorias continet, & eâ quidem loquendi formulâ, quâ poſt devictos hoſtes, Imperatori in Urbem redeunti, credibile eſt acclamaſſe populum, ΘEOFILE AVGVSTE TV NICAS! *Theophile Auguſte Tu Viciſti!* Et quos devicerit? ſubjunxit ARCHÆOPHILUS. Agarenos ſive Arabas, reſpondit DULODORUS, id quod latiùs apud Zonaram & Cedrenum videre, eſt; Quanquam quas Manuelis præcipuè Virtute obtinuerat, ejusdem etiam virtute contra ſe versâ, poſteà amiſerit. Michaele cæsô, Imperium adminiſtrârunt

BASILIVS, ET CONSTANTINUS



Baſilii filius, quem primô Imperii annô pater *Imperatorem* ſalutavit. Uterque, infit ARCHÆOPHILUS, in Numiſmate Crucem elevat. Id conſuetô his temporibus more fit, excepit DULODORUS, ut ſcil. pateſceret, præcipuam Imperatorum curam, in extollenda ſalutiferæ paſſionis gloria conſiſtere debere, quam pietatem in averſa, ipſa Chriſti Protome, cum Libro Evangeliorum, adumbrat. Cum Libro Evangeliorum? ſubjecit ARCHÆOPHILUS; At hic dum Chriſtus in terris viveret, lucem nondum adſpexerat, concinnatus demum poſt mortem & reſurrectionem? Id nihil obſtat, regeſſit DULODORUS; Chriſtus enim Evangelii author fuit, ſive vitam ejus & dogmata conſideres, ſive ſpiritum, cujus inſtinctu Evangeliſtæ ſcripsére. Adde, quòd Chriſtus non deſiit, ſed perrexit etiam poſt mortem Chriſtus eſſe, & ut Baſilii ætate, ita adhuc hodie, REX REGNANTIUM meritò appellatur.

Baſilium, cùm Conſtantinus ante patrem obiiſſet, excepérunt filii, Leo & Alexander. Alexander fratri ſuperſtes, Conſtantinum Leonis filium & Collegam habuit & Succeſſorem. A Conſtantino ad Imperiale faſtigium evecti ſunt

ROMA-

ROMANUS LACAPENUS
ET
CHRISTOPHORUS.



Numiſma *ſecundum*, excepit ARCHÆOPHILUS, apud Dn. du Cange me vidiſſe non memini. Nec eſt, reſpondit DULODORUS, licet ſedulus is fuerit deliciarum noſtrarum indagator. Chriſtophori in eo effigies nova eſt; in aliis enim Nummis hactenus non apparuit. *Primum* Numiſma, ſubjecit ARCHÆOPHILUS, ſolius Romani eſt, cujus effigies Narthecen & globum Crucigerum præfert. Averſa meretur inſpici, regeſſit DULODORUS. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΕΝ ΘΕΩ, *Rex Romanorum* IN DEO vocatur, id quod idem ferè ſonat, quod hodiè *Dei Gratiâ* Principibus ſcribitur. Romanus Lacapenus, qui acceptâ Imperiali potentiâ, Conſtantinum depreſſerat, filiosque ſuos evexerat, juſtâ vindictâ à filio Stephano dejectus eſt. Sed nec huic pepercit Nemeſis. Conſtantinus cùm Lacapenum amotum cerneret, filios ejus pari dolô ultus, vel in monaſteria detruſit, vel relegatione punivit. Inde ſolum imperitâſſe, Authores ſtatuunt. Filium tamen Romanum, quem ad differentiam Lacapenum juniorem vocant, Solio illatum, ex Numiſmatibus collegeris. In ſequenti certè,

CONSTANTINVS ET ROMANUS



Viſuntur, & Ille quidem barbatus, Hic imberbis, quô vel unicô argumentô eviceris, ad Lacapenum Numiſma pertinere non poſſe, cùm Hic privatus adhuc, & antequam Imperator appellaretur, Βασιλεοπάτωρ, *Imperatoris Pater* dictus fuerit, quod utique imberbi non convenit, cùm his temporibus barbam alere decorum eſſet. Id in Theſauro Palatino obſervaſti, inquit ARCHÆOPHILUS, imò & de Cruce docuiſti, non ſemper pietatem, ſed ſæpiſſimè hypocriſin ſub ea latere, idque in Romano evidentiſſimum eſſe, quòd is patrem veneno ſuſtulerit, ſanctiſſimumque eô factô Chriſtianæ Religionis dogma violaverit. Id quorundam aſſertum eſt, reſpondit DULODORUS: Si verum, diuturnioris vitæ damnum, pœna fuit; Eô enim poſt quatuor Imperii annos mortuô, ſucceſſit Nicephorus Phocas. Nicephorum cùm occidiſſet, excepit

JOHAN-

JOHANNES ZIMISCES



Cujus propositum Numisma esse, Dominus du Cange in Diss. §. 27. eò potissimùm conjicit, quòd Scylitzes de Zimisce, *Eum præcepisse*, narrat, *etiam in Numismatibus & obolis imaginem effingi Servatoris, cùm id antea nunquam factum fuisset.* Hæc verba, cùm falsa sint, si de aversa accipiantur, necessariò de adversa sumenda esse, adeòque Numismata, in quorum adversa Christi imago conspicitur, Zimiscæ addicenda, Nobilissimus Author haud abs ratione censet. Res nota est, interrupit ARCHÆOPHILUS, nec aliud ad Numismata videtur notandum. Ad alia pergimus, reposuit DULODORUS. Zimisce sublatô, successit Basilius, filius Romani junioris. Basilium excepit frater Constantinus: Constantinum Romanus Agyrus, Romanum Michael, Michaelem Constantinus Monomachus, Constantinum Theodora, Hanc Michael Stratioticus, & tandem

ISAACIUS COMNENVS,



Qui quod Imperiale fastigium suæ fortitudini adscriberet, armatus in Numismate fingi voluit. Imò strictô gladiô, excepit ARCHÆOPHILUS, uti Dn. du Cange observat, arrogantis ingenii id indicium arbitratus. In nostro Numismate, respondit DULODORUS, gladium non stringit, imò nec video quid arrogantiæ fovere potuerit, cùm exactô vix bienniô Imperium deposuerit, & in monasterio tantâ humilitate memoretur vixisse, ut & Ostiarii munus subierit: adeò ut simulacrum Christi, in Numismate sedentis, non fucatæ, sed veræ pietatis indicium hîc ritè pronunciemus. Cùm Imperio decederet, Successorem fecit Constantinum Ducam. Constantinum secuta est Eudocia ejus Conjux, quam simul cum Imperio adeptus est

ROMA-

ROMANUS DIOGENES.



Romanus, inquit ARCHÆOPHILUS, hoc in numiſmate, niſi fallor, à Virgine Maria coronatur. Id ex literis M. Θ. intelligis. Reſpondit DULODORUS, iis enim Μήτηρ Θεȣ͂, *Mater Dei* exprimitur. Cæterum & Θεοτόκος dicitur literis ΘΚΕ, & invocatur: Θεοτόκε βοήθει Ρωμάνῳ; *Dei Genitrix auxiliare Romano!* Invocatur Maria? quæſivit ARCHÆOPHILUS; at hactenus id inſolitum fuit? Quidni potius JESU Chriſto, qui in averſa ſedet, & *Rex Regnantium* dicitur, id fecerint? Hinc, reſpondit DULODORUS, devios intelligis à primitiva Eccleſia tramites. Cultum invocationis divinæ ſanctiſſima Virgo nec appetit ipſa, nec Deus homini ceſſit unquam: Et tamen eò cecidit erronea mens, ut non Mariam tantùm, ſed & alios ſanctos eô hodiènum veneretur. Sed hæc noſtræ meſſis non ſunt. Inquiramus igitur, excepit ARHÆOPHILUS, contra quem auxilium Virginis Romanus petierit? Id dubium eſt, reſpondit DULODORUS, niſi Turcas in medium adferas, qui ab Heraclii temporibus ex ſervili genere, bellorum aſſiduitate eò jam creverant potentiæ, ut nulli ſe viribus inferiores putârint: Cum Romano tamen de pace egerunt, quam cum non daret, proditione Andronici captus, Zonaræ memoratur. Poſt Diogenem Imperiale ſolium aſcendit

MICHAEL DUCAS.



Hic & ipſe, inquit ARCHÆOPHILUS, à Virgine Maria coronatur, Eam autem non adorat. Nihilô tamen melior videtur, reſpondet DULODORUS; Qui enim Diadema non Deo, ſed Virgini Dei Matri acceptum refert, Is utique cultu divinô indignam non arbitratur: Minimùm Chriſto, qui in averſa expreſſus eſt, eam honore æquaverit. An certâ perſuaſione? inquit ARCHÆOPHILUS: an Chriſti contemptu id fecerint? vehementer aveo ſcire. Verâ perſuaſione, reſpondit DULODORUS, quam potius ſuperſtitionem diceres. Id vel inde conſtat, quòd hic ipſe Michael Ducas Imperiô ceſſô, Archiepiſcopus fuerit factus, literarum aliàs & literatorum amantiſſimus, ut Anna teſtatur p. 145. Archiepiſcopus factus eſt, inquit ARCHÆOPHILUS, ſed coactus, cùm à Nicephoro & Turcis faſtigio Imperiali dejectus eſſet. Coactus Imperio ceſſit, reſpondit DULODORUS, coactus autem ſacris ſe non dedit. Sed valeant hæc. Nicephorum evolvit

ALEXIUS COMENUS,



Cujus res gestas pluribus conscripsit Anna ejus filia. Vir fuit bellicâ virtute clarissimus, ob perfidiam tamen passim infamatus. Variâ fortunâ cum Roberto Normanno, Michaelem reducturo, præliatus est. Expeditioni, quam ad recuperandam Terram sanctam moliebantur, & tandem ductu Gottofredi Bullionei effectui dabant, plurimi Occidentis & Principes & Populi, contrarius fuit. Et quamvis in progressu percussô fœdere ei favere videretur, subdolè tamen egit, & non nisi vi ad fidem præstandam adigi potuit. Hæc utut sint, inquit ARCHÆOPHILUS, Christum tamen ei invocatum, in numismatis aversa videmus, neque enim aliter interpretaberis inscriptionem KE, quam Κύριε βοήθει, *auxiliare Domine!* Hæc benè, inquit DULODORUS, notandum autem & signum crucis in numismate expressum; Hôc enim Alexium contra tentationes diaboli usum, Anna p. 437. memorat. At, inquit ARCHÆOPHILUS, Alexius Christiani Nominis hostis fuit. Talem, inquit DULODORUS, Baëmundus ad Pontificem calumniatus est, ut eadem p. 369. scripsit; Hæreticos autem in fidem redigere sategisse, p. 453. refertur, adeò ut calumniam illam non ex fidei diversitate, sed ex animo expeditioni sanctæ contrario enatam, facilè agnoscas. Cæterùm notari meretur Alexii nostri prosopographia, apud Annam p. 76. quæ licet pluribus recenseatur, juvabit tamen *staturam non multum eminentem, sed plenam, acrem oculorum aciem, supercilium concinne curvatum, dignitatem genarum, mixtosque Majestatis & Clementiæ radios: Latitudinem* item *humerorum, Lacertorumque torositatem* inde notare: juvabit & descriptionem Coronæ, quæ apud eandem pagina 78. traditur: Tandem & locum Zonaræ, de Alexii monetis. Nota hæc sunt, inquit ARCHÆOPHILUS. Pergamus igitur, respondit DULODORUS. Alexio successit Filius.

JOHAN-

JOHANNES.




Quem Nicetas *Calojohannem* vocat. Natus eſt anno Chriſti 1088. coronatus anno 1092. Patri ſucceſſit anno 1118. regnavit annos 24. menſes 8. Mortuus anno 1143. Hæc, inquit ARCHÆOPHILUS, ratio chronologica docet; mihi autem de habitu corporis lubet quærere? Habitum corporis, inquit DULODORUS, ex Anna & Tyrio ſuppeditat Du Freſne: *Statura* inquit, *mediocri fuit, carne & capillo niger, facie deſpicabili, moribus autem conſpicuus, & artibus inſignis militaribus.* Antiſtiti Tyrio ſanè, *Vir inclytus, Liberalis, pius, clemens & miſericors* audit. Pium, excepit ARCHÆOPHILUS etiam in numiſmate video. Crucem duplicem gerit: A Matre Dei vel coronatur, vel crucem accipit: Imò & Chriſtum cum libro Evangeliorum expreſſit. Conſueto hæc, reſpondit DULODORUS, ex ſæculi more; nam & aliorum in nummis proſtant. Quod autem S. Georgium in tertio videamus, id utique novum eſt, aperto indicio, cultu Mariæ inductô, proclivem fuiſſe lapſum etiam ad cultum aliorum Sanctorum. Cæterum de cognomine Porphyrogeniti notari meretur Etymon vocis, quod Anna p. 168. ſuppeditat, ita dictos aſſerens à *Porphyra* æde, in quâ Auguſtæ pariebant. Johannem excepit filiorum ultimus

MANUEL.



In omnibus, inquit ARCHÆOPHILUS, quos hactenus inſpeximus nummis, Chriſti effigies barbata fuit; at in propoſitis eadem cernitur imberbis. Fortaſſis, reſpondit DULODORUS in appellatione *Emanuelis* rationem quæras, quæ ad Manuelis nomen alludit, & Salvatori Noſtro in juventute data apud Eſaiam c. 7. & Matth. 1. legitur. Emanuelis certè nomen in ſecundo Numiſmate, quod argenteum eſt, proſtat. Aſſurgerem placito, excepit ARCHÆOPHILUS, niſi etiam barbatus hoc nomen gereret, ut modò in Zimiſcis nummo vidimus. Quid, quod & Manuel barbatum expreſſit, uti videre eſt apud Freſneum? Id nihil obſtat, reſpondit DULODORUS, nomen enim, quod Imberbis accepit, id barbatus retinuit. In primo nummo, inquit ARCHÆOPHILUS, video Imperatorem cœlitus coronari, an hoc à Deo? Mariam, reſpondit DULODORUS, numiſma ſecundum ſubſtituit; Licet enim Manuel Chriſto divinos honores tribuerit, id quod ex Literis averſæ primi KE BO intelligimus, quæ Κύριε βοήθει legi debent: Imò & ex averſa ſecundi, in quo O ἐμμανȣὴλ exſtat, tamen & Mariæ, imò & S. Georgio Eum ſurrexiſſe, ex reliquis patet: patet ex vitâ monaſticâ, eô tempore hôc paſſu corruptâ, quam paulò ante mortem induiſſe legitur. Manuelem ſecutus eſt filius Alexius. Alexiô ſublatô ſolium ſibi vendicavit

ANDRONICUS.



Hic Chriſto coronam acceptam tulit, inquit ARCHÆOPHILUS. Quâ pietate, reſpondit DULODORUS, ipſe viderit. Vim ſanè Chriſtus non ſuaſit.

suasit. In eô tamen paulò sanior videtur, quòd Mariam Christo postposuit. Quicquid sit, secuta est Nemesis. De eo pœnas sumpsit successor Isaacius Angelus. Isaacium Imperio exuit frater

ALEXIUS ANGELUS,



Qui proposito numismate, omissis & Christo & Maria, solum S. Georgium signavit. Historiam S. Georgii, excepit ARCHÆOPHILUS, utut in pluribus Imperatorum numismatibus expressi, tamen à quibusdam sugillari memini. Talis sit, respondit DULODORUS, qualem quisque vult, per me licet. Mihi ad finem properare placet. Post Alexium imperavit Ducas Alexius, qui *Murzufli* dicitur. Eo rejecto Balduinus successit. Balduino à Walachis capto duo potissimùm rami exorti sunt: Ex Græcis Theodorus Lascares, David Comnenus & Emanuel extra Constantinopolim se Imperatores scripsere. Latini, qui Constantinopolim obtinebant, Henricum elegêre, Balduini fratrem. Henricum secutus est Petrus. Petro à Theodoro Lascare capto, Imperium administravit Jolanta uxor, successit Robertus filius. Ex altera parte Theodorum excepit Johannes Ducas, qui & Roberto gravis fuit. Roberto mortuo successit filius Balduinus. At Johanni Theodorus: Theodoro Michael Palæologus, qui Constantinopolim recuperavit. Michaelem excepit filius Andronicus. Andronicum evolvit Andronicus Nepos. Huic successit Johannes, Johanni Andronicus. Andronico Emanuel, & huic Johannes, quem secutus est omnium ultimus Constantinus, sub quo Mahometh Turcarum Imperator Constantinopoli captâ, Imperatoriæ Christianorum in Oriente Dominationi finem imposuit.

His ita deductis, ad finem, inquit ARCHÆOPHILUS, nos pervenisse gaudeo, non quòd mercium tam nobilium me satietas ceperit, sed quòd reditum in patriam maturare amicorum literis compellar. At, infit DULODORUS, adhuc *Statuæ* quædam, quidam *Imagines*, luculentaque insuper *Instrumentorum veterum* farrago superest. Quàm vellem, subjecit ARCHÆOPHILUS, etiam hæc Te dilucidantem auscultare possem, sed missionem petere etiam invitus cogor, quod tamen eâ cum lege facio, ut quàm primùm potero, me rediturum spondeam. Si redeas, excepit DULODORUS, non abs fœnore moram traxeris, ingens enim talium augmentum adhuc ex Italia exspectamus. Nosti procul dubio, quis enim non novit? *Petrum Bellorium*, celeberrimum nuper apud Romanos Antiquarium: Nosti supellectilem ejus omni venustiore vetustate instructissimam. Hanc omnem ELECTOR NOSTER coëmit, & proximè adventuram, certis jam nunciis accepimus. Ne autem solita in fine delectatio desit, itinerisve tædia festinantem corripiant, opportunè poteris *Venationem* lustrare, quam aliquot milliaribus abhinc, ipso in itineris Tui tractu, SERENISSIMUM agere, mihi Aulicus quidam retulit.

Dianæ ſtudia, repoſuit ARCHÆOPHILUS, in nummis non ſemel contemplatus ſum: Quidni igitur volupe mihi fuerit, intueri eadem & in campis, & in nemoribus? Eô præſertim Principe feras agitante, cujus hactenus gloriam omni ſtudiorum in genere planè divinam expertus ſum. His dictis, DULODORO pro proſtita hactenus opera, longe ſibi gratiſſima, gratias retulit uberrimas, mutuosque poſt verborum honores, votivosque amoris & benevolentiæ æternæ amplexus, omnigenam rurſus felicitatem ſibi apprecato, valedixit, itinerique ſe accincturus abiit.





INDEX.



Agri-

INDEX.

Anthe-

Aure-

B.

C.

Con-

D.

G.

Genius

H.

I.

Julia

K.

L.

M.

Mater

Olybrius

P.

Q.

R.

S.

Sarma-

 Smyr-

T.

Z.



ERRA-


ERRATA,

P. 560. l. 15. leg. Leonh. Augustinus. p. 565. l. 9. pro Decempeda, lege face. p. 578. & 580. & 863. desunt Nummi sequentes, quos inserere placeat.



P. 605. l. penult. leg. Oculum. p. 608. l. 14. II. Viris. p. 615. l. 20. leg. Asinarum lacte. p. 633. l. 25. Tertium. l. 34. Secundo. p. 671. l. 23. leg. Tertium, & lin. 33. Secundum. p. 677. l. ult. LUCILLA. p. 687. l. 17. produceres. p. 759. l. 21. reposuit. p. 761. l. 9. Millia passuum, eorum ambitus. p. 762. l. 10. posteriore. p. 828. l. 14. Romanorum. p. 841. l. 19. leg. Nam Anno 444. p. 859. l. 17. leg. Secundo. Si quæ in sculpturis non respondent commentario, sciat LECTOR Commentario inhærendum, indeque sculpturas corrigendas esse.






101

